GLADIVS, AC PVGIO IMPIETATIS

Siuè

PERSECVTIONES ECCLESIAE CRVENTAE

AB IDOLOLATRIS, ET HAERETICIS,

AC CETERIS ID GENVS HOSTIBVS EXCITATAE,

ET IN SACRIS FERE FASTIS COMMEMORATAE,

AVCTORE

P. IOANNE BAPTISTA MASCVLO

NEAPOLITANO E SOCIETATE IESV.





NEAPOLI,

Ex Typographia Dominici Maccarani. M. DC. LI.

Digitized by Google

ASCANIO PHILAMARINO S. R. E. CARDINALI, ARCHIEPISCOPO NEAPOLITANO

IO. BAPTISTA MASCVLVS E SOCIETATE IESV. FELICITATEM.



CHristianæ Religionis purpuram Martyrum sanguine imbutam, ac meo labore contextam cui accommodatius dedicarem, quàm Ecclesiæ Principi purpurato? ac tibi potissimùm, ASCANI Eminentissime, cùm ob cætera merita, tùm ob incredibilem animi magnitudinem (quanquam in alia causa, non Religionis, sed quietis) nuper in populari tumultu declaratam. Libet profectò tempestatis illius, ac turbinis meminisse, non quò Ciuitatis huius, quæ tot optimatium mater est, quæquè integerrimæ fidei titulo gaudet, splendorem maculis aspergam vllis; cum humana omnia varijs motibus sint obnoxia;

Digitized by Google

sed quò singulare tuum studium in ea tegenda, iuuandaque, & eximia virtus appareat. Etenim, & si quisquam silere velit, clamant ipsius Vrbis parietes, atque tecta, tua præsertim auctoritate, atque opera, excidio, incendioque subtracta; clamant obsessa ferro vestibula templorum, ac delubrorum; clamant totius Regni prouinciæ, Vrbes, oppida, summæ vastationis, & communis exitij periculo explicata. Quin etiam finitimæ huic Regno dynastiæ, ac ferè omnes Italiæ regiones, quas timor incesserat, ne externa uis aliqua ipsas adoriretur, beneficium gratantes agnoscunt: neque enim inane fers istud ASCANII nomen, qui celeber Mysiæ fluuius est: quo scilicet flamma, ne latius vagata procurreret, prorsus extincta est. Quos verò tu in tantis dissidijs componendis labores? quæ perpessus incommoda es? quæ sollicitudo, quæ cura fuit tuendi gregis? Ac si olim cum Tyranni sæuirent in bonos, spectata est virtus in primis Antistitum, quasi Pastorum; quis dignè tuam commemorare constantiam possit inter immaniissimas huius Vrbis lanienas, inter flammam, & ferrum? quoties caput istud infulatum, & purpureo galero insigne deuouisti pro Patria? qui sensus erat animi tui, cum ante pedes cadentes cerneres ciues ignitis percussos telis? nihilnè tanta colluuies hominum perditorum, Furiarum more grassantium, ac nemini parcentium, prohibuit, quò minus foràs ad tutelam Patriæ prodires? cum non alia vox verberaret aures, nisi illa feralis: Frange ceruices. nihilnè te districti gladij, disploſæ glandes è machinis, inter quas versabare, mouerunt?

Digitized by Google

runt? non es veritus, ne tot inter tela temerè iacta, errabundo, cæcoque caderes ictu, victima popularis insaniæ, ac furoris? sed nunquam purpura tantum accepit decus, quātū cum obiectam periculis pro Patrię incolumitate penè feciſti dibapham cruore tuo, ne funderetur noſter. obſoleuerunt iam Curtij, atque Decij, quos adeò admirata eſt antiquitas: atqui hoc tempore maiora pietatis ſpectacula exhibuit hæc Vrbs de te Principe purpurato. firmiſſimus fuiſti in rebus trepidis, dexterrimus in ſiniſtris. quoties efferati vulgi animos compoſuiſti? quoties illi faces ad incendium, ferrum ad cædes è manibus extorſiſti, non vi, ſed blando ſermone? Sed quis nō obſtupuit, cum nouus ille ex Piſcatore Dynaſta, tumultuariò effictus, ac ſcænicus Imperator iuſurrexiſſet; cuius ſupercilio, ac nutu omnia gerebantur, qui mortis, & vitæ arbiter ſubitò factus iura populis dabat, cruentus plurimorum cæde miſerrima; qui tantum ſibi ſumpſerat, vt timeret neminem, timeretur ab omnibus: te vnum incredibili obſeruantia proſequeretur; apud te ſtatim furorem omnem deponeret; & inter duros ſcopulos educatus vni tibi ſe mollem, ac cereum exhiberet! quot ille Ciuium capita, quæ ſecuri iam addixerat, quot Principum vitam tibi petenti donauit? mirum ſpectaculum cernebamus, ſcilicet illum minitantem exilia, excitantem incendia, cædes anhelantem, bacchantem audacia, coram te, exarmato ſtatim furore, pacatum, immò ad tua genua prouolutum, ac ſupplicem accidere: adeò fruſtrà ſæuit furor, vbi Amor eſt legifer: tela ille ferebat in manibus,

ſed

Digitized by Google

sed te, ASCANI, in oculis. porrò auspicatò tibi cum piscatore tãta acta res est in componendo ciuiũ fœdere, quem scilicet speramus obsignaturum aliquandò etiam Regum fœdera magni annulo Piscatoris. Quid de cæteris laruatis ducibus dicam? neque enim sub vno capite, sed tanquam sub tricipiti Cerbero laborauimus: verùm triceps huiusmodi monstrum non Herculis clauа, sed pastoris baculò confectum est, lituo, inquam, pontificio tuo, hoc est auctoritate, muneris dignitate, prudentia. At verò illo die, quo tandem diuinitùs sedata tempestas est, quanta gratulatio fuit? cum manè per Vrbem vnà cum Hispani Regis filio, ac sapientissimo Prorege, quibus hæc Ciuitas, atque hoc Regnum plurimum debet, inscenso equo inuehereris: quàm subitò concitatus ille turbo quieuit? quo tempore alter ille de plebe bis Princeps creatus, qui forensem arcem occupauerat, tui oris dignitate cõmotus claues tradidit: quis tunc non te dignum putauit, qui aliquandò gestares Cœli claues? quàm dignus es visus, qui regeres Petri nauim, cum inter fluctus veluti decumanos tam peritè clauum tractasses? quo plausu es exceptus, cum acclamaretur ab omnibus, ac dicereris caduceator animorum, pacis assertor, auctor tranquillitatis, & otij, denique Patriæ, vt vno verbo complectar, Pater. quas tibi vices amoris Patria rependet, ASCANI, quæ per te viuit, ac spirat? amaranthus ille, quem prefers, perpetuitatis insigne, anteà te faciebat immortalem, deindè nos etiam eripuit morti. obtulisti nobilissimi tui stemmatis fascias ad obliganda Patriæ vul-

nera

Digitized by Google

nera. Habes igitur (Princeps Eminentiſſime) cur libellum hunc, qui procellas in Eccleſia, furore impiorum excitatas continet, Martyrumque conſtantiam, Pręſulũ in primis, deuoto pro Religione capite, ante oculos proponit, tibi potiſſimùm dedicarem, cuius egregia magnitudo animi in hoc populari turbine auertendo perſpecta eſt; ac ſimul oſtenſum, quàm excelſo, & erecto animo futurus fuiſſes, ſi in illud tempus incidiſſes, quò Chriſtiana Reſpublica pro veri Numinis cultu ab impijs exagitata in maximis ærumnis, ac dimicationibus verſabatur. Quanquam alia multa non deerant, quæ me ad hoc impellerent: gentis videlicet tuæ nobilitas, cui, poſt regiam legationem, & pręcipua aulę pontificiæ munera honorificè obita, primus Romanam purpuram intuliſti: ſeptem propè iam cõfecta ſunt ſecula, ex quo Madii, ac Marini illius memoria repetitur, inſignis Domini titulo, qui tunc præſtans admodum habebatur, ac ſplendidus: addè tot heroes, aut domi, militiæque præclaros, aut pontificijs infulis ornatos. nam de heroinis quoquè quid dicam? ex quibus Gratiola Philamarina paſtorem illum populorum, atque orbis terræ moderatorem Chriſtianæ Reipublicæ peperit, Bonifacium hoc nomine nonum. Sed vt ad propria animi tui ornamenta veniam, qua prudentia munus iſtud Antiſtitis obis? quo exemplo temperantiæ, caſtimonię, cæterarumquè virtutum? quàm inuicta conſtantia vteris in rebus gerendis? quàm rectè decorum in omni re ſeruas? cuius certè teſtes ſunt ædes iſtę Pontificię, quę cum eſſent vix Neapolitano dignę Epi-

ſcopo

Digitized by Google

scopo, feciſti eas ob magnificentiam, dignas Romano. Eminet verò inter hæc, eminet pietas in Dei Matrem Virginem ſingularis tua; nam vt omittam ædem ei à te pulcherrimè excitatam, vbi gentis tuæ memoriã tanquam nobili mauſulèo conſignaſti: pietatem certè, quam in eandem à Carmelo dictam præfers, hoc loco ſilere non debeo. Illa, Illa te, quam tam ſanctè, caſtèque colis, per tot pericula, totque caſus expedijt ſemper incolumem: nempè tot velut è fluctibus enataſti argentea illa penſili veluti concha, quàm ei in luminis vſum dedicaſti. non eſt paſſa Virgo, te violenter extingui, cui tam pretioſum accenderas lychnum. Illa implacabilem Ducem, auctoremque diſſidij tibi vni ſubiecit. Sed hæc ampliora ſunt, quàm à me poſſint perſtringi paucis. Nec tamen omittendus eſt ſingularis ille amor, ac beneuolentia, qua noſtrum Ordinem complecteris, quam certè in illa communi calamitate vt cũ maximè declaraſti, cum nos cæteris præſidijs deſtitutos ſtrenuè tutatus es, amanterque fouiſti. Quæ cum ità ſint, libellum hunc obſeruantiæ erga te, atque obſequij pignus humaniter accipere ne dedigneris; & cum inter Eccleſiæ procellas, ac turbines Antiſtitum in primis conſtantiam commemoratam leges, præclariſſimi quoque tui facti conſcientia gaude, qui te in media perturbatarum rerum diſcrimina pro tutela gregis tanta cum animi magnitudine deuouiſti. Vale, & communi Chriſtianæ Reipublicæ bono diutiſſimè viue.

SCRIP-

Digitized by Google

SCRIPTORIS
INSTITVTVM.

MOnstrum planè fuit illud immane Naturæ C. Caligula, qui Romanam Vrbem funestauit ciuium cæde. ferunt ab eius morte inuentos domi libellos duos: alteri titulus erat, & epigraphe, Gladius; alteri, Pugio. in ijs deuota continebantur præcipua capita Senatorum, & optimatium, quos destinauerat neci. Vterque titulus in hoc opus, quod de cruentis Ecclesiæ persecutionibus agit, accommodatè satis, & aptè cadere videtur: nam Gladius ad Ethnicos, & barbaros tyrannos pertinet; Pugio verò ad Hæreticos, atque alios id genus hostes: quippe hoc armorum genere nõ nisi proximè vulnus infligitur; ita Hæretici, quàm Ethnici, vicinius quodammodò vnius numinis Religionem tangunt. de ijs tamen Hæreticis hìc tãtùm mẽtio fiet, qui non modò prauitate doctrinæ eam inficere conati sunt, sed etiam internecione delere; tametsi aliquando, quòd inuiderent Martyrum gloriæ, intentatum duntaxat ferrum est, non penitùs impressum. numerantur etiam inter hostes nonnulli Cæsarum, non quòd ipsi nostros addixerint neci, sed quòd, cum impia superiorum Cæsarum decreta minimè, vt æquum erat, rescinderint, ansam magistratibus dederint exercendæ sæuitiæ. meminerunt sanè de his omnibus ij, qui sacras scripsere historias, sed non adeò distinctè de singulis locuti sunt: multa intermiscentur, quæ seriem intercidunt. hùc accedit, quod sermonis elegantiam, vt rem minimè necessariam, etiam si fortè possent, non admodum sequuti sunt: operæ pretium autem mihi visum est, tùm ad cognitionis facilitatem distinctius singula digerere, tùm ad Religionis decus aliquem adhibere in dicendo nitorem, & pudentem ornatum. libenter sequor L. Florum scriptorem elegantissimum, qui mihi videtur ad hoc genus maximè accommodatus: quemadmodum enim ille Ro-

Digitized by Google

manæ, ita ego Christianæ Reipublicæ bella commemoro: uberior tamen esse volui, quia sicut nouæ Romæ in maioribus certaminibus longè præclarior virtus est, & diffusa latius gloria, quàm veteris, ita nullas admittere potest, aut debet angustias vel in dicendo. Porrò cum ego iam pridem Encomia Cœlitum digesta per singulos anni dies in lucem ediderim, ex quibus plerique pro veritate pugnando strenuè ceciderunt; par erat, ipsorum quoque interfectores, hoc est veræ Religionis hostes proferre. Quidam certum, ac definitum numerum persequutionum, hoc est decem statuere voluerunt; at hoc commodè fieri non posse multis rectè visum est, cum tot fuerint bella, quot capita hostium; quanquam in quibusdam atrocius desæuitum. Bellatur & nostra ætate omnino egregiè cum apud Hæreticos, tum apud Barbaros: Verùm ego superiora tantùm bella, & eos hostes recensebo, de quibus eruditi scriptores, ac sacri maximè facti meminerunt. itaque ea, quæ, & superiore, et nostra ætate vel apud Hæreticos in Catholicos, vel apud barbaras gentes in Christi cultores exarserunt odia, & adhuc exardescunt, quòd nondum Romanæ cortinæ accesserit auctoritas in decernendo, his attexere non sum ausus. præterquam quod ob multitudinem rerum gestarum proprium requirunt volumen. Iam nec eos commemorabo, qui priuato odio, quamquam in Religionis causa, in aliquem optimatium improbè desæuierunt: quod egit Eudoxia Augusta in Chrysostomum ob argẽteam statuam in Circo positam; Boleslaus Poloniæ Rex in Stanislaum ob intemperantiam reprehensam; Henricus Angliæ in Thomam ob defensa iura sacrorum; sed tantùm eos, qui publicè, tanquam indicto bello, arma mouerunt. Age iam & Gladius, & Pugio è suis thecis educti, districtique, cruento spectaculo, at, si nostrorum virtutis ratio habeatur, pleno admirationis, & laudis, in medium producantur.

LAV-

Digitized by Google

LAVREATO
SS. MARTYRVM CHORO
IOAN. BAPTISTA MASCVLVS
E SOCIETATE IESV.

Θριαμβεύειν

ADmirabilem illam veſtri animi fortitudinem (inuictiſſimi Heroes, ac bellicoſiſmæ Heroinæ) quam in perferendis pro uera Religione cruciatibus, ac morte ipſa oſtendiſtis, quibus potui verbis in Encomiorum libro, quem edidi, commendare conatus ſum; reliquum erat, vt aduerſariorum impietatem, immanitatēq; acri oratione perſtringerem, ſed ſatis idoneas de ijs diuina Prouidentia pœnas vltrix ſumpſit; quamobrem hoc tantùm agam, vt monſtra illa crudelitatis velut adumbrata proponam, quò magis veſtrum robur appareat in ijs edomandis, atque frangendis: enim verò in vos tota vis Erebi, ſed fruſtra, totus ſe furor effudit; non perſtrinxit oculos teter aſpectus Tyrannorum, horrida ſupercilia minas intentantium, ac truculenta ſpecies. non exterruit vox cruentis imperijs aſpera, ira præceps, odium in bonos implacabile. inundarunt non raro ſanguine campi; integræ legiones trucidatæ; lacerata ferro corpora; diſperſa per agros feris ad paſtum: neque enim ſatis fuit impio furori

Digitized by Google

rori immittere in viuentes euocatas ex intimis Africæ luſtris belluas. quoties audita vox illa eſt in amphitheatro: Chriſtianus ad Leonem! quoties commiſſi cadaueribus viui, hærenteſque tabeſcere iuſſi! quanquam virtutis fragrantia ſpiraſtis ſuauius. quid commemorem ſquallorem carceris, exilia, latomias? ecquod verò fuit in illa veluti Cyclopea impietatis officina genus armorum, atque telorum, quod ad cruciandum expromptum non ſit? propoſita quippe ſunt vobis coram ad terrorem omnia inſtrumenta pœnarum; quarum alia vinciendi, conſtringendique vſum haberent; compedes videlicet, pedicę, fidiculæ, nerui, manicæ, boiæ, catenæ; numellæ: cum tamen eſſetis inter hæc ſoluto animo, liberoque. alia ad exulcerandum valerent, vngulæ ſcilicet, vnci, pectines, ſcorpij, nouaculæ, forcipes, ſerræ, terebræ, ſtimuli, qui tamen erant incitamenta virtutis; adde flagra, virgas, lora, ſpinoſos fuſtes, hamatos vngues, ac plumbeos globulos pectori, tergouè impactos. quoties nobiles, & auguſtales viri lictoriæ virgæ ſtrepentem ſonum, ignotum gentilium veſtrorum humeris, excepiſtis! cui tamen ſono tanquam modulato, ac numeroſo reſpondiſtis tripudio cordis. ignis verò quot, & quàm diris modis in vos exarſit? huc enim ſpectant ollæ, ſartagines, crates, lebetes, ardentes laminæ, faces, lampades, ignitæ tunicę admotæ corpori; huc galeæ, crepidæ, claui, obeliſci, ferrei lecti item igniti, denique ænei tauri igne ſub iecto. quid illa monſtra pœnarum, equulei, cataſtæ, tympana, torcularia, trochleę, cochleæ quàm vos dirè vexarunt? at verò acuti calami

inſerti

Digitized by Google

inserti vnguibus quàm acri doloris morsu desæuierunt? nisi quod ijs calamis inscribebantur à vobis in trophæis tituli victoriarum; quem item vsum habuere inscripti quandoque vultus vestri non seruilibus, sed triumphalibus notis. illo, illo, inquam, cruento calamo, non hoc nostro, tantæ virtutis, ac fortitudinis monumenta inscribi deberent. Porrò quid in horridis cruciatuum instrumentis commemorandis demoror? quãdo & mella in acerbissima transiere supplicia; quippe nonnunquam oblitis melle corporibus, atque ad Solem nudis expositis, apum, ac fucorum aculeos excepistis, tametsi aculei illi acuere constantiam: frustrà verò mel extrinsecùs adhibitum ad pœnam, cum nullum fuerit cruciatuum genus, in quo animus vester incredibili suauitate non perfunderetur intrinsecùs. huc illa Tyrannorum tanta feritas recidit. scilicet seruierunt vestræ vel voluptati, vel gloriæ; cesserunt in trophæa, instrumenta pœnarum. ducti sunt tanquam in triumphali pompa captiui, qui crudeliter in uos exarserũt nonaginta & amplius Reges, ac Cæsares; ductæ, quæ præter alia incõmoda, in Religionẽ impiè mouerunt arma, integræ nationes, Iudęi, Gotthi, Hũni, Vãdali, Longobardi, Dani, Northmanni, Arabes, Agareni. ducti insuper qui in ipsam (infestissimum genus hostium) non modò vipeream, ac sacrilegam linguam acuere, sed ferrum: Ariani videlicet, Manichęi, Donatiani, Eutychiani, ac ceterę perditorum sectę. adeò labefactare cõstantiã nulla vis potuit. imminebat ceruicibus cũ securi lictor, robur animi minimè nutabat.

Et vt

Digitized by Google

Et vt cum lyrico Poeta loquar:

, Duris vt ilex tonsa bipennibus
, Nigræ feraci frondis in Algido
, Per damna, per cædes, ab ipso
, Ducit opes, animumque ferro.

Sed moram ponere tantæ virtuti non libet. euocabo velut è bustis hostes vnà cum armis suis. iam vos mihi prosilire videmini acres ad pugnam: collata sũt signa, inter se commisse sunt acies. solùm hìc haudquaquam dubius est euentus belli. licet iam cuique pęana pręcinere, ac designatorem esse certi triumphi.

SCRIPTORES

Quos Auctor consuluit in hoc opere.

Eusebius
Sozomenes
Socrates
Nicephorus
Euagrius
Augustinus de Ciu. Dei
Gregorius Naz. in Iulianum
Gregorius Turonensis
Gregorius Magnus PP.
Sigebertus
Sabellicus
Cedrenus
Zonaras
Scriptores Cæsarum: Suet. Lampr. Ammianus, &c.
Victor Vticensis
Eulogius
Martyrologium Romanum
Menologium Græcum
Baronius
& alij.

CATA-

Digitized by Google

CATALOGVS
PERSECVTIONVM
ECCLESIAE

IVdæorum, & Herodis Agrippæ. pag. 2.
Neronis Imperatoris. *Prima ex decem præcipuis.* pag. 7.
Domitiani Imperatoris. *Secunda ex decem præcipuis.* pag. 11.
Traiani Imperatoris. *Tertia ex decem præcipuis.* pag. 12.
Hadriani Imperatoris. pag. 16.
Iudæorum altera. pag. 19.
Sub Antonino Pio Imper. pag 23.
M. Antonini Veri, & Lucij Veri Imperatorum. *Quarta ex decem præcipuis.* pag. 24
Sub Commodo Imperatore. pag. 27.
Septimij Seueri Imperatoris. *Quinta ex decem præcipuis.* pag. 19.
M. A. Macrini, & Alexandri Impera-

Digitized by Google

peratorum. pag. 31.
Iulij Maximini Imperatoris. Quædam de Gordiano Imp. *Sexta ex decem præcipuis.* pag. 33.
Decij Imperatoris. *Septima ex decem præcipuis.* pag. 35.
Galli,& Volusiani Imperat. pag. 38.
Valeriani, & Gallieni Imperatorum. *Octaua ex decem præcipuis.* pag. 39.
M. A. Claudij Imperatoris. pag. 42.
Aureliani Imperatoris. *Nona ex decem præcipuis.* pag. 43.
Sub Probo Imperatore pag. 48.
Numeriani Imperatoris; Quædam de Caro,& Carino Imper. pag. 51.
Diocletiani Imperatoris. *Decima ex præcipuis.* pag. 53.
Maximiani Herculej Imper. pag. 64.
Galerij Maximiani Imper. pag. 70.
Maximini Iouij Imperatoris. pag. 72.
Maxentij Imperatoris. pag. 81.
Valerij Licinij Imperatoris. pag 89.
Tiridatis Armenię Regis. pag. 94.
Saporis Perſarum Regis. pag 98.
Arianorum. pag. 103.

Con-

Digitized by Google

Conſtantij Imperatoris Ariani, pag. 112.
Iuliani Apoſtatę Imper. pag. 115.
Donatianorum pag. 61.
Valentis Imperatoris Ariani pag. 165
Iuſtinæ Auguſtæ. pag. 174.
Athanarici Gothorum Regis. pag. 176.
Iſdegardis Perſarum Regis. pag. 179.
Godorani, ſeu Varanę Perſarum Regis. pag. 181.
Eutychianorum pag. 184.
Zenonis, & Baſiliſci Imperatorum, pag. 185.
Anaſtaſij Imperatoris. pag. 190.
Cabadis Perſarum Regis. pag. 198.
Alamundari Saracenorum Principis. pag. 200.
Dunaani Homeritarum Regis. pag. 203.
Vandalorum. pag. 205.
Genſerici Vandalorum Regis Ariani. pag. 207.

Digitized by Google

Hunerici Vandalorum Regis Ariani. pag. 210.
Trasamundi Vandalorum Regis Ariani. pag. 220.
Euarici Gothorum Regis Ariani. pag. 223.
Alarici Gothorum Regis Ariani. pag 224.
Theodorici Gothorum Regis Ariani. pag. 326.
Habdalæ Saracenorũ Reg. pag. 228.
Longobardorum. pag. 230.
Attilæ Hunnorum Regis. pag. 234.
Totilæ Gothorum Regis. pag. 236.
Iustiniani senioris Imper. pag. 239.
Theodoræ Augustæ. pag. 241.
Fredegũdis Suessonũ Reginæ. p. 243.
Chosroę Senioris Persarũ Reg. p. 244.
Chosroę iunioris Persarũ Reg. p. 246.
Leuigildi Vuisigothorum Regis Ariani pag. 249,
Branchilidis Reginæ Franc. pag. 252.
Theodorici Regis Francorũ, & Ebroini. pag. 253.

Con-

Digitized by Google

Conſtantis Imp. Monothelitæ. p. 254.
Iuſtiniani Iunioris Imperat. pag. 257.
Philippici Monothelitæ. p. 258.
Leonis Iſaurici Imperatoris Iconomachi. pag. 259.
Haumari, Zezici, Eueladis, Madis, Aaronis, Saracenorum Regum. p. 262.
Conſtantini Copronymi Imperatoris Iconomachi. pag. 266.
Conſtantini Imp. Leonis filij. p. 269.
Nicephori Imp. Manichæi. pag. 270.
Grũni, & Zoci Bulgariæ Regũ. p. 172
Leonis Armeni Imp. Iconom. p. 272.
Michaelis Balbi Imp. Iconom. p. 275.
Theophili Imp. Iconomachi. pag. 276.
Michaelis Imperatoris. pag 278.
Danorum. pag. 280.
Nortmannorum: pag. 281.
Arabum, eorumque Regum: Abdaraghami, Machumadis, &c. p. 283.
Saracenorum: pag. 286.
Taicoſamę Iaponię tyranni. pag. 287.
Perſecutionum Eccleſię Anacephaleoſis: pag. 288.

Fran-

Digitized by Google

Franciſcus Maſcambrunus P. Prouincialis Societatis Ieſu in Regno Neapolitano.

CVm librum, cui titulus (Gladius, ac Pugio Impietatis, ſiuè, Perſecutiones Eccleſiæ cruentæ) P.Io.Baptiſtæ Maſculi, noſtræ Societatis Sacerdotis, tres eiuſdem Societatis Theologi recognouerint, & in lucem edi poſſe probauerint, poteſtate mihi ab adm. R. P. N. Franciſco Piccolomineo Præpoſito Generali facta, facultatem concedimus, vt typis mandetur, ſi ijs, ad quos pertinet, videbitur. In quorum fidem has literas manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus. Neapoli 5. Nouembris 1650.

Franciſcus Maſcambrunus.

IMPRIMATVR,

Gregorius Peccerillus Vic. Gen.

D. Ioſeph de Ianuarius Deput.

Illuſtriſſ. & Excellentiſſ. Domine.

REuer. Patris Ioannis Baptiſtæ Maſculi Societatis Ieſu librum, qui nuncupatur (Gladius, ac Pugio Impietatis, ſiuè Perſecutiones Eccleſiæ cruentę,) perlegi; & quia in eo, nil, quod aduerſetur bonis moribus, neque Regiæ Iuriſdictioni, reperi; ideò poſſe typis mandari, V.E. refero. Neap. die 21. Decembris 1650.

Dominationis ſuę Illuſtriſs. & Excellentiſs

Seruus humillimus
V.I.D. Ioannes Franciſcus Lombardus Can. Dep.

Viſa ſupraſcripta relatione IMPRIMATVR.

Zuſia Reg. Caſanate Reg. Capicius Latro Reg. Garcia Reg.

Digitized by Google

DE PERSECVTIONIBVS ECCLESIAE CRVENTIS VNIVERSE.

VIx dum Christiana Religio tanquam è portu soluerat, ac velificari cœperat, Oceanum transmissura; cum statim undæ quędam quasi conflictu ventorum eommotæ, atque iactatæ efferbuerunt; tametsi ad quemçumque bonorum sunt illo furoris æstu, & agitatione delatæ, velut ad saxum elisæ resilierunt: quò immanius intumuerunt fluctus, eò altius extulerunt nauim. innumerabiles penè fuerunt tempestates varijs quasi turbinibus concitatæ, sed eas tantùm commemorabimus, quæ maiore quasi cum sonitu, ac fragore sæuierunt. ac fuit quidem illud tempus experimentis speciosius, quàm supplicijs atrocius: sic tonuerunt procellæ, vt cotuscando nostrorum virtutem alijs conspicuam fecerint: etenim cum Cæsares, Reges, dynastæ, præfecti nouis edictis, ac toto impetu crudelitatis irruerunt, tunc maximè apparuit illa nostrorum virtus egregia, solo Numine tuente constantiam: agere gratias, si fas est, hostium immanitati libet: quippè ferrum illud quid aliud egit, quàm quod falcis instar messuit gloriam? quid flamma, nisi quod & crepitu quodammodo plausit, & vibrantibus linguis declarauit inuictos? quid verò machinæ rotarum? quid leones amphitheatri? quid cetera supplicia egerunt, nisi quod, & currum, & totam illam triumphi pompam adornarunt? quot, & quàm opima Erebi spolia, quot Deorum simulacra

Digitized by Google

lacra ducta? quæ aliquando vel solo aspectu, vel solo spiritu; atque afflatu deturbarunt ex aris. quoties Iuppiter, qui dictus est Stator, corruit stratus? illi ipsi maiorum gentium *Dij* dicti, quàm parui habiti? illa magna Deorum Mater, vt tota, cum prole iam perijt? quis non iure miretur triginta millia Deorum, ac trecentos Ioues, quos Varro commemorat, monstra prorsus immania, à nostris tam breui, tam strenuè fuisse confecta? & tamen Tyrannis, ac dynastis sicut animus fuit efferatus in nostros, ita & vultus ipse armatus maiestate, & districta supercilia potuerunt esse terrori; sed nimirum omnem illam Cæsarum, Augustorumque ferociam exarmauit horum virtus, & fortior, & augustior. quàm multi sæpe conferto agmine deuouere se neci? quamquam non vt olim more deuotorum, velato capite, sed aperto, vt frontis appareret hilaritas. iam belluarum terror exoleuerat; iam ferri acies hebescebat. quot vulnera corporum, tot trophæa constantiæ. plus è vulneribus gloriæ, quàm sanguinis manauit: inter fanorum ruinas, ac Deorum strages immortui sunt: relictus est in exanimatorum quoque vultibus ardor animi; spirabat sine spiritu vigor: & miramur tam præclara indole virtutis, vel tot elusa fuisse supplicia, vel victos erubuisse in alieno cruore magis, quàm in sua purpura Cæsares? sed hæc propiùs intueamur.

PERSECVTIO IVDAEORVM ET HERODIS AGRIPPAE.

Anno Christi circiter 16. & 34

PRimam in Christianam *Religionem* belli facem Iudæus accendit; enimuerò gens præfracto ingenio statim exarsit ad confringendum nimbo saxorum primipilum Stephanum. appetita est Religio lapidibus, antequam ferro: accepit omen: suffecta est materies ingentis substructionis ad fastigiũ gloriæ. à funditoribus primùm est oppugnata, sed qui fũda missi sunt lapides, cũ sãguis innocẽtis feciſſet eis pretiũ, cesserunt in fundamentum. at verò non aduertit animum natio, nec cogitauit, eius fundæ more se per Orbem terrarum circumagendam; & cum tantam vim lapidum quæsiuit ad necem

Digitized by Google

cem illius, non meminit minarum, fore vt augusti Hierosolymitani templi nè vestigium quidem relinqueretur, hoc est, ne aceruus quidem lapidum. scilicet post elicitam sibi olim ex icta petra aquam, petrarum ictu non dubitauit elicere sanguinem. audita tamen non est vox illa Romani Ducis solita in bello: Parce eiui; sed insolita eius, qui necabatur: Parce hosti. nempe hic imitatus est eum Imperatorem, qui, ne iustitia parricidis diceret diem, moriens offusis tenebris abstulit diem. nouum Stephanus aperuit iter cæteris ad victoriam, semita sui sanguinis. quàm præclarus hic heroicos fuisse dicendus est, cui tam facilis, & expeditus fuit cursus ad gloriam, etiam inter lapides? quàm pius, cui tam liquida vox, & mollis excidit inter saxa? oppositit inuidiæ liuori sui corporis contusi liuorem. At non destiterunt postea Iudæi facere se reos; sæuierunt etiam ferro. exacuerunt Herodem, vt Iacobi ceruicibus impingeret secures; alterum item Iacobum lapidibus obruerunt, egeruntque præcipitem è culmine eius delubri, cuius irreparabiles ruinas etiamnum dolent. Quid mirum, quod multa præcurrerint ad exitium monstra, atque portenta genti tam monstrosæ, ac portentosæ perfidiæ? quod exarserit cælum nouo armorum genere ad perniciem, quasi cum armato in terris hoste conspirans? discurrere enim visæ sunt miro, horrendoque spectaculo per aerem equitum turmæ; nactus scilicet est exercitus ille amplissimum campum: prodijt apertius in Solem, tametsi non in puluerem; quamquam ominosus ille fuit aspectus excidio, ac pulueri Ciuitatis; adde aciem coruscantis gladij, qui toto prope anno arsit impendens iugulis omnium, Cometes videlicet Xiphius, ensis specie turbinati in mucronem; distrinxit in Iudæos gladium Cœlum, antequam Roma. scenicus quidem fuit in aere, atque vmbratilis apparatus belli, sed vera in terris data est tragœdia eius gentis, quæ ob infame probrum abijt in fabulam: adeò vbi destinatum, ac debitum fulmen in iusta Dei exardescentis indignatione, quasi nube conflatum est, in ipsam irruens, perfregit omnia impetu, atque cõminuit; nã præter nonaginta millia hominum iugo subiecta, dederunt iugulum ferro, & consumpta sunt fame vndecies centena millia. demum Vespasianus, ac Titus Imperatores ingressi sunt Romam onusti illorum spolijs; insigne spectaculum fuit, in primis parentem

Digitized by Google

ac filium vno, eodemq; triumphali curru vectos retuliſſe victoriam de ea gente, quæ Deo tum parenti, tum filio per ſummã impietatem intulerat probrum. At verò Agrippa, qui licet extranei ſanguinis, tamen vt Iudæis placeret, Chriſtianum ſanguinem fudit, nec ipſe abijt impunè: ſcaturigo enim Chriſtiani ſanguinis, quem elicuit, repẽſa eſt ſcaturigine vermium, qui ex eius corpore ebullierunt. vlti ſunt hi ſæuiſſimè, & depaſti crudeli morſu impij hominis membra. extabuit lectulo affixus, & alligatus durioribus morbi catenis, quàm quibus deuinxerat Petrum in carcere. fuerat hic ipſe Agrippa, quod inconſultè nimis Tiberio mortem, Caio imperium exoptaſſet, eiuſdem Tiberij iuſſu addictus carceri vſque ad illius obitum; tũc à Caio nõ modò catena ſolutus eſt ferrea, ſed donatus aurea, nec tamen eiuſdem pretij, quanti nunc eſt illa Petri ferrea, qua eum fruſtrà conſtrinxit, mox ab vno Cælitum liberè abire iuſſum.

QVAEDAM DE IIS, QVI NERONEM PRAECESSERVNT, AVGVSTIS.

NEmo Cæſarum ante Neronem quicquã aduerſus Chriſtianam Religionem egit immaniter; nam vt ab eo tempore incipiam, quo poſt triumphalem noſtri Liberatoris aſcenſum in Cœlum, illa ſe explicare per Orbem terrarum longè, latequè cœpit; Tiberius certè licet tranſmarinis Religionibus fuiſſe dicatur infeſtus, tamen hoc ipſo viam ſtrauit veræ, quòd circa falſorum Deorum cultum, vti narrant, negligentior fuerit. præterea quòd oblata ſibi quaſi Deo templa, atque flamines, & illam ipſam Domini appellationem non minus ſeuerè, quàm Octauianus Cæſar, à ſe reiecerit; ſed illud illuſtrius, quod cum Palæſtinæ Præſes certiorem ipſum feciſſet de noſtri Aſſertoris actis, atque prodigiis, Tiberius cum ſuffragio præcipui fauoris à Senatu contenderit, vt ille haberetur Deus; niſi quod Senatus indignatione commotus, quod delata res prius non eſſet ad Curiã, vt de ſuſcipiendo nouo cultu ipſe decerneret, apotheoſin denegauit. Ex patribus verò

An. Chriſti 34.

Scia-

Digitized by Google

Seianus maximè obstitisse dicitur; sed in promptu fuit pœna, quippe mox plurimi Senatorum à Tiberio variis criminationibus proscripti, & ad mortem coacti. Seianus in primis nouarum rerum molitor, & contemptor noui apud ipsum Numinis interfectus est.

Quid Caius Caligula? cum esset homo omnium flagitiosissimus, atque sæuissimus, in recentē tamen religionem, de qua iam anteà sub Tiberio fama percrebuerat, & in Senatu reclamantibus patrum sententijs actum, ferrum distringere non est ausus. & tamen quantum expalluit Roma illa furiali voce, cum Caligula exclamauit, vnum se habere votum, vt populus Romanus ceruicem haberet vnam, quam videlicet posset vnico ictu ferire? hic ceruices nostræ gentis, quæ per Orbem terrarum disseminari iam cœperat, ferro non attigit. reperti sunt post eius mortem libelli duo, vt initio dictum est, quorum alteri Gladius, alteri Pugio erat inscriptio; neutrum tamen distrinxit in nostros. inuenta item arca est apud ipsum compluribus referta venenis, quibus statim Cæsaris iussu demersis, infecta maria traduntur, non sine ingenti piscium clade; ex tanta igitur veneni vi, quę maria quoque corrupit, nihil in nos redundauit. sæpe etiam Caligula conquestus est de conditione suorum temporum, quod nullis calamitatibus publicis insignirentur; adeò germina illa nascentis Religionis rerum humanarum agitationibus pręualuerunt, vt Caligulæ crudelitas inaudita magis potuerit clades cupere, & quęrere, quā inuenire. Serui antea peruicaces, & fugitiui gladiatores perterruerant Romam, euerterant Italiam, omnia ferro flammisque vastauerant; at cum primùm Christiana Religio alumna pacis apparuit, quietem publicam Orbis terræ conuellere non potuit, vel Caligulæ monstrosa sęuities. ac certè mirum est, quòd, qui multa comminari solitus esset etiam ipsi Ioui, nihil minarum in Christianos effuderit; quippe insusurrabat subinde nescio quid Iouis simulacri auribus in Capitolio; auditus est aliquando iurgia in eum edens, ac minas illas intendens Græci carminis. ὡς γαῖαν Δαναὸν παραδοὺς. Vel hoc ipso Religioni quodammodo fauit verę, quod spreuit falsum. In Iudæos quidem, qui recenti adhuc Dei sanguine manus habebant imbutas, Caligula sæuiit, in Præsidem maximè, qui eum addixit morti: quippe ob malè administratam Palæstinæ

An. Christi circiter 41.

pro-

Digitized by Google

prouinciam, tam acerbè ipsum exagitauit, cò que redegit, vt suis sese ille transuerberauerit manibus: ita iniquus Iudex, manus, quas frustrà abluerat aquis, quasi diuini cruoris immunis, cruore infecit suo.

An Christi circiter 50.

Consequutus est Claudius, cuius imperio Princeps religionis Petrus arcem illam omnium gentium intrauit Vrbem. Piscator humilis, atque pannosus nō exhorruit Curię purpuram, non expalluit aspectu fascium, atque securium; non illum prætexta, non trabea, non latus clauus, non denique ipsa Vrbs tot Regum dicta, quot ciuium, stupefecit; & erat eidem huic viri hoc propositum, tam multa, tam operosa Deorum fana, atque delubra euertere funditùs, disturbare aras, abolere ritus, innumerabilia penè simulacra diffringere; ipsum quidem intuadere Capitolium, & Christianę Religionis referre trophęa victricis. quid multa? potitus est voto: tunc primùm illa Roma, quæ catenatos viderat ante triumphantium currus exteros Reges bello captos, victa est ab inermi, & ab eo, qui antea Hierosolymis catena deuinctus fuerat, sed solutus diuinitùs, lætata est, se factam esse captiuam, sensit enim statim fidei suæ beneficium: quippe ciuilis belli periculo se statim explicauit non sine prodigio; siquidem Furius Camillus Scribonianus Dalmatiæ legatus bellum ciuile molitus, legiones multas, fortissimasq; ad sacramenti mutationē pellexerat; verū die dicto, quo die in vnū vndiq; ad nouū Imperatorē cōueniretur, neque aquilæ ornari, neq; conuelli quoquo modo signa, moueriq; potuerunt; visum est sapientibus è nostris, ciuile bellum, quo nihil tristius, ac pernicioſius semper Vrbi fuit, propulsatum propter Petri aduentum, ne sacra illa religionis germina, quæ tunc ptimùm eruperant, subita procella percellieret; submiserunt quodammodo alas victrices aquilæ nostro principi, Ionæ, hoc est columbæ filio; & tanquam in solida, stabilique petra, defixæ hastæ, atque signa steterunt immota. porrò vt quasi nascenti religioni verè augustæ amplius pararetur imperium, seruiuit eius gloriæ quamuis nesciens Claudius ipse Cæsar, cum vlteriora Orbis terræ claustra perfregit, transuectusque in Britanniam est, quàm Iulius Cæsar occupare non potuit. nimirum iam tum quæsitæ sunt Britannici Oceani margaritæ, quibus tiara Romani Pontificis ornaretur. Orchadas etiam insulas ipso Oceano circumfusas ditioni adiecit; in

hec

Digitized by Google

hoc tantùm Claudius visus est minimè nostris fauisse rebus, quod omnes peregrinæ religionis homines abesse ab Vrbe iussit, Iudæos in primis; quamobrem suspicio certè iniecta est, quod Romam interdixerit etiam ceteris veri Dei cultoribus; abstinuit tamen cæde.

PERSECVTIO NERONIS IMPERATORIS.

NEro primus Cæsarum Christianum sanguinem hausit. hic ille Nero non sine præfatione crudelitatis nominandus. quid in illo irato non dirum, & ominosum? cuius vel pacati mensa è cælo tacta non caruit fulmine. quid ab illo non metuendum? cuius ne tripudia quidem sine trepidatione Naturæ fuerunt; trepidatum enim est Neapoli, cum pedibus saltantis pulsa tellus intremuit; communis parens, vel leuem pedum ictum grauata exhorruit, matricidæ etiam ludij; nempe timuit eos calces, quibus semel impactis in Poppeam coniugem Augustam intulit mortem; sed magis impius, quod calces in Religionem impegerit augustissimam; penè labem tunc fecit conuulsa tellus sub tanta labe vitiorum. excussit à se monstrum, cum se concussit; tantùm non trepidauerunt nostri, quia nihil ijs commune cum terra. Quid quod eius tempore flumina ipsa retroacta dicuntur? fortasse vera, ne inficerentur sanguine; at nostri homines non modò non inierunt fugã, sed occurrerunt etiam irato. Inuentæ sunt circa eius cerulces non sine domesticorum horrore, serpentis exuuiæ, quas in dextero brachio aureæ armillæ inclusas aliquandiu gestauit, ac demum abiecit, cum ipsum sæuitia iam feciſſet anguem. in aurea quoque pyxide venenum habuit exitiale, non tamen æquè, ac illud quod habuit in corde: frustra in Paulum sæuire aggressus est, qui inhærentem sibi viperam excussit impune in ignem. piscari solitus est Nero hic aureo reti, ac purpurea linea, sed incidit in piscatorem Petrum, qui vili ad speciem reti aurum, ac purpuram, hoc est Reges ipsos, ac Dynastas excepit. submisere se piscatori fasces, trabeæ, curules, prætextæ palu-

An. Christi circiter 66.

paludamenta, triumphales quadrigæ, togæ pictæ, tunicæque palmatæ, denique omnia decora, atque insignia, quibus eius imperij dignitas eminebat. non obfuit obscuritas generis illi, qui vel vmbra clarus sua ad prodigium fuit. Iam Nero cum fæuitiam fatigasset in matre in primis, ac patria, conuersus est in nostros; eos ferarum tergoribus induit, atque inuoluit, tum venaticos immisit canes; sed cum illos induit leonis spolio, Hercules fecit, quorum cõstantia quasi claua est domitus: alios oblitos pice, ac cera, quasi lychnuchos in usum nocturni luminis accendit: quid non modò immanius, sed stultius? videlicet, quorum inobscurare nomen, & quibus volebat eripere vsuram lucis, eos vertit in flammas; ijs quasi funalibus religioni, quàm à se ferro sublatam falsò putabat, visus est parentare. at verò nunquam nox fulsit illustrior, quàm cum nouis illis aucta siderum ignibus fuit: scilicet hoc ijs crimen obiecerat, quod ipse patrarat, incendium Vrbis. Iliadem ipse interea tragico habitu non cecinit modò, sed fecit: ac verè Neronis acta, Ilias fuit malorũ, vt est in adagio. nihil tamen in illo tàm absonum, & absurdum, quàm quod sono delectaretur, & cantu; didicit vocem flectere, non animum; vocem acuere, sed magis ferrum; modulari in odeo, at modum in supplicijs seruare nullum: librare se saltu, at nullo libramento vti iustitiæ. cãtauit Nero hic in primis Orestem matricidam, & Oedipodem excæcatum. certè nihil aptius: non mimum tunc egit, sed talem verè se præstitit, quippequi & matrem necasset, & cæcus ferretur tum ira, tum libidine. tantam verò curam furialis illius vocis suę habuit, vt plumbeam gestare soleret in pectore laminam, nempe qui & plumbeum cor in pectore haberet: & ille ipse pugio, quo religionem ferire conatus est, quid nisi plumbeus fuit? adeò constantia nostrorum facile retusus est, & hebetatus: potuit quidem ceterorum hieronicarum memoriam abolere, nostrorum non item: cum enim extabesceret inuidia, vt solus ipse haberetur in certaminibus victor, omnes victorum in Olympijs statuas, atque imagines euerti iussit; nostros contra hieronicas, Petrum in primis, ac Paulum vel inuitus extulit ad gloriam. vnum ex domesticis suis, quem pro religione tradidit neci, Torpetẽ nomine, re, ac factis impigrum sensit; ac potius in eo cruciando flammam miratus est sine noxa torpentem. Ipso quoque imperante data sunt

illa

Digitized by Google

illa licèt immania, tamen constantiæ præclarâ spectacula: Thecla ignem vicit, & belluas. Basilissæ, & Anastasiæ generis splendore clarissimis excisa lingua, libera vindex Religionis: Processo, & Martiniano post Mamertinum carcerem teterrimũ, os illud veritatis insigne præconio contusum, & fractum est saxo; admoti corpori scorpiones ferrei, admotæ lateri faces. nactus est autem Nero satis idoneos crudelitatis suæ ministros, Artoclem videlicèt inter cæteros: hìc in Dianæ celebritate cum Ethnici, tanquàm Hecates furore correpti, irrumperent in sacram ædem, arasquè euerterent; interriti verò nostri Deum precando persisterent, flagris eos acerrimè cædi iussit; & quod barbaræ planè sæuitiæ fuit, tumulari viuos, Philemonem scilicèt, Archippum, & Aphiam. Nec minor Anolini Præsidis immanitas, qui Nazarium, & Celsum puerũ in ipso ætatis flore (quanquam, & alteriùs quoquè nomen est floris) ferro, quasi falce demessuit: Deniquè Nero ipse, & conscientia maleficiorum, & horrificis quibusdam antè necem spectris consternatus obtorpuit: nihil quiete habuit inquietius; dormiens se in arctissimum carcerem trahi vidit; pennatarum quoque formicarum multitudine innumerabili se oppleri, qui videlicèt omnium gentium, ac Religionis ipsius parentes necarat; præterea moriens tremore terræ, ac fulgure exterritus se ipsũ meruit habere lictorem; ferunt, dum animam efflaret, nihil fuisse eius oculis horribilius extantibus, ac monstrosè rigentibus, quos videlicèt oculos pauerat incendio Vrbis, ac cæde nostrorũ; ac ne fortiter caderet, impetrauit ab alio, cum ipse exhorruisset id facere, vt altius adigeret telum.

QVÆDAM DE GALBA, OTHONE, VITELLIO, VESPASIANO, AC TITO IMPERATORIBVS.

EXtinctis duobus Orbis terræ luminibus Petro, Pauloquè, horribilis se caligo temporum offudit; nàm adhùc viuẽte Nerone, subsequente autumno, tanta Vrbi pestilentia incubuit, vt triginta millia funerum in rationẽ Libitinæ venerint. *An Christi circiter 71.*

Digitized by Google

Ad hæc Britanica è vestigio clades accidit, qua duo præcipua oppida magno ciuium, sociorumquè malo direpta sunt: adde Romanas legiones sub iugum Parthicum missas, ac tres Asiæ nobilissimas vrbes, Laodiceam, Hierapolim, Colossen terræmotu collapsas: Ità Petro quasi fundamento ablato, statim moles ipsa Orbis terræ nutauit; deinceps verò dissidijs ciuilibus immaniter, ac turbulentè sæuitum: nàm ex Hispania Galba surrexit, qui vix septimestre post Neronem occupauit Imperiũ; quo iugulato, Romæ Otho, Vitellius in Germania, Vespasianus in Syria Imperia simul, atque arma rapuerunt: & Otho quidèm paullò post cum sinistro Marte pugnasset, mortem sibi ipse consciuit: Vitellius itèm octauo, quàm in Imperium irrepserat, mense, apud Gemonias scalas crebris ferri ictibus excarnificatur, atque in Tyberim vnco tractus interijt: ità Roma luit statim recentes Christianæ Religionis iniurias; ac tot clade Regnorum iustitiæ litatum est. illæ aquilæ, atque signa, quæ vti dictum est, inemte Vrbem Petro, ad excitandum ciuile bellum, quod per Scribonianum parabatur, miro prodigio, nulla vi conuelli, atque humo extrahi potuerũt; hinc post nostros à Nerone interfectos, statim emota toto se terrarum Orbe soluerunt; meritòque inexpiabile paricidium, quo Religionis Principes impiè Romæ necati sunt, cædes Romanorum ipsorum Principum, ac Cæsarum est consecuta. Nihil autem à tumultuarijs illis Imperatoribus, tam breui tempore in nostros, sed in se ipsos sæuitum est: nequè Vespasianus, ac Titus, ad quos posted peruenit Imperium, quicquam immane moliti sunt; quanquam enim Apollinarem sanctissimum præsulem ijs Imperantibus interfectum esse legimus; id Iudæorum potius inuidiæ, atque impiorum immanitati tribuendum videtur. quod autem ambo hi Principes in Iudæos exitium comparauerint, id à nobis facit: vlti enim sunt, quanquam aliud agẽtes, magni Liberatoris nostri indignissimã necem, vlti aliorũ etiã, vt Stephani, ac Iacobi: extingui ea gens, tunc maximè debuit, cũ maximè Religionis efflorescentis gloriæ inuidebat: ac Tito quidem imperante nõ modò vera Religio vexata, & attrita non est, sed varijs euentibus, sæpè prodigijs ad eam capessendam iter est stractum: nam Vesuuius Mons horribile illud incendium eructauit: quo tempore cum quidam Religionis

exper-

Digitized by Google

expertes quærerent à nostris, ecquidnam sibi vellet illa vis tacta flammarum, audierunt, imaginem eam esse à Deo constitutam immortalis ignis, quo fontes fruuntur Manes, præsertim ij, qui naturæ auctorē, à quo illa fiebant, noluissent agnoscere. quid quod sub eodem Tito, hoc est anno posteriore in ipsa Vrbe Roma nullius opera horrendum è Terra incēdium extitit? quo multa ædificia conflagrasse dicuntur, sed in primis præcipua Deorum templa, hoc est Iouis, Neptuni, Serapidis, Isidis, & Pantheon ipsum: vt commune domicilium, oppressis Dijs omnibus cesserit in sepulchrum.

PERSECVTIO.

DOMITIANI IMPERATORIS.

MItia igitur omnia ferè sub Vespasiano, & Tito Religioni fuerunt, donec Domitianus acerbius quàm quod fratri propinarat venenum, in nostros euomuit: hic altera fax, & portio Neronis dictus, immò Nerone sæuior habitus: crudelis ille, sed oculos crudelitati subtraxit, si minus animū: imperauit scelera, non spectauit; præcipua sub hoc calamitas, aspicere, & aspici, cum denotandis miserorum palloribus (nostros excipio semper intrepidos) sufficeret teter ipsius vultus, & districtum supercilium. nihil Domitiano magis indomitum; sola constantia nostrorum domari potuit. Insectatus est eos, qui genesim haberent regiam: quid igitur mirū, quod inuiderit Religioni subijcienti sibi nationes, ac regna? Metiū quēdam interfici iussit, eo tantùm nomine, quod Orbem terrarum depictum haberet, veritus nè quem descripserat, sibi adscriberet; ac nè aliquando gestaret manu globum, quem gestiebat contemplari oculis: itaque Religionem etiam, quæ iam omnes sibi Prouincias, atquè Imperia vendicare cœperat, aggressus est extinguere: sed vano se labore consumpsit more araneorum; nempè hoc fuisse dicitur eius studiū, captare muscas, & stylo præacuto configere. ad hoc paullatim per omnes scelerum gradus creuit, vt veri Dei cultum, vbiq; gentium confirmatum crudelissimi belli edicto conuelleret. quinimmò eo prolapsus est audaciæ, vt Diuinos sibi vsurparet

An. Christi circiter 92.

Digitized by Google

honores, qui humanis erat indignus: parum ei fuerat Senatum, Populumque laniare, & malè circumacto exercitu, sub nomine superatorum hostiũ, de extinctis legionibus triumphare, nisi ferrum madens cruore suorum distringeret in nostros: cum aspersas Romano sanguine aquilas retulisset, conatus est etiam cælestem illam, atque immortalem aquilam Ioannem perdere: in Pathmum insulam relegauit; sed ei, cui Vrbem clausit, superior patuit Mũdus, quo est elatus mente, cum patria illa Cælitum se ipsi visendam obtulit in augustissimæ Vrbis speciem conformata, in qua calcatur aurum, cuius ex vnionibus constructa sunt mœnia. Ferunt antè Domitiani necem cubiculum eius tactũ fulmine, immò verò octo ipsos menses arsisse cœlum, ac tot fulgùra facta, nunciataque, vt ipse conscientia scelerum percitus exclamauerit: Feriat quẽ volet: quid mirum? cum ei aquam, & ignem intet dixerit, qui filius tonitrui dictus, idemque aquila gestatrix fulminis. frustra ædem excitauerat Ioui, quem etiam custodem appellauit, cum eius fulmen haberet aduersum. Nec tantùm exercuit crudelitatem in exteros, sed in suos: Flauiam enim Domitillam, Flauij Clementis patruelis sui Romani Consulis ex sorore neptem ab Vrbe fecit extorrem, vnà cum pudoris custodibus Nereo, Achilleoque, quos deindè flamma fecit illustres. ac ne Domitianus à Phalaride vinceretur sæuitia, vir sanctissimus Antipas in candentem bouem est inclusus, quid quod per crudelis edicti ministrum Festenninũ, lumen illud Græciæ Areopagitã Dionysium extinxit? ausus est præterea nostri Liberatoris delere totam funditùs stirpem; ex quo id consequutus est, vt ipsius potiùs memoria post mortem omnis aboleretur, afflictis videlicèt solo statuis, & comminutis. neque illud omittendum videtur, quod scriptores adnotarunt, paullò antè necẽ, eius statuæ triumphalis titulũ in sepulchrum proximum decidisse, vt tumuli cinere obrueretur ea gloria, quam collegerat in campi puluere. Addatur hoc extremum illius impietati, atque sæuitiæ; quod in summum Religionis antistitem, communemque parentem Cletum paricidale ferrum acuerit, & Romuli Fesulani præsulis insulas cruore imbuerit; neque veritus est certè nomen illud conditoris vrbis, qui Vrbem ipsam multorum ciuium sanguine respersérat. Accepit tamen moriturus somnium sibi

fata-

Digitized by Google

fatale, cęteris lętum: nàm, qui viuens delectatus est cruenti ferri præsentia, visus est videre se dorsum habētem aureum, quod coniectores ità interpretati sunt, fore, vt post illum meliora consequerentur tempora: fecit fidem non tàm vaticinatio, quàm euentus: consequutus est enim Nerua, qui Ioannem ipsum, ac cęteros, qui pro Religione ab Vrbe pulsi erant, reuocauit, quorum opera Orbis terræ ætatem habuit verè auream, vera scilicèt Religione longè, latèq; diffusa.

PERSECVTIO TRAIANI IMPERATORIS.

IMperāte Nerua exagitata diù vires, ac robur Religio sūpsit: nihil tūc Roma incundius vidit, quàm illos fasces, ac secures, quæ sub Nerone, ac Domitiano ceruicibus nostrorum impactæ rubuerant, esse feriatas. quieuit etiam deindè Imperante Traiano decem ipsos annos, quasi residente mari; decimo tandem anno, quasi decumani excitati sunt fluctus: potuit Traianus hic decernente Senatu dici Dacicus, atquè Parthicus, sed maluit dici Optimus; virtutis titulum antetulit triūphali; nisi quod, qui optimus dici voluit, Religionis perdidit optimates; è nostris enim multos interfici iussit. Vidit, antequàm Imperium adipisceretur, per quietem quendam in tunica, & prætexta purpurea cum corona, qui signum annulo aureo nunc in sinistrum ipsius iugulum, nunc in dexterum imprimeret: quod ille omen accepit Imperij, sed acceperunt à Traiano nostri omen multò præclarius Regni, cum obsignauit iugulum ipsorum non auro, sed ferro. Falsum fuit illud promissum, quod ad Senatum scripsit; nunquā suo iussu quemquam bonorum occisum iri: at necati sunt ex optimatibus multi, hoc est, qui vero Numini cultum tribuebant. laudandus quidem, quod cum tribunatum traderet Surae Licinio, parazorium, quo pro dignitate accingendus erat, nudū porrexerit, & gladium; quem in ipsum stringeret, nisi imperaret iustè, sed indignus laude, immò detestandus, cū eundem gladium, quem iustitiæ fecit vindicem, distrinxit in iustos, qui scilicèt de Religione, vt Diuina postulabant iura, sentirent:

Chri... eirca... 108.

Digitized by Google

rent. laudandus itèm, cum deſicientibus ad obliganda militum vulnera faſcijs, propriæ purpuræ non pepercit, quam in lacinias conſciſſam ſeruitijs partitus eſt; ſed execrabilis, atq; impius, cum vulnera intulit noſtris, quæ potius obligare debuit purpura, vt hanc ornaret. erexit militibus, qui ſtrenuè in bello ceciderant aras, ac ſtatuas; ſed conſultius feciſſet, ac dignius, ſi erexiſſet ſãctiſſimis Heroibus, qui de Neronis, ac Domitiani ſæuitia triumpharant. miræ ſanè potentiæ opus fuit, cum lapideum põtem in Iſtro extruxit impenſa prorſus ingenti: vt vix percipi poſſet, quanam ratione, & quibus viribus, quouè artificio in illa gurgitis altitudine, tamque præcipiti flumine ſingulæ columnæ excitari potuiſſent, tantarumq; molium fundamenta ſtabiliri: teſtante poſteris fama, nihil eſſe tàm arduum, quod opibus Romani Imperij effici non poſſet: ſed hæc deſijt, vel oſtentare Traianus, vel Roma mirari, cum Clemente Pontifice maximo in mare deiecto, nõ opus ponte fuit, vt ad locum, vbi demerſus fuerat, Populi cõuenirent; ſed ingenti prodigio retroacto mari iter eſt ſtratum; nec minus prodigioſè marmoreum ibi inuentum eſt mauſoleum, non humana arte, ſed diuinitus extructum, quæ moles intra mare haud dubiè ſuperior dignitate fuit illo ipſo Traiani põte, qui eminebat Iſtro: ità cum Clemens à Traiano ad aureæ Cherſoneſi fodinas relegatus eſt, operabatur quodãmodo mauſoleo ſuo: ſcilicèt materiã delubro ſufficiebat, eruendo, vel auro, vel marmore. Nequè tamẽ expleta eſt impietas vno paricidio, addidit alterũ. Euariſtum item Pontificem maximum nefaria cæde ſuſtulit. & verò hic, qui paricidales ſecures parentum Religionis ſanguine tingere auſus eſt, Cæſarium quoquè hierodulum inſutum in culeo paricidarum more demergi iuſſit, non alio crimine, niſi quod Religioni quaſi parẽti ſe põſtiterat pium: ſibi igitur debitũ ſupplicĩũ irrogauit alteri. & illud quàm impiè factum ipſo Imperante? quod Simeonẽ, vnũ è ſtirpe noſtri Liberatoris, affecta iã ætate, confectũ legimus ſupplicio Crucis: admirationi quidẽ, ac ſtupori fuit tanta vis, ac vigor animi in ſenilí corpore, quod tam intrepidus occurreret morti, trementibus tantùm æuo membris. In Quirino quoquè tribuno eandem ob cauſam, quàm crudelitèr ſæuitum eſt? execta videlicèt lingua, adhibito equuleo, manibus etiam, pedibusque deſectis,

ſed

Digitized by Google

sed illud indignius, quod Hyacinthum aulicis honoribus efflorescētem, & cubicularium suum, dirum in modum excruciatum neci dederit, solo Religionis susceptæ nomine; quāquam in illo flammæ æstu, in quam est coniectus Hyacinthus non modò nō exaruit, sed euituit, sed efflоruit pulchrius. creuit tamen in Traiano immanitas, cum ipsum aulæ præfectū Romulum nomine; quod sæuitiam, quam ipse exercebat in nostros, detestatus esset, virgis accerrimè cæsum, securi percussit: respersit regiam cruore nō modò innocentis, sed optimè de se meriti. Spectaculis delectatus est Traianus, quæ sæpè magnificentissima dedit: in eis aliquando iugulata decem millia bestiarum, sed illo vno spectaculo Roma prorsus obstupuit, in quo hoc Imperante certauit Ignatius petitus ad leonem; vidit lacessentem clamore feras, vidit metuentem tantùm, ne istæ feritatem exuerent: sed pœnas sumpsit statim ipse Traianus acerbiore spectaculo pœnè ruētis Imperij: celeberrima quippè Vrbs Antiochiæ, cū ibi Imperator hiemaret, Ignatio eius Vrbis præsule quasi firmissima columna subtracta, repentino motu subruta est: enimuerò post horrifica fulmina, & immanes procellas, tellus vehementius succuti, domus ædificia contrario ictu arietari, dissilire alia, & supernè assultantia tecta concidere; interim audiri fragor immanis; elisi multi ex alto præcipites, plurimos prostrata tecta, & subuersi muri obruerunt. si qui verò lacero corpore conterebrati superfuissent, hi omnium miserrimi erant: Traianus ipse consternatus metu, & vix tam fœdo, diroque subtractus exitio, in hippodromo sub dio degit, teste cœlo Cæsaris luentis de paricidio pœnas: vidit ille interea rem miram, infantem scilicèt sub ruinis inuentum, qui è matris emortuæ mammis vitalem sugeret alimoniam viuens: intelligere potuit, si sapuisset, Religionem parentem, atq; vltricem quantumuis sauciā, & vt ipse putabat, extinctam, plenis vberibus nō defuturam proli suæ. Correxit se tandem certè Traianus, ac cede abstinuit, cum, & Plinij literis esset admonitus de virtute nostrorum, & Tiberiani præfecti testimonio hæsisset attonitus, qui scripserat, magistratuum Romanorum fasces, ac secures omnibus nationibus metuendas non esse tantarum vitium, vt nostris, qui se conferto agmine sponte, & alacriter deuouebant, vllo modo possent obsistere. sed illo maximè

Digitized by Google

ximè prodigio exterritus cessit. Virgines quinque Religionem palam profitentes comburi iusserat; tùm (facinus indignum,& inauditum) earum cinerem æri liquato commisceri, ac vasa ænea inde fieri ad publicas balneas, quas magno sumptu construxerat: ità in vsum lauacri intentus, inexpiabilem maculam ipse contraxerat; quid tum? quicumque eò lauatum ingrediebatur, cum primùm attigerat calidam, metu obrigescebat; caligine simul, ac vertigine corripiebatur, concidebat intermortuus: cum Traianus exhorriusset facto, statim vasa illa conflari iussit, & in statuas cõformari, Virginum combustarum habitu, atque forma; ità miro modo immortalitati consecratæ, nempè non tam ære ipso statuarum, quàm cinere æri commisto; minus est quicquid antiquitas honoris contulit in Hippiades, equestria illa veterum heroidum simulacra. Nec tamẽ Imperator ob vetera paricidia impunè abijt: sed qui piorum fuderat sanguinem, sanguinis ipse profluuio primùm diù vexatus, tandem intercute aqua miserè extinctus est.

PERSECVTIO HADRIANI IMPERATORIS.

An. Christi circiter 120. HAdriani furor in nostros immanis, at non perpetuus fuit: pridie quàm designaretur Imperator, huiusmodi somnium ei oblatum dicitur: ignis in humero sinistro insedit, deindè in dexterum transilijt, vagus,& errans: non dissimilis certè, qui in illo exarsit, visus est furor: nam modò grassatus est in suos, modò in nostros: multum habuit Hadrianus Imperatoriæ laudis, sed multum etiam acerbitatis; flagrauit inuidia maximè: Palmam in primis, ac Celsum eximios viros, quod opibus,& gloria præstarent cęteris, interfecit: quid mirum, quod inuiderit nostræ Religioni ad celsitudinem, ad palmas,& laureas natæ? multa Hadrianus egit aduersus illam improbè, sed haud scio, an quicquam improbius sit ab ipso factum, quàm quod Christi Religionem, quam nec bonorum extinguere non poterat, loci certè iniuria dehonestare conatus sit; in eo enim monte, eoque loci, quo salutis

Asser-

Digitized by Google

Aſſertor affixus eſt cruci, Veneris ſimulacrum collocari iuſſit, vt vbi ſpinis coronatus ille pependit, quas ſuo cruore ſacrauit, ibi Venus roſas præferret, quas fœdaſſe dicitur ſuo: apud ſepulchrum verò, vnde ille commota tellure rediuiuus emerſit, Iouis ſignum apponi iuſſit, vt veri Numinis maieſtatem, ac robur infringeret; niſi quod potius Capitolium fecit, quod ille deuicta morte, trophæis, ac ſpolijs Erebi dedicauit: denique apud eiuſdem cunabula Adonidem ſtatuit, vt Virgini Dei matri, inceſtæ Veneris amaſium opponeret; & vbi Orientis Reges obtulere cum ceteris muneribus myrrham, ad memoriam præclari facti abolendam, Myrrha genitus coleretur. Venio nunc ad immaniter facta. debacchari ſolitus eſt Hadrianus in Liberi patris orgijs, ſed amentius in cæde noſtrorum: nihil Roma vidit indignius, quàm eo imperante Alexandrum pontificem maximum vnà cum Euentio, ac Theodulo in carceris tenebras intruſum; excruciatum omni genere ſuppliciorum; equuleo diſtentum, pectinibus ferreis lacerum, deuotum flammis. Eleutherium quoque præſulem ſpoliauit non modò pontificijs vittis, ſed etiam vita. addidit Anthiam huius matrem, cui nomen à flore, qui tamen nulla potuit procella decuti: Faſtini quoque, ac Iouitæ ceruicibus, cum ijs & belluę, & ignis, & mare pepercisſent, ſecures adegit; Euſtachium cum coniuge, ac liberis, cum ab ipſo veræ abſtinuiſſent feræ, intra fictum ex ære taurum incluſit igne ſubiecto; ſed labefactare conſtantiam nullius potuit: luſere cum pœnis, illuſere Dijs. quid quod ipſa montium faſtigia extulere noſtros? ſcilicet decem millia in Arari monte confixa ferro: clarior ille Atlante mons fuit, qui nõ tam fabulosè ſuſtinuit ſydera, quàm illos verè extulit ſupra ſydera. cum autem Symphoroſam virilis animi matronam vnà cum ſeptem filijs necauit, quid aliud egit, quàm quod ſeptem quaſi planetis Religionis cælum illuſtrauit? niſi quod mater admonuit potiùs filios, ne errarent: Cœlũ, inquam, hoc Hadrianus ipſe, quanquam hoſtis Cœlitum, diſtinxit aſtris, ijſque pulcherrimis, cum fœminam ornatiſſimam, Ariadnam nomine, tot ſtellis, quot ſupplicijs coronauit, Ariadneæ coronæ fabula in verum decus cedente. Effecit idẽ ne Religio indigeret alimento, quo adoleſceret, cum ceruices Antiocho fregit, e quibus pro ſanguine lac manauit: ſed ſuum tunc ſuffecit ſanguinem Cyriacus carnifex, qui eo ſpectaculo, prodigioque commotus,

Digitized by Google

ſe obtulit neci. cum verò in tres Sophiæ matronæ filias acuit ferrum, fecit non minus impiè; conatus enim eſt & Fidem facere perfidam, & Spem de medio tollere, & Charitatem extinguere: ſed ita tres fecit Charites, cum nomen ineſſet vni: nihil igitur ijs accidere gratius potuit. Spectacula victor Hadrianus exhibuit Parthica magnifico ſumptu; ſed multò præclariora illa, licet ad ſpeciem acerba, in quibus nemo noſtrorum, quos ad cædem deſtinauerat, viſus eſt pugnare more Parthorum fugiens. Hieroſolymam vrbem illam antiquæ religionis ſedem appellauit ſuo nomine Aeliam Capitolinam: quæ vrbs tunc potius Capitolium dici poterat, cum Liberator noſter de Erebo victor, & ſpolijs opimis onuſtus trabale trophæum in ea ſtatuit. Iudæos ſanè perturbatione ſcelerum ſuorum exagitatos Hadrianus vltima cæde perdomuit, vltuſque noſtros eſt, quos illi Corheba duce, quòd ſibi aduerſus Romanos arma ſufficere nollent, miſerè, atque impiè excruciabant: peruicax genus hominum exegit è ciuitate, ius inhabitandæ conceſſit tantùm noſtris, reconciliata erga ipſos gratia; nimirum tempeſtas omnis, ac procella reſedit per Serenum quendam Granianum legatum, noſtræ gentis amantiſſimum: deſijt etiam agitari Religio, ſtabilita videlicet per Quadratum, virum ſumma doctrina, & virtute ornatum, qui de noſtra diſciplina librum ad Hadrianum ſcripſit, & tanquam concitatos Adriæ fluctus compoſuit; quod item egit pari laude Ariſtides Athenienſis; quorum libris inſtitutus Imperator præcepit per epiſtolam ad Minutium Fundanum proconſulem Aſiæ datam, ne cui liceret, noſtros ſine obiectu criminis, aut probatione damnare; & quod præcipuum eſt, in multis vrbibus templa ædificari iuſſit, quæ noſtro Numini dedicare decreuerat; ſed abſtinuit poſtea, quòd vniuerſa ſuperſtitio, Flaminum in primis reclamaret; itaque diù ea templa ſteterunt ſine vllius titulo Numinis: adeò quaſi luminibus falſæ diuinitatis obſtruebat ſubſtructione quadam altius exaggerata Religio: repreſſit igitur ferrum Hadrianus, nec tamen ſigna ſecutus eſt noſtra, implicatus videlicet cum veteri more, tum vitijs. myſteria Cereris ſpectare, & execratis initiari ſacris voluit ceritus ipſe; quippe qui noſtra potius admirari debuit, & amplecti, cum videret, tanto cum prouentu religionis meſſem extitiſſe ſui ferri falce deſectam. Vrbem Antinoi nomine conſecrauit, quem exi-

Digitized by Google

eximia specie oris adolescentem fama est vltro se immolandum obtulisse pro Hadriani felicitate; cum intellectum esset magicis sacris, amasij anima opus esse: quamobrem & illi statuas vbique terrarum erexit, & stellam ex Antinoi spiritu conflatam cælo, vel affixit, vel affinxit; nec vidit eos potius immortalitati esse consecrandos, qui pro Religionis felicitate sponte suum obtulerant iugulum. idem cum Iouis Olympij ædem Athenis erexisset, imposuit in ea ex India deportatum anguem, nec intellexit superstitionem, qua tenebatur, non carere veneno. itaque cum propter hæc, tum propter primum illud hostile odium, eundem ferè, quem Traianus, exitum habuit, extinctus videlicet partim profluuio sanguinis, qui fuderat nostrum; partim hydrope, qui intumuerat vel furore, vel fastu; nisi quòd cum acerbissimo dolore morbi vexaretur, gladium, quem in promptu habuerat, aduersus nostros, à suis, vt vitam abscinderet, impetrare non potuit, conquestus se vni morti imperare non posse; designabat autem sibi ipse vulneris locum sub mammilla, nempè is, qui altricem Religionem conatus erat extinguere. exagitatus est in morte horrificis spectris; & qui iactare solebat, à se aliquando in venatione leonē occisum, moriens clamabat, videri se à leone opprimi: meruit hoc qui nostros, Eustachium in primis petierat ad leonem. sed illa vera vaticinatio quædam ipsi fuit: nam cum in Tiburtina villa, quam magno cum sumptu exædificarat, celeberrima orbis terræ loca describi, atque effingi voluisset, ad extremum regionem etiam, quò ipse tendebat, effingi iussit, Inferos.

PERSECVTIO ALTERA IVDAICA.

NOn semel ab hac gente, (vt est omninò præfracti, & perui casis ingenij, & in Christianam religionem, quàm per incrementa gloriæ præstare videt, inuidia, ac furore semper armata) sæuitum est: subtexam igitur quæ aliàs impiè egerunt in nostros. Traiano enim imperante tantus eos furor inuasit, vt quasi Furiarum tædis ardentibus concitati Romanos, & Græcos inuaserint, atque immaniter mactatos rabiem exsa- *An. Christi circiter 130.*

Digitized by Google

turare cupientes,etiam adepulas adhibuerint,et eorum cruentis pellibus extractis se præcinxerint. apud Cynerum quidem ducenta, & amplius millia trucidarunt; in insula verò Cypro ducenta,& quadraginta capitum millia. ex quo colligi potest quantò crudelior fuerit inter illos,qui necati sunt,laniena nostrorum;quod genus impietatis Traiano ipsi tam detestabile est visum,vt eos acerrima cæde perculerit.Hadriani quoque tempore sæuissimè actum est; quo quidem tempore extitit ex illa fece hominum dux quidam Barchochebas nomine, quæ vox astrum significat; is cum esset natura ferox, atque nefarius,tantum sibi sumpsit audaciæ,tantum impudentiæ,vt quoniam in oraculis scriptum erat, orituram ex Iacobo stellam, se ipsum eam diceret;ac lucem, ne aliorum oculos hebetaret, humano corpore texisse;seque de cœlo delapsum, vt Iudaicæ gentis gloriam amplificaret; Romanis, qui se Marte progenitos iactarent, eiusque syderis quasi ductu bellarent,se multò præclarius astrum oppositum: denique in tanta caligine temporum se lucem daturum rebus,ac spem salutis.facilè insanus, ac vafer impostor hæc persuadere potuit suis, at nostris non item;nempè hi non ignorabant, oraculum illud in Liberatore humani generis iam impletum; sidus hoc aut confictum, aut certè pernicio sum, & exitiale auersabantur. ille instare, vrgere,& pro potestate,& audacia,quam sibi sumpserat, mortem etiam intentare,vt Christum abiurarent, ac se vindicem, & assertorem libertatis agnoscerent; hortari etiam, atque compellere,vti arma in Romanos sumerēt, se duce.cum nostri omnino nefarijs consilijs repugnarent, multos ex ijs diris modis excruciat, multos interficit: sed euentus ostendit mentitum illud,ac falsum fuisse sydus,cometam potius prodigiosum,atque fatalem; sed qui non tam nobis, quàm sibi,ac suæ gentis cladem,exitiumque portenderet. luit mox pœnas prædo impius audaciæ,& crudelitatis acerbissimas: Hadrianus ipse nostram vltus est vicem; quippe cum ille coacta seruili manu omnia depopularetur, missus ab Imperatore est Iulius Seuerus cum exercitu,qui Iudæos intercluſos oppressit;arces, quę ad munimentum erexerant, dirutæ, oppida direpta, igni consumpta; ferè quinquaginta millia militum, quos ille armauerat,cæsa;reliqui, aut venundati, aut in Aegyptum amandati, tum, vt Aristopeleus narrat, vniuersæ genti deinceps interdictum,

Digitized by Google

ctum, ne pedes in patrios agros aliquando conferrent; & legis decreto, iussuque Hadriani cautum, nè vel ex edito loco paternum solum oculis prospectarent: ita qui cede nostra paterant oculos, vetiti sunt eos pascere vel patriæ aspectu. denique Hierosolyma ipsa deserta non modò ciues amisit suos, sed nomen suum: in Aelij enim Hadriani honorem Aeliæ appellationem accepit; immundo quoque animante, ac pecude, quam ipsi oderant, ex marmore exculpta, supraque vrbis portas per summum ludibrium collocata. Porrò peruicaciam eius gentis hoc maximè declarat, quod Constantino Imperatore, qui Christi religionem non modò tueri, sed ornare gestiebat, ausa est in nostros iusurgere, ac saxis appetere; sed ita in Constantino eam ob rem religionis ardor efferbuit, vt impios parricidas damnarit igni. Præter hæc Honorio quoque, ac Theodosio Imperatoribus, Iudæi ferrum acuerunt in nostros; Alexandriæ patratum facinus: Cyrillo quippe sacrorum antistite inprimis infenso, Christianos delere aggressi sũt. tesseram igitur ipsi sibi dant, hanc videlicet, vt quisque annulum ex cortice palmæ confectum gestaret, tanquam omen illud futurum esset victoriæ, si manus conserrent, quibus insertus esset ex palma annulus: itaque nocte quadam signo dato in sacras ædes, & aras irrumpunt, sarmenta comportant, faces admouent. re tognita aduolant nostri, atque incendium proprio sanguine conantur extinguere; trucidati enim multi tanquam victimæ ceciderunt: non tamen impune impia cædes abijt; multi Imperatorum edicto necati; tota verò gens Alexandria excedere iussa. neque tamen scelera resedit, ac furor: rursus impiè debacchantur, atque odium nefario facinore expromunt; nam in oppido quodam inter Chalcidem, & Antiochiam, vbi exulabant, cum more suo ludos facerent, & inter ludendum multa admitterent absurda, atque nefaria, tandem lymphati non Christianos solùm, sed Christum ipsum conuicijs appetere, contumelijs onerare, maledictis incessere; tum innocentem è nostris puerum (fuit semper hac genus sceleris illis familiare) clam arripiunt, cruci alligant, in sublime suspendunt, cædunt verberibus, flagris conscindunt, ferro exulcerant, quoad totus sanguine diffluens animam exhalaret; ea de re Imperatores certiores facti (neque enim tegi potuit tantum facinus reclamante natura) auctores meritis supplicijs, ac morte mactarunt

runt. Post hæc in ea Hispaniæ regione, quam Minoricam vocant, turbatum est: infestissimo quidem bello, sed euentu religionis felici. cupido Iudæos incessit acrior instaurandi vetera sacra, & instituta; & simul asserendi se in pristinam libertatem, nostris cæsis, ac trucidatis. ad condictum diem conueniunt ferentes saxa, fudes, iacula, ac cætera omnia telorum genera; fit primùm lapidatio in nostros: nempe præduro ingenio gens atque præfracto sic furere initio ipso nascentis religionis occœpit; sed mirum dictu, cum lapides Iudæi de superiore loco iacerent quanta vi poterant, ac super confertissimam multitudinem grandinis instar inciderent, nemo nostrùm non modò non necatus, sed ne vulneratus quidem dicitur: quo spectaculo obstupefacti, cum alij, tum princeps ipse coniurationis ac dux, ad nostra signa transierunt. rē item inauditā, & plenam prodigij narrant: visum tunc in aere globum quendam candidissimi luminis, qui cum Sole de splendore certaret; hic se intra delubrum, vbi Iudæi, qui respuerant, confederant, lento se lapsu demisit; agnouerunt statim antiqua prodigia, columnam videlicet illam igneam viæ ducem; atque vt præclarum factum alijs prodigijs cumularetur, paulò post grando depluit, quam cum fortè ori admouissent, senserunt esse mellei saporis, ac cœlestem verè ambrosiam præseferre. dici non potest, quàm sit ea gens in suscepta Christi religione confirmata, & quantis gaudijs incesserit, cum clarè perspexerunt, eum à nobis Deum coli, qui ipsos admirandis olim factis, præsertim deserta loca peragrantes, effecisset insignes. spectata in hoc est etiam mira, nostri Liberatoris pietas, qui eos, à quibus fel accepit, pauit cœlesti melle quadrigenti, & quadraginta hæc experti nostra, instituta secuti esse dicuntur: Sed quia peruicax est hoc genus hostium, non defuere postea, qui Theodosio iuniore imperante, insitum in Christianam religionem odium expromerent. quotannis in celebri conuentu pyram extruebant, in eamque crucem conijciebant, quæ cum incenderetur, tripudiabant ipsi, remque cachinnis prosequebantur; ac ne ad Principum aures delata periculum crearet, hanc excogitarunt vafritiam, vt dicerent, crucem illā Amani esse, in quā hostis olim Iudaicæ gentis, ac Mardochæi potissimum infestissimus ab Assuero rege meritò actus fuisset: eius facti memoriam se repetere; sed cognita fraude pœnis acerbè affecti, ex cruciatique

sunt;

Digitized by Google

sunt, Denique, vt ab his monstris, quæ iam pridem animus refugit, abeamus, cum Heraclius Imperaret, Antiochiæ incredibili furore grassati sunt, ac cædes piorũ egere crudelitèr. Anastasium ipsum Patriarcham de sede deiectum necarũt, & cruẽtum cadauer in forum traxerunt; quod tantum scelus nè Phocas quidẽ, qui suapte natura immanis erat, ac barbarus, ferre potuit; sed legionibus immissis partim eos interfecit, partim oneratos ferro in alias regiones expulit, amputatis artubus; nec passus est, eos, qui integritatem moderant animi, esse integros corpore.

PERSECVTIO

SVB ANTONINO PIO IMPERATORE.

SVb Antonino quoque Pio locum impietas habuit, & aliquandiù in Religionem sæuitum: quid enim magis contra iura pietatis fieri potuit, quàm, vt Telesphorus Põtifex maximus eo Imperante fuerit necatus? aut quid ea ætas crudelius vidit, quàm septem Felicitatis matronæ filios ipsa matre inspectante mactatos? à præfectis quidem hæc agebantur, verùm, & Imperatoris fuerat, quæ iniustè à ministris fiebant, inuestigare; & Pij, vetus edictum in nostros impiè editum antiquare. quid quod Sibyllarum, ac vatum Oracula, quibus nostra confirmabantur, edicto sustulit? appellatus hic Imperator est Pius ea de causa, quæ ipsum potius reddebat impium, quod videlicèt Hadriano incesto homini, & qui nostris aliquando rebus aduersarius fuerat immanitèr, templũ excitasset, Sacerdotes instituisset: fauit certè postea hic Imperator Pius nostris institutis, nimirum à Iustino Philosopho de Christiana disciplina libro perlecto; sed veræ pietati nomẽ ipse nõ dedit; quamobrèm propter fusum Telesphori, aliorumque cruorem, eius Imperiũm diræ calamitates funestum fecere; fames, Circi ruina, terræmotus maximi, quibus Rhodiorum, & Asiæ oppida corruerunt, Romæ incendium, Narbonensis quoquè Ciuitas, & Carthaginẽse forum vastatum flammis, inundatio Tyberis, lues Arabiæ, Cœlum ardens crinito sydere, iubati angues ingentes existentes è terra, caudamque morsu carpẽtes; sed dispar

An. Christi circiter 138.

Digitized by Google

spar prodigium fuit leonum, qui è silvis egressi mites potius, ac lenes se sponte capiendos obtulerunt; siuè, vt nostrorum carnifices ipsi quoque sæuitiam dediscerent; sinè vt animi magnitudo, quæ in nostris vnà cum insigni mansuetudine, ac tolerantia coniuncta erat, exprimeretur. denique illud Antonini huius Imperium habuit absurdissimum, quod sub Pio nostris non licuit esse pios.

PERSECVTIO.

M. ANTONINI VERI, & LVCII VERI IMPERAT.

Anno Christi circiter 198.

ANtoninus Verus, Philosophus falsus, hostilem in modum insecutus est nostros. ab eo certè vera Religio oppugnari non debuit, quis enim sibi in animum induceret, aut veritatem oppugnari posse à Vero, aut sapientiam à Philosopho? cū hic non libentius trabea, quàm pallio indutus incederet, vita spoliauit optimates, Anicetum in primis communis Orbis terræ parentem; & tàm impius paricida dictus tamen est patriæ pater. Videre sibi visus est aliquādò humeros habere eburneos, & ad Imperium sustinendum idoneos; sed eboris candor in humeris, cruoris color in manibus fuit. audiuit Apollonium Chalcedonium; audiuit Sextum Cheronensem, & Claudium maximum, & Iunium, quorum imagines aureas in larario habuit; & sepulchra victimis, & floribus ornauit: sed vtinam ad ea applicuisset animum, quæ veræ sapientiæ magistri docebāt; ab ijs vel hoc didicisset, quàm multa Stoici ipsi, è quorum disciplina erat, sub porticu delirarent: tolerantiam, quam verbo iactabant, re, ac factis vidit in nostris: discere potius ab ijs ipsis, quos impiè cecidit, beatam vitam ascendere posse etiam in rotam: eo quippè sæuiente mira dedit Religio spectacula tolerantiæ; Hermias enim miles ità permouit carnificem constantia, vt vnà iugulum eidem obtulerit ferro. Alexander item Præsul incredibili animi robore præditus Herculanum ipsum peruicit, ac secum sponte traxit ad necem; cū spreuisset antea catenas, virgas, equuleum, lampades, belluas. Quid illa Gerualsij, atq; Protasij fratrum par pietas, & gemina fortitudo, quàm admirabilis fuit? nec ista caruere prodigijs: Pontianus ignem impunè

impunè calcauit, à feris intactus: nec tanta noſtrorum, quanta Deorum ipſorum ſtrages fuit: Iulianus certè cum ſtans cæderetur, delubrum, quod ante ipſum erat, euertit, ac Deos oppreſſit: ità vnus aceruus eſt factus, & lapideorum Deorum, & lapidum: quod in Melitina puella eſt admirabilius viſum: nihil illa Dij experti ſunt acerbius, & ſi nomen à ſuauitate duceret; nam circumducta ſæpè, ac ſæpiùs per multas ipſorum ædes, ac fana, tantam vim ſolo aſpectu præſetulit, vt ſuperſtitio conſiſtere nullo modo poſſet, ac fana omnia ſtatim à culmine collaberentur: quis hæc, quanquam interdum per Præfectos acta, neget Antoninum Cæſarem latuiſſe? neget tam inaudita prodigia, atq; ipſum delubrorum ruinæ ſonitum ad aures peruenisſe? is nè aut Verus dici debuit, qui per hæc falſos non agnoſceret Deos? aut Philoſophus, qui tàm firmis argumentis, tum cum præceps ſuperſtitio rueret, non cedebat? quin etiam auſus ipſum veritatis Ducem, ac Religionis magiſtrum Higinum Vrbi, ac terrarum Orbi ferro eripere; atqui hic Imperator, & Stoicus, & alumnus licèt tam tetricæ diſciplinæ, in Saliorum tamen collegium eſt adlectus; Ancilia per Vrbem tulit, in ſaltus ſeſe librando; ſcilicèt in eo clypeo, quod de Cælo delapſum Verus falsò putabat, ſpem imperij poſitam habuit; ſed admirari potius debuit fortiſſimum noſtrorum clypeum, fidem, quo armati alacrius quàm ipſe ſaltatione Saliari, ac Pyrricha, properabāt ad necem: Habuit Antonius hic Verus fortunæ aureæ ſimulacrū in cubiculo, ab Antonino Pio ſibi traditam quaſi hæreditariam, ſed fortunatos potius fecit noſtros ipſa nece, quā intulit. delectatus eſt ſpectaculis amphitheatri, & ſtrage feratum; cētum aliquando leones vna miſſione exhibuit ſagittis confectos; ſed apud ipſum magnificentiora de ſe dedere ſpectacula noſtri, cruciatus, & mortem ſuperante conſtantiæ; in primis Alexander, ac Pontianus, qui cum leonibus, ac cæteris Africæ belluis penè luſere; at Germanicus adoleſcens clamore feram prouocauit in ſe, accenditquè torpentem. picturæ operam ad oblectationem idem Antoninus dedit, nec tamen horum virtutis lineamenta potuiſſet exprimere: Fauſtinæ Auguſtæ vxori, quæ ſcilicèt pudicitiæ fama laborauerat, à Senatu appellari Diuam gratulatus eſt: eidem decreuit Fauſtinianas; item Sacerdotes inſtituit, cum ipſam infeſto omine apud mōtis Tauri radices ſubitā vi morbi exa-

Digitized by Google

ninatam amisisset: eandem appellari voluit Castrorum matrem: atqui non tam ea fuit appellatione digna Faustina, quã Felicitas sanctissima matrona neci tradita, quæ vnà cum prole aduersus hostiles cruciatus, atque ipsa naturæ tormenta tam strenuè militauerat: hæc, inquam, mater verè Castrorum dici debuit. afficiendi erant honore inter cęteros Victor, & Corona mulier ipso Imperante vnà necati, ne victoria seiuncta esset à laurea: ambo inter cruciatos visi supernè coronis duabus ornari. Sed quid indignius, quàm quod, cũ Antoninus hic, & Philosophus vocaretur, & Verus, Iustinum tamen singulari sapientia præditum, ac tam præclarè de veritate philosophantem ferro sustulerit? quanquam postea cum eius, & aliorum è nostris scripta perlegisset, vagina gladium condidit: sed maximè extinxit odij flammam imber ille, nostrorum militum votis in castra deuocatus è Cœlo; nàm cum bellum Antoninus contra Quadros gereret, aciemque contra hostes instrueret, ferũt exercitum eius omnem propter sitim grauem, & diturnam pęnè enectum desperasse prælio; tùm legionem vnam è nostra disciplina procubuisse in genua, ac Dei opem imploraſſe: tum repente quasi Panicum terrorem hostibus inclusum; ac prætereà crebris fulminum ictibus pulsos; apud nõstros verò desam imbris vim profusam, quo exercitus recreatus, ac restitutus sit; tùm Antoninũ statuisse, vt legio illa prærogatiua quadam principem obtineret locum, cętetisq; præesset copijs, cui item nomen κεραυνοβόλου, hoc est fulminatricis impositum: nempè idcirco ei legioni vis tanta tributa diuinitùs, vt euocaret è Cœlo fulmina, quia Diuinitatẽ denegauerat fulminatori Ioui.

Iam antequam Antoninus hic, & nostrorum libris, & prodigioso illo imbri commotus à cæde desisteret, Lucium Verũ collegam habuit, vt Imperij, sic sæuitiæ: qui Lucius eodem natus est die, quo fuerat Nero, ijsdem videlicèt ominibus natalium, quibus cædis in nostros: mirum est, quod cũ hic tã effusus esset in voluptates, tãtũ tamẽ effuderit sanguinis. gladiatorum pugnas in conuiuio ipso exhibuit, solitus non minus cruoris oculis haurire, quàm gutture meri: circumferebat secum fidicinas, tibicinas, mimos; idem tamen cum cruenta securi lictores: capiti auri roramenta respersit, vt magis coma illuminata flaueſceret; sed aureo capiti fetrea mens fuit, & cogitatio de cæde bonorum: cęterùm effœminatus, & incestus;

hunc

Digitized by Google

hunc habuit collegam Antoninus: scilicèt alter è Zenonis porticu, alter ex Epicuri hara fuit; alter è gymnasio, alter è gurgustio; vt in vtroq, genere aduersariorum Religio victrix existeret. Deniquè Lucius hic apoplexia repentè correptus cum triduo obmutuisset, interijt: impeditiore illum linguam natura fecerat, nè videlicèt prona decurreret ad edicendam nostris necem; sed penitùs eius vsum amisit in morbo, pœnas videlicèt pronunciatæ impiè sæpè sententiæ luens.

PERSECVTIO
SVB COMMODO IMPERATORE.

ANtonino Vero successit Commodus filius, sed incertum vtrùm verus ex Vero, an nothus ex adultera: quantum hic esset allaturus non modò incommodi, sed exitij, significatum est Faustinæ matri: quippè videre sibi visa est parere insigni feritate anguem, ac veneno tumentem: adultus tamen Hercules dici voluit; certè minus congruè, cum ille potius, vt aiunt, statim natus angues eliserit: acerbitatis quidem suæ virus non tam in nostros, quàm in suos effudit: est ea vis in Religione; vt etiam inter venena, & quicquid est exitiale posita, detrimento vacet; immò verò ij maximè Commodum iratum habuerùt, qui Religioni incõmoda molitis sũt: Senatus is fuit, ex cuius consulto, qui Christo nomen dedisset, reus peribat; sed incidit Curia in eas secures, quas cruentauerat cæde nostrorum; multos enim ex Senatoribus, vel suspitione, vel inuidia, vel odio Commodus de medio sustulit: hoc tantùm ipse exarsit in nostros, quod diuinos vsurpanti honores illuserant; processit enim aliquando in theatrum Herculis habitu, indutus leonis spolio, clauamque manu gestans: irrisus est meritò, ac spretus in primis à Vincentio, Peregrino, Romano, Eusebio: quamobrèm suspensi sunt in equuleo, ac fustibus cæsi; admotæ etiam lateribus faces; quod maximè supplicium vindicarum est prodigio, quod Commodi necem præiuit: nam, & Cœlum ardere visum; & auis, quæ Incendiaria dicitur, peruolitare; at verò dum illi ferro fauciarentur, delapsi de Cœlo Cœlites visi sunt vulnerum cruorem spongijs abstergere: quo spe-

An. Christi circiter 192.

Digitized by Google

staculo commotus carnifex, & religioni nomen; & securi ceruices dedit: Eusebius autem, resecta licet lingua, & verum Numen fateri, & scenico illi Herculi obloqui prodigiosè non desistit: ità Religio cum omnia domuisset monstra, etiam hūc Herculem est aggressa; nec tamen, vt monstrorum domitorem, sed quo nihil esset inter monstra ipsa monstrosius. sudasse dicitur in eius nece æneum Herculis simulacrum, quasi non sine labore omnium maximò hoc tantum monstri confici posset; quid enim immanius, quàm quod egit, cum sumpto Medici habitu, nō vt curaret ægros, venas aperiebat, sed vt feriret lethalitèr? scalptris videlicèt feralibus, & profundo ictu conficiens. Cęterùm in ijs, quæ ad religionem pertinent, seù potius ad superstitionem, ridendus potius fuit, quàm metuendus; vt cum victimarij habitu ad aram accedebat, secespitam gestans, sed futurus ipse aliquādo victima, hoc promptior, & ornatior, quòd infulata, vel quia Imperator vèl quia Sacerdos Isiacus; Isidis enim sacris initiari voluit fanaticus, ac lymphatus cum crepitantibus sistris. Amulin quoque portauit, cuius simulacri ore Isiacos cęteros per ludibrium grauitèr contundebat, vt constaret cuiusmodi essent illa Numina, quorum ipsa oscula vulnerarent: at præter eos, quos diximus, à quibus Commodus ob susceptum Herculis habitum, ac præcipuè ob diuinum cultum impiè vsurpatum, est spretus, in reliquos è nostris non tàm Commodus ipse, quàm Senatus, ac Perennius in primis admissarius eius voluptatum sæuijt: ità Iulius, & Apollonius Senatores ambo nece sublati: ornarunt hi certè clauatam auro tunicam ipso ferro, quo ceciderunt, ac purpuram sanguine, quem fuderunt: at verò crudelitatis ministros Commodus victimarium agere solitus, illis aliud agens dedit inferias; nàm Perennius propter coniurationis suspicionem iussus est interfici: atq; hoc tātum Perennius sæuiendo egit, quod sibi mortem, nostris vitæ perennitatem comparauit: ob eius necem Commodus appellatus est felix, quanquam & felicitas ad Religionem potius pertinuit, quemadmodum, & sæculum aureum, quod se imperante factum esse dicebat: hoc enim iactare solitus, is videlicèt, qui in sanguine versabatur, ac ferro, aurum priſtinum à se terrarum Orbi redditum; immò se ipsum Aureum dici voluit; sed propriè laus illa Religionis est, quæ tunc temporis vigebat: aurea

Digitized by Google

rea, inquam, dici potuit Religionis ætas, & alumni ipsi aurei, qui tam libentèr se subijcerent ferro: Incessit non semel Commodus Amazonio habitu cum securi aurea, hæc enim eius gentis insigne regium fuit: sed ferreæ potiùs secures, quæ nostrorum sunt impactæ ceruicibus, cesserunt in Religionis sceptrum: expertus est hanc verius dicendam esse Amazonem, cuius ipse virtute victus cederet pugna: quid enim hæc sibi timeret ab effeminato homine, atque enerui? natus est ex Antonino Stoico Epicureus: minus hic habuit virium, minus parente sæuijt, quia mollior: plus incommodi accepit Religio à pœcili, quàm à ganea; acrius in ipsam destinauit ferrum philosophus, quã gladiator, quàm lanista, vel arenarius, sed eneruis; vtrumque tamen illa contempsit: denique circumuentus fraude suorum Commodus venenum obbibit, quãquam nihil est læsus, quia statim illud euomuit: quid autem venenum noceret ei, quem mater per quietem viderat se parere specie anguis? strangulatus igitur est intercluso spiritu, vt respirarent à calamitate qui ipsum oderant: vsi autem sunt ministro necis Narcisso: neque aptius defloratam rempublicam vicisci se posse putarunt, neque potuit pudor ab incesto Impetatore se dissimè violatus commodius refloresce re.

PERSECVTIO

L. SEPTIMII SEVERI IMPERATORIS.

POst Commodum Ælius Pertinax trimestre occupauit Imperium, quod mox emit venale Didius Iulianus, Imperator titulo potius, quàm maiestate: ambo maduere suo potius cruore, quàm nostro. consequutus est Septimius Seuerus ipso nomine armatus ad cædem: addidit etiam cognomentum Pertinacis, nè qua spes esset, vt in Hadriano, & Antoninis, mitigandæ seueritatis: sed admiratus est Pertinax nostros propositi tenaces: Seuerus est dictus, quod ipsi fraudi fuit, quia ob crudelitatem à Senatu declaratus est hostis. non defuit omen puero: videre visus est se lupinis vberibus inhiantem, quod de Romulo narrant, nisi quod ille vnum necauit fratrẽ, hic plurimos è conscriptis patribus. accessit alterum omen tetrius,

An. Christi circiter 204.

Digitized by Google

tetrius: cum dormiret in sabulo, frontem diadematis loco cinxit serpens: quibus ominibus indicari visum est, quàm seuerũ, immò crudele futurum esset eius Imperium, q videlicet ferino lacte pastus, & vipereis infulis coronatus capesseret. atque initio quidem Imperij nihil est in nostros admodum immane molitus; sed cum Religio toto iam Orbe terrarũ diffusa oculos impiorum splendore perstringeret, non tulit hoc communis hostis: accẽdit in primis suorum Flamninum iram, armauit Cęsarem: narrare solitus erat Seuerus, antequàm inueheretur in nostros, sibi per quietem oblatum tanquam ex altissimo montis vertice despectanti vniuersum terrarum Orbem, in primis tripudiãtem Romam; concinentibus tanquàm in chorea Prouincijs omnibus, cũ voce, tũ sono lyræ, vel tibiæ: quod nisi ludibrium somni fuit, quid aliud adumbrabat, quàm communẽ illud Orbis terræ gaudium, cum Religio tanquam triũphalibus quadrigis inuecta per omnes regiones victrix excurreret, concinẽtibus pæana Prouincijs, atque plaudentibus? huic scilicèt gloriæ magnitudini inuidit hostis, nactus occasionẽ inflammauit furore Seueri animum: nam cum victori, & ouanti ceteri omnes superstitione imbuti offerrent lectisternia, sussitus, lumina, & alia exhiberent id genus officia; cumque hæc vt à Religione abhorrentia, qui erant è nostra disciplina denegarent; habiti sunt tanquam Imperatori infensi. accedebat, quod per eius Genium nullo modo iurare vellent, sed per verũ potius Numen. Nihil autem ille acerbius tulit, quàm quod videret magistratus ipsos à nobis facere, nec aliter de Religione sentire: itaque Philippum Præfectum augustalem eius honoris insignibus spoliauit, suffecto Terentio Læto, per quem Philippus necatus est animo lætissimo. Habuit itẽ Seuerus ministrũ huius crudelitatis in primis Plautianũ, sed hic vbi spontaneo nostrorum sanguine satis maduit, fudit inuitus suum, à genero interfectus: consequuta sunt prodigia imbrium excrescentium, horrendorum tonitruum, & portentosi Solis defectus: consequutũ Vesuuij Campani montis incendium; nempè obiecti erant à Seuero nonnulli nostrorum flammis Religionis nomine, in primis Serapion, Potamiena quoque cum matre Marcella illustri genere. reclamauit igitur ipsa Natura crudelitati, quà mugitu montis, quà crepitu flammæ: Origenis item pater Leonides ferro sublatus: quo tempore mira

pror-

Digitized by Google

prorsus extitit Origēis ipsius adolescētuli virtus, & ardor animi, cum affectaret deuouere se neci, & Seueri securibus obiectare ceruices, prodigus magnæ animæ ætate parua; atque vtinam tunc suo potitus esset voto: sed ei mater sustulit indumenta, nè exueretur vita.

PERSECVTIO

M. A. MACRINI, & ALEXANDRI IMPERAT.

MIrū est, q̄ à Bassiano, siue Caracalla nihil ferè in nostros impiè sit actū, qui manus, & Getę fratris, & plurimorū Ciuium cruore infecerat: nisi quod Helionides Corinthia crudelem in modum pro Religione mactata, mammis exustis, & feris obiecta: siuè id actum sit per præfectos ipso ignaro, siuè calumnia Religioni adhærēte. Bassiano postea interfecto, Opilius Macrinus humili loco natus, ac penè opilio irrepsit in Imperium, cuius consortem fecit Diadumenum filium nouēnem. quàm verò alienus esset à pietate Macrinus, vel hoc indicauit, quod cum Senatus illi titulos offerret, & Felicis, & Pij; Felicis retinuit, Pij repudianit; & sanè neutro potitus; nam breui vnà cum filio infelicitèr necatus: Mezentio par crudelitate dictus mortua corpora committēs cum viuis; Macellinum pro Macrino vocabant. occupatum huius ferrum in cæde suorum vix distringi potuit in nostros; præsertim cum annum vix expleuerit in Imperio. Asclepiādem certè præstātissimum præsulem Antiochenum eo Imperante necatum esse constantior fama est: nihil nisi impium, & immane ab ea bellua expectari poterat; immò neque ab eius catulo: Diadumenus enim puer licet omnium formosissimus, nō alia causa cum parente interemptus, nisi quod in sermone, ac litteris ansas quasdam præbuisset crudelis indolis: ferunt eum Diadumenum, siuè Diadematum idcircò vocatum, quod quasi vittata fronte prodijsset in lucem; ita tamen, vt natiuum illud diadema referret sagittarium neruum, quo quid ominosius esse poterat? nam cum Alexander Macedo ad Lysimachi vulnus obligandum diademate vsus pro fascia dicatur, hic contra sagittiferum diadema armauerat in vulnus: quàm igitur faustum Religioni fuit, ve mor-

An. Christi circiter 212.

Digitized by Google

morte præriperetur is, cuius Imperium, in ipsam, tanquam arcus esset intentus?

Excepit deindè immanissimum Imperatorem impurissimus Heliogabalus: mirum planè visum est, quod cum esset hic effusus in omne vitiorum genus, nihil nostri sanguinis effuderit: initiatus est Sacerdos Solis, quem Helagabalum Phœnices vocant, sed Imperij splendorem, lustrorum tenebris inobscurauit: ipsum purissimi planetæ nomen inquinatissimæ vitæ sordibus infecit: in vnum Helogabali templum, quod erexerat Vestæ, Ignem, Palladium, Ancilia, Sacra deniquè execranda omnium gentium inferri voluit: cætera Deorum templa vacare iussit: hoc à nobis ex parte fecit, quod superstitionē latè diffusam certè contraxit; sed illud planè ingens acceptum est incommodum, quod Christiana respublica parentem, & moderatorem suum amisit Callistum: nempè sub turpissimo monstro, iactura facta est eius, cui ab insigni pulchritudine erat inditum nomen.

At Alexander Mammeæ filius inter nostros est educatus, à quorum consuetudine præsertim Origenis mater non abhorruit: quamobrèm Imperator creatus, illam in primis è nostra disciplina sententiam sæpè laudauit: nemini imponendum, sed aliena eodem libramento, quo nostra, pendenda; Idē locū ædiū controuersum adiudicauit nostris; & in magistratu creando, ac deligendo Præside, eam adhiberi voluit diligentiam, quæ adhiberetur apud nos in Præsule: sed illud potissimū argumentum animi procliuis in res nostras fuit, quod in larario imaginem magni Liberatoris habuit; nisi quod illum inter Apollonium, & Orpheum statuit: quanquam Dei filius à nostris sapientibus quasi Mundi phonascus, ac præcentor est dictus. exædificare illi etiam templa voluit; sed reclamatū est, quod forent ceterorum Deorum planè deserta. Iam verò, quod multi pro Religione Alexandro Imperante necati sint; id tribuendum videtur potius præfectis, in primis Vlpiano, cui amplissimam fecerat potestatem, cum esset animo in veram Religionem infensissimo: cunque humana iura diligentissimè scrutaretur, diuina impiè violauit: itaque cùm Romæ, tùm in Prouincijs plurima nostrorū millia per ministros crudelitèr interfecta: vbique terror iniectus impauidis: carceres, catastæ, equulei, vngulæ, atque alia cruciamenta proposita: Inter ceteros

Clem. Alex.

Digitized by Google

teros: Palmarius vir consularis vnà cum prole, ac familia lictorios fasces, ac secures, quas prætulerat, pertulit. Calepodius Tyberim consecrauit: Titiana obiecta flāmis, ac belluis, sed impune. Martina plurimis confossa vulneribus, sed acerba cum strage præcipitantium Deorum: Cæcilia cum Valeriano sponso, superato igne, quæ nuptiales respuerat tædas, ceruices ferro subijcere maluit, quàm aureo monili; denique, vt reliquos omittam, ne quid ornamentorum Religioni deesset, Auream nomine Virginem mors fecit etiam cruore gemmātem: Interdixerat Alexander Deorum fanis aurum, illud Satyrici vsurpans: In sacris quid facit aurum? nempè eo ipso tempore, quo Vrbanus hierarcha inter cætera, quæ laudabilitèr sanxit, sacrorum ornatum auxit: vt eo, eodemque tempore, & superstitio spoliaretur, & Religio affluaret ornamentis; porrò quamquam excitata illa tempestas in nostros præfectis adscribenda est; tamen illud ipsius Alexandri iussu impiè factum, quod genethliacos, & apotelesmaticos ex Senatusconsulto exilio mulctatos reuocauerit; contrà verò Pontianum Pontificem maximum ex Vrbe pulsum, & magnis incommodis affectum in Sardiniam Insulam relegarit; quamobrèm meritò pœnas impietatis dedit, à Maximino per insidias interfectus: scueritatis nomē, quod vltro affectauit, ipsi fraudi fuit: narrant eo nascente apud aram Cæsaris stellam, suprà domū quoque paternam facem claritissimo ambitu visam; cum interea mater somniaret, se draconculum parere; quod imperatoriam laudem non carituram crudelitatis veneno visum est indicare: sed ob scueritatē inuisus militibus, ab alteris Cæsaris draconarijs draconculus est necatus: nimirū, ferro perire debuit is, sub cuius Imperio sublata erat Aurea, vti diximus.

PERSECVTIO.

C. IVLII MAXIMINI IMPERATORIS

QVÆDAM DE GORDIANO, & PHILIPPO IMP.

An Christi circiter 237. & 346

SVccessit Alexandro Maximinus, hoc est Seuero crudelis: nempè Trax gente, ac penè notis computus Threicijs:

Digitized by Google

vtrumque parentem habuit è media barbaria, cuius ignobilitatis causa omnes conscios sui generis interfecit. Immani mole corporis fuit, immanissimo furore animi; quid mirum quod more gigãtum diuinitati indixerit bellum? Antæus est dictus, nisi quod eum tellus, quam nostrorum infecit sanguine paricida, nõ adiuuit; victus est in palæstra, tot Hercules nactus, in quot è Christi disciplina incurrit; verius alij, & expressius appellarunt Cyclopem, eum videlicèt, qui arma cudit in nostros, licèt incassùm; & qui altero careret oculo, quo scilicèt veritas cernitur: fuerunt & qui ipsum Busiridem appellarent, qui Scironem, qui Phalaridem, qui Typhonem: his titulis insignis accessit ad carnificinam bonorum: ac statim in Alexandri familiares, quorum complures erant è nostris institutis, est inuectus; Religionis in primis magistros, ac duces de medio sustulit: Romanum ipsum hierarcham Pontianum, quem Alexander tantùm extorrem facere ausus erat, vita priuauit; eius humeros, quibus vetius, quàm Atlanticis Mundus nitebatur, concidit flagris; addidit alterum paricidium, Anthero item hierarcha necato, eo nomine, quod eorum, qui pro Religione ceciderant, acta conscribi iussisset: at non dubitauit ille pro atramento sufficere sanguinem. sed quid mirum, quod is, qui communis habitus est hostis, etiam insequeretur nostros? Senatus certè vota in templis publicè, priuatimque mulieres cum suis liberis vota faciebãt, nè ille vnquã Vrbem Romanam videret, quam fœdaret aspectu antequam cæde: interfectus igitur est tanta cum omnium gratulatione, vt cum caput præfixum conto, tanquam deuictæ crudelitatis trophæum per Italiam circumferretur, ad publici gaudij spectaculum confestim accurreretur: ac recitatis in curia literis de eius nece laureatis acclamatum sit: Maximini nomen non modò è tabulis, sed etiam ex animis eradendum, & caput in profluentem abijciendum; cautumque nè quis trunco, & inhumato corpori, quamuis terræ filius, & Antæus alter fuisset habitus, vel leuem terræ inijceret puluerem.

Post Maximinum interfectum tanto cum impetu ille Imperij conuersus est orbis, vt vix impressam orbitam quisquã videre possit; Pupieno enim, siuè Maximo, atq; Balbino tumultuariò creatos Augustos statim ipse tumultus oppressit. suffectus est Gordianus Cæsar; is Iani portas aperuit, pila commouit,

Digitized by Google

mouit, arma suscepit, sed in Parthos, qui pugnare soliti fugiẽdo, non in nostros, qui occursando; nec mirum, quod nullam hic aduersus Romanã Religionem excitauerit tempestatem, qui coniugem Romæ acceperat nomine Tranquillam. Helconides tantùm Corinthia insigni constantia matrona, eo Imperante, sed vel inscio, vel adhærente Religioni calumnia, varijs cruciamentis vexata traditur; in primis ei auulsæ sunt mammæ, ne in tuenda Religione deficeret genus Amazonum. Ceterùm Gordianus rebus bellicis implicatus eundem sortitus est exitum, quem olim apud Macedonem Alexandri nodus ille eiusdem nominis, gladio videlicèt sectus.

Audita Gordiani morte, creati Principes duo, Marcus, & Seuerus Hostilianus breui superfuerunt: Philippus Imperij habenas susoepit, per omnes militiæ gradus ad fastigiũ eius honoris euectus, qui filium item Philippum Imperij participem declarauit: ambo anno quarto primi Cæsarum initiati in nostram disciplinam venerunt: tum primum Religio augustissima versari cœpit inter Augustos: nihil vidit Roma magnificentius, quàm Imperatorios fasces, & secures, quæ antea nostrorum cruore madebant, Religioni submissas, atque subiectas: erat is natalis annus Romæ millesimus; itaque à Philippo celebratus est magnificentissimis ludis: nihil auspicatius accidit, quàm vt perfectus ille numerus sæculorum Christiano Imperatori reseruaretur ornandus: tunc se Roma verè renasci sensit: cõmendatus est in primis Philippus, quod exoletos, ac cinædos eiecerit, vrbemque quasi Augiæ stabulum, Hercule laudabilior, repurgarit: nempè debuit Religio, qua nihil castius, in pudore fundari: quid autem tam coniunctum cum purpura, quàm pudor? Porrò mirum non est, quod in nostris Hispaniarum Regibus Philippis tanta sit Religio, cum illa in horum Imperatoria stirpe agnoscat veteres primitias eius nominis Augustorum.

PERSECVTIO DECII IMPERATORIS.

NVnquam antea tam conferto agmine, à nostris sponte *An. Christi circiter 253.*

Digitized by Google

deuotis itum ad necem; aut tam apertè apparuit illorum virtus, quàm sub Deciano lictore. hic cum primùm inuasit Imperium, quasi classico, ita feralibus edictis Religioni statim intulit bellum, omnium, quæ fuerunt, infestissimum: nempè homo superstitione imbutus exarsisse dicitur ira, quod Philippus Imperator nostrorũ disciplina, quã impensè ipse oderat, fuisset initiatus, ac religio inter honores augustales educaretur: ac primùm quidèm Philippis è medio sublatis, ferrum in primates armauit: Fabianum Romanum hierarcham statim securi percusit; Alexandrum Hierosolymitanum præsulem, & Babylã Antiochenum necauit; qui Babylas catenas illas ferreas, quibus in custodiam datus fuerat, secum inferri voluit in tumulum, tanquam inferias, quibus Tyrannicum constringeret furorem, minas retineas vel in morte: multa Decio Imperante, atque immania tanquam ex impietatis lustris erupere monstra pœnarum, quæ à nostris constantiæ clauæ perdomita, ac superata sunt: immò supplicia cesserunt in decora. Metrano heroi fortissimo acutis calamis perforata facies est, quibus calamis sanguine diffluentibus inscriptum est in ipso vultu virtutis insigne trophæum: Iulianus æger cũ pedes incedere non posset, camelo per ludibrium impositus inter verbera per Vrbem circumductus est. Conon verò pedibus clauo confixis currum præire iussus: vtrique hoc pro triumphali põpa fuit. Pompeio autẽ, ac socijs nihil felicius accidere visum est, quàm sub Fortuniano Decij Præfecto, fustes, equuleum, secures perferre. Olympiades, etiam si graui plumbo humeros lictores onerarent cædendo, tanquam nobilis pancratiastes retineri non potuit, quin initum ad gloriam cursum sine offensione conficeret. Fausto nihil incundius fuit, quàm affigi cruci; inde dies ipsos quinque pependisse dicitur: denique ad eum quasi firmissimum cõstantiæ scopum sagittarij se exercuerunt. Serapioni compages corporis disiungi potuerunt, à Religionis proposito diuelli ipse non potuit. omitto penè innumerabiles, qui vt se Decij crudelitati subtraherent, dum huc illuc oberrant, vel in desertis locis in voraces belluas, vel in insidiantium satellitum manus crudelius inciderunt; quorum item plurimi fame, atque incommodis omnibus affecti, oppressique interierunt. illud autem non modò immanissimè, sed ingratissimè factum, vt Mercurius militari virtute clarissimus

Digitized by Google

simus post partam Cælestium præsidio de hoste victoriam, dū redit ad Decium exuuijs onustus, Religionis nomine spoliaretur vita. quid quod habuit ipsa crudelitas illecebras suas? alter melle oblitus ad Solem acerbissimis apum aculeis expositus: alter inter flores, & lenocinia cum solā haberet liberam linguam, eam in impudentem lenonis faciem expuit. Iam nō vno vsus est Decius impietatis administro: vsus est Promoto, quo iubente Marcellinus, & Verianus flagris, equuleo, ferreis vngulis, facibus vexati sunt: adhibuit & Quintianum, qui Agathæ inhians sanguini, etiam lactis fontes exhausit: sed cum amouit impedimenta mammarum, quam expugnare volebat, contra se armauit Amazonem. Perennio verò præside Bassus antistes, cum frustra laminæ ignitæ, virgæ, faceſq; fuissent ad mortē, clauis confixus stabilior factus est in susceptō de Religione consilio. Aquilinus quoq; præses inauditæ sæuitiæ fuit, qui quasi vncis ad prædam vnguibus, ita feritate animi vsus Parmenonem cum trecentis septuaginta tribus è nostris vno impetu lacerauit; sed omni sæuitia maior alacritas morientium fuit: ostendit hoc Apollonia, cum carnifices cursu præcucurrit, paratum insiliens in rogum; ostendit & Themistocles, Athenienſi illo longè præclarior, qui, cum Dioscorus quæreretur ad necem, nec statim esset inuentus, obtulit se victoribus, nè tantisper vel à pugna, vel à triumpho videretur feriata Religio. mira profectò extiterunt hoc tempore in nostris argumenta constantiæ; ac ne deessent ornamentā triumphalia, Laurentinus puer vnà cum Pergentino fratre perrexit in campum: non extimuerunt aciem, neque hostium, neq; ferri. Iam ne præclara illa nomina suorum alumnorum fabuloso sapientiæ titulo fucata iactaret antiquitas, Nestor vir sanctissimus cùm in equuleo, tùm in cruce altè suspēnsus, tanquam è suggestu de nostra disciplina ità loquutus est, vt dum manaret mero suauior è venis cruor, ex ore melle dulcior manaret oratio. at verò ne misera, & calamitosa videretur Religionis exulceratæ conditio, eam & Faustinus, & Faustus sanguine consecrarunt; eam & Amaranthus, & Florentius in procella pulchrius efflorescentes ornarunt: ei Victoria virgo triumphi dedit auspicium; quæ cum in corde vulnus accepit, amoris sedem, ac thronum purpura constrauit. At contrà Decius ab his primùm, deindè ab hostibus victus, cum in paludem incur-

Digitized by Google

turrisset, demersus est aquis post fusum nostrorum sanguinem: non est inuentum cadauer; neq; enim palus tot paricidiorum maculas eluere poterat, quas neque Oceanus immensis suis fluctibus eluisset: hoc egit conceptum illud in religionem odium, vt paludatum Imperatorem in palude demergeret.

PERSECVTIO.

GALLI, ET VOLVSIANI IMPERATORVM.

An. Christi circiter 255.

ACclamatus est Decij loco *Imperator* Gallus, qui militaribus præerat legionibus, ipso vigilantiæ nomine commendatus: assumpsit hic collegam Volusianum filium: ambo indictum à Decio religioni bellum infestis prosequuti sunt armis; quamobrem Decianæ procellæ nomen etiam sub his retentum: tanta verò illa cum sonitu, ac fragore concitata est, vt vltima perituri Mundi naufragia putarent; vbique intenta supplicia, & plurima mortis imago. statim excussus è gubernaculis Cornelius, quod Marti sacrificare nollet, moderator sūmus, & tanquā ad littus eiectus ad Centumcellas; tū traditus Cereali custodi: aceperūt nostri omen; mox ampla Religionis extitit messis. Cornelio, & Cereali ipso, itēq; viginti ferè militibus Volusiani iussu ferro necatis, & quasi falce desectis. Lucio deinde, qui Cornelio hierarchæ suffectus erat, fractæ cervices: additus Isidorus in Chio insula, qui in puteum iniectus est; nisi quod morte vitales reddidit aquas, hoc est salubres ægris: obijt intercepto spiritu, vt eum cæteris impertiret. Sed reclamauit tam impijs Natura paricidijs, ac totum penè terrarum concussit Orbem, quà prodigijs, quà cæde, quà clade; iterū recrudescere vulnera Persici belli cœperūt, quod Armeniā occupauit: Tiridates rex è manibus elapsus, filij ad hostilia signa conuersi. Scytharum quoque multitudo penè innumerabilis effusa in Italiam impressionem fecit; Macedoniam, Thessaliam, & Græciam inuasit; eorundem porrò pars Mæotide palude superata, per Bosphorum in Pontum Euxinum irrupit, atque omnia ferro, flammaque vastauit. inter hæc pestis immanis Prouincias occupauit, quæ ab Aethiopia exorta, atris ominibus Orientem, & Occidentem peruagata, cum

serpe-

Digitized by Google

serperet,multas vrbes ciuibus orbauit,nec ante terna lustra desæuijt;inuasit hoc malum quocumque impia Cęsarũ edicta peruaserant.nec impunè Gallus cum Volusiano filio abijt:etenim dum in Aemilianum nouis rebus studentem arma moliũtur, ambo victi prelio sunt, ac necati, & merito iure: quippè edixerat Gallus, ne quis è nostris vota, quæ pro inominatis habebat,pro Imperatoris incolumitate faceret; interdixerat videlicèt piorum votis deuota ipse hosti victima: ad hęc qui Cornelij hierarchę dexteram thure implere conatus fuerat, quod adoleret *M*arti, siniſtro Marte pugnauit: denique Gallus hic, cuius proprium fuit non euocare, sed eripere lucem nostris,tempiternam se ipse abdidit in noctem.

PERSECVTIO.

VALERIANI, ET GALLIENI IMPERATORVM.

VAleriani animum cum nostris antea coniunctissimum abalienarunt prestigię; siquidem Aegyptius quidam in magicis eruditus pollicitus ei est felicitatem Imperij, modò nostræ disciplinæ alumnos extingueret;quippè videbat,eam artem ijs superstitibus nihil habere virium, à Religione exarmatam;hoc esse aduersus veneficia præstantissimum amuletũ; igitur ad nefaria sacra statim animum appellere,impias offerre victimas, innocentium sanguine aras inficere, spirantium tenera viscera ferro extrahere, iecinorũ inspectare fibras,varijs excantationibus, & impostoris illaqueatus; nec cõsiderabat amentissimus Imperator, inter illa licia,nodosque ferales se implicandum ijs difficultatibus belli, quibus se non posset exoluere,ac daturum catenis manus; non præsensit in versatili rhombo volubilitatem Imperij;nec præuidit inter illa Circea pocula sibi mox non sine magno acerbitatis sensu degustandum Saporem: ab hoc quippè Rege Persarum Sapore post fusum nostrorum sanguinẽ Valerianus cum exercitu fusus, & infelicitèr captus, pœnas impietatis dedit: apud hunc Imperator Populi Romani fœdissima seruitute consenuit;hoc infamis officij perpetua damnatione sortitus, vt ipse accliuis humi Regem in equum ascensurum non manu sua,sed dorso per

An. Christi circiter 275.

sum-

Digitized by Google

ſummum dedecus; atque probrum attolleret: hoc debebatur impio paricidæ, vt cum fugere non liceret, dorſum tamẽ cum ignominia præberet hoſti; cum contra illius ferro noſtri cum laude aduerſa obtuliſſent pectora. quanquam ecquod ſupplicium par excogitari poterat eius ſceleri, qui Stephanum ſacrorum antiſtitem ſummum facientem ad aras mactauerat? qui Eugeniam Philippi filiam cum pudoris cuſtodibus Proto, atque Hyacintho; qui Baſillam è regia ſtirpe virginem crudelitèr interfecerat; qui Theogenis præſulis inſuias, qui Aſterij Senatoris purpuram infecerat sãguine? aut cur non omni dignitate priuatus traderetur hoſti, qui Emeritam, atque Dignã acerbiſſimis excruciatas pẽnis indigniſſimè necauerat? quid ni bellum infelicitèr gereret, qui Felicem vnum, & alterũ obtruncarat? qui Victorem ipſum de medio ſuſtulerat? denique quid ni Romani exercitus exareſcerent laureæ, in ignem iniecto Laurentio? niſi quod hic viriditatẽ non amiſit. equidem haud ſcio an quicquam ſub Valeriano ad Religionis veræ laudẽ actũ ſit illuſtrius, quã quod vidit Roma ſpectaculum inuictæ fortitudinis in Laurentio; quãquam enim noctu ea res geſta eſt, quod inobſcurare hoſtis conaretur eius gloriam; tamẽ nihil fama celebrius canit: nequicquam illa impij Cæſaris aquila in eum iaculata eſt igneum fulmen, nempe in militem laureatum: quàm verò alacrem, ac lætum inter cruciatus fuiſſe putamus, qui ad epulas vſtulati ſui corporis conuiuam inuitauit ipſum tyrannum? ſcilicèt illa vna vox generoſi ſpiritus inter ſtrepentes, atque vibrantes ignis linguas tam liberè edita ſilẽtium indicere potuit, vel Romanis Scæuolis, vel Indis Calanis; quid aliud Valerianus egit, quàm ne deeſſet in Religionis caſtris ille πυρφόρος dictus, hoc eſt Ignifer; qui, & præiret exemplo conſtantiæ, & ad eius generis prælium cæteros bellatores accenderet. Ad hæc cum Hippolytum equis diſtrahendum, raptandumque tradidiſſet, meritò in probroſum illud hoſtilis equi miniſterium eſt adhibitus. ſed hæc priuata calamitas, illa communis: latius enim ſe diuina vltio fudit: ſoluuntur repentè vndique circumfuſæ nationes, laxatisque habenis in omnes Romanorum fines inuehuntur: Germani Alpibus, Rhetia, totaque Italia penetrata, Rauennam vſque peruadunt: Alemanni Gallias peruagantes, etiam

in

Digitized by Google

in Italiam irrumpunt: Græcia, Macedonia, Pontus, Asia Gothorum inundatione delétur; Dacia trans Danubium in perpetuum auferetur. Quadi, & Sarmatæ Pannonias depopulantur. Germani vlteriores abrasa potiuntur Hispania. Parthi Mesopotamiam auferunt, Syriamque corrodunt, relictis vestigijs cladis, magnarum Vrbium ruinis: cum bellum Odenatus inferret; cum Aureolus perurgeret Illyricum; cum Aemilianus occupasset Aegyptum; denique cum Tyranni propè triginta fragore armorum circumtonarent imperium: calamitosa isthæc omnia, sed illa etiã horribilia: inter tot bellicas clades terræmotus ingétes facti, offusæ diei repentè tenebræ, audita tonitrua, irato cœlo, mugiente terra. ædificia multa cum habitatoribus deuorata sunt, multi terrore ipso mortui; quod quidem malum tristius in Asiæ vrbibus fuit: mota est & Roma, mota & Libya. hiatus tèrræ plurimis in locis immanes fuerunt; maria etiam multas vrbes occuparunt, ac fluctibus obruerunt; præter vim pestilentiæ tantam vel Romæ, vel in Achaicis vrbibus, vt vno die quinque millia hominum pari modo perijsse dicantur: quę omnia in primis in vltionem Christiani sanguinis impiè fusi meritò accidisse sapientes è nostris putarunt; & illud maximè quod Valeriano cædis autori, apud Saporem inter tot dedecora, & probra versanti, nec Gallienus ipse filius aliqua ratione succurreret: scilicet inter ludos hic versabatur Circi, cum pater inter ludibria hostium spectacula dabat populo, cum ille barbaris spectaculum calamitatis esset, tum equestria celebrabat, cum pater insilienti in equum Regi seruiret; ingemiscente Roma, quod signa legionum nemo repeteret, quod victrices, ac deprædatrices antea populorum aquilæ, abiecto fulmine exarmatæ, ac deplumatæ inter vngues accipitrum constringerentur. nihil probrosius visum, quàm inter spolia captiuorum iacere augustalibus ornamentis spoliatum Cæsarem; quàm eum, qui Orbis terræ habenas regebat, equitanti regi tam fœdum exhibere ministerium, vt dorsum illud, quo antea tanta moles imperij nitebatur, infimum faceret gradum deiectus ex summo.

His igitur commotus, ac territus Gallienus, hoc est tot, tantisque prodigijs Mundi penè nutantis; & simul quod animaduertebat, Valerianum fœdissimas illas pœnas luere ob commissa paricidia in nostros; si minus parenti, at certè

Digitized by Google

sibi consuluit; enimverò nõ modò deinceps abstinuit cæde nostrorũ, sed eos domicilia repetere, ad sacra cõuenire, quæ ipsis in more positum erat, liberè exequi iussit. quinetiam ad sacrorum Antistites literas dedit munificentissimas, in quibus (tunc primùm verè) se pium, ac fortunatum vocabat. in ijs edixit, ne quis suorum molestię quicquam faceſſeret nostris, eiusque edicti exequendi curam Aurelio Cyrenio delegauit: quanquam hic, quod videbat Gallienum totum in voluptarijs rebus positum minimè obseruare quæ de his maximè præfecti agerent, imperata paruipendit; nam mox Marinus pro religione, & militari dignitate, & vita priuatus est: itaque cum propter cætera immania scelera, tum propter exercitam aliquando vnà cum parente sæuitiam in bonos, Gallienus non caruit pœna. studiosissimus in cultu corporis, amantissimus auri fuerat, aurata tunica, & aureis fibulis vsus: fulgens etiam procedere solitus, aspersa crinibus auri scobe; sed victus ab Aureolo Impetij æmulo, perfit ferro. statuam quoque sibi magnitudinis prorsus ingentis, & colosso maiorem, Solis habitu fieri præceperat; sed nondum perfecto opere, ante amisit vsuram huius lucis, quàm circumdaret fictos capiti radios.

PERSECVTIO

M. A. CLAVDII IMPERATORIS.

An Christi circiter 269. POstitus est rerum Claudius, non minus auidus nostri sanguinis, quàm hostilis. sed diuino nutu factum videtur, vt procliuem in Christianorum cædem animum bella distraherent, agitati imperij curæ distinerent: feriatum apud nostros Claudianum ferrum fuit, quia occupatum in hoste feriendo nunquam antea tam immensis copijs aduersus Romanum imperium se tota barbaries fudit: laborat historiæ fides, vt tanta vis hostium conflatis animis, collatisque signis in vnum coiuisse credatur: armatarum gentium tercentũ viginti millia fuerunt: adde seruos, adde carrucas, & epota flumina, consumptasque siluas; laboraſſe denique ipsam, quæ tantum barbarici timoris excepit, terram scriptores narrant: trai-

ecta

da quoq; sunt maria inaudita classe nauigiorũ omninò duorum millium, duplici scilicet numero, quàm fuisse dicitur ille, quo olim tota pariter Græcia, omnisque Thessalia Vrbes Asiæ expugnare connixa est. inter has igitur belli difficultates implicatus Cæsar, tempus nanciscì vix potuit, quo furorem solueret in nostros: nec tamen ita contineri potuit, quin aliqua ex parte erumperet: centũ, & amplius è nostra disciplina Romæ supplicio addixit. Cyrillam quoque ex Tryphonia iunioris Decij coniuge natam impiè iugulari iussit: quorum sanguine efferatior factus edixit, vt quicunque huiusmodi religionem profiterentur, etiam indicta causa dederentur neci. eo edicto cum alij complures, tum qui ad arenam fodiendam damnati fuerant, tumultuariò inde educti, ac theatro clausi militum telis confossi, confectique sunt. Sed nunquam in suis militibus Cæsar tantam animi magnitudinem est expertus, quantam in nobilissimis Persis, Mario, eiusque coniuge, ac liberis; quorum eò admirabilior fuit victoria, quod præcisis manibus pro religione pugnarunt. consultius Roma fecisset, si clypeum illud aureum, quod Claudio in Caria collocauit, his potius in Capitolio dedicasset; qui cum carerent manu, quã se clypeati tuerentur, tamen altero verè aureo instructi scuto, hoc est fide, vicerunt; & si columnam illam cum palmata eius statua superfixa, his, ac cæteris, qui summa constantia præditi victricem adepti sunt palmam, erexisset. Demum Quirinus tribunus gladio percussus, & in Tyberim proiectus est: eum cruentum vnda eluit; at contra Claudius fœdè perijt ea, quæ tunc Vrbem infecerat, lue.

PERSECVTIO.

AVRELIANI IMPERATORIS.

AVreliani natalia tam clara fuerunt, vt in ijs illustrandis ipse quodammodo se Sol effuderit; nisi quod splendorem tantorum ominum superstitio falsi Numinis inobscurauit: matrẽ habuit tẽpli Solis Antistitã, & eius cultu initiatã; quæ vt nato filio fausta crepundia faceret, è fano palliolum accepit purpureum, quod Imperator eius temporis votiuum *An. Christi circiter 272.*

Digitized by Google

obtulerat Soli; ita pro faſcijs auguſtalem habuit purpuram, immò ipſum Solis amictum, vt quodammodo radiare videretur in cunis: huic tamen neque adulto veritatis lumen affulſit, ſed inter ipſum Solis cultum in nocte, ac tenebris verſatus eſt. quinetiam veri Solis cultui prorſus infenſus fuit; hinc illa in eodem puero quaſi quædam ſignificatio futuræ crudelitatis in noſtros: narrant enim in eius peluim irrepſiſſe ſerpentem, eamque tortuoſis ſpiris, atque orbibus præcinxiſſe; matri vero quaſi familiarem habitum eum anguem: nempe Aurelianus poſtea tanquam ſerpens ex erroris latebris erupit, & virus acerbitatis in bonos effudit. ſed quicquid impiè molitus eſt, in illorum gloriam ceſſit: quod portendere quodamodo viſus eſt ille, qui ipſo naſcente, in paterno armento natus dicitur vitulus: ſanè mirus is incredibili candore fuit, ſed purpurantibus diſtinctus maculis: habuit autem in latere impreſſam à natura ipſa pulcherrimæ coronæ ſpeciem: en cuiuſmodi vitulos ille ferro mactauit, cum hoc in noſtrorum ceruices adegit; en quàm gratè Deo litatum eorum victimis, quas & virtutis candor ornaret, & purpura ſanguinis, & maximè corona inſigniret; quid enim aliud egit, cum ſupplicijs, ac morte affecit, quàm quod coronauit? data eſt Aureliano, cũ legatus ad Perſas eſſet, patera, qualis ſolet Imperatoribus dari à Rege Perſarum, in qua inſculptus erat Sol, eoque radiato poculo vti ſolitus, quaſi ad ſympoſij ſplendorem: at lõgè illuſtrius fuit illud mortis poculum, quod propinauit noſtris, vnde illis Oriens veræ ſe extulit glorię. ſed illud naſcentis Aureliani prodigium potiſſet non neminem fallere, quod ipſum infantem, ac faſciola deuinctum aquila dicitur è cunis extractum ſuper aram collocaſſe: quis non ſibi perſuaſiſſet illum fore defenſorem ararum, atque templorum? ita ſanè, niſi ſuper arã inuentus eſſet falſo Numini dicatam. In Deorũ cultum præter bellicas curas ſe totus effudit; quicquid è ſpolijs hoſtium, quicquid è Zenobiæ theſauris accepit, in magnificentiſſimum fanum Soli dicatum contulit: tercentum auri libras, mille octingenta auri pondo, ac regias omnes gẽmas, & Palmyrenorũ gazas impẽdit. nec minus ſuperſtitioſus fuit in ceteris, præſertim in Amburbijs, atq; Ambarualibus celebrandis; in euoluẽdis, cõſulẽdiſq; fatalibus libris, reprehendiſq; ijs, qui ipſis nõ haberent fidem, perinde ac id genus diuinationis

in

Digitized by Google

in nostrorum conuentu, qui ab his longè abhorrent, non in Deorum fanis, atque delubris ageretur: sed fuerunt Aureliano ii libri verè fatales; nec intellexit, aut præuidit necem per insidias sibi paratam vltricem nostri sanguinis: Illud verò quantæ non modò crudelitatis fuit, sed amentiæ, quod cum imperij sui felicitatem scrutaretur in libris, Felicem ipsum antistitem sumnium, ac religionis magistrum de medio sustulit; insuper alterum quoque eius nominis Felicem hicrodulum necari iussit, vt omni ex parte felicitate careret. ferunt inter cætera eius natalium prodigia, in matris corte flores enatos purpurei coloris, miri odoris, folijs aureis: at hic posteà Narcissum omni virtutum genere efflorescentem ferro demessuit; quo potius infregit ipse sibi augustalis gloriæ florem. aduersus Columbam quoque virginem immisit aquilam Imperij, sed eam deprædari non potuit: è peristerotrophio in prostibulum, ac lupanar frustra coegit. putatum certè est monstrosum sæuitiæ genus, quod conatus sit ex Columba facere lupam. nihil porrò tàm Aurelianus sibi cordi esse iactabat, quàm iustitiam, quamobrem ad tribunum scripsit, opes colligendas de hostium præda, non de prouincialium lacrymis; æqui ipse sanctissimum virum, Iustum nomine, securi percussit: præterea cum deditus esset Solis cultui, Heliodorum, cui græcè à Sole nomen est, neci dedit; carnificem verò, qui ex eius constantia veritatis conceperat lumen, demersit in mare. Athenodorus item sapientissimus præsul, & Gregorij Thaumathurgi frater interfectus est: vterque supra naturam egit, vterque planè admirandus, sed ille inclytus mobili monte, hic stabili mente; ille saxa peruicit, hic ferrum; illè elementis imperauit, hic domuit Imperatorem; denique ille prodigiosus inusitatis factis, hic prodigus sui sanguinis. Præter hæc quantum Aurelianus fortitudinis expertus est in Mamante? quantum in Symphoriano? quid illa magnitudo animi in Agapito adolescente, quàm præclarum dedit spectaculum? cum neruis crudeliter cæsus, neruosior fieret ad pugnam; cum ad immanem leonem petitus, ab eo blandè expeteretur ab oscula, quæ mollitet libauit lingua. omitto Cononis, & filij adhuc pueri incredibile robur animi in perferendis candentibus cratibus, equuleis, malleis; omitto Synesion anagnosten, græcis, latinisque literis celebratum; ac præterea centum

Digitized by Google

tum,sexaginta,& amplius milites pro religione deuotos. celebrauit Aurelianus Solis agonem:commisit pugiles, qui ex eius planetæ ludis acciperent lucem nominis, sed nostrorum agone nihil fuit illustrius. triumphauit in primis de Zenobia Palmyrensium Regina, sed ornatiores fuere nostrorum triumphi: immò Zenobia ipsa Aureliani triũpho superior fuit cum ad summi Imperatoris signa se contulit: multorum enim scriptorum coniectura est, hanc Iudaicis antea imbutam ritibus, postea nostris initiatam: itaque libet eam in conspectũ dare non sine honore captiuam, vt spectemus laudabilius à superstitione iam liberam. Inter præcipua quæ in ea pompa tenebant oculos, erant insignes regij currus quatuor:Odenati vnus,auro,argento, gemmis operosus, atque distinctus;alter,quem Rex Persarum Aureliano dono dederat;tertius,quo inuehi Zenobia solebat,magnificentissimè exornatus, & affabrè elaboratus; quartus Gothorum Regis ceruis iunctis, quos deinde Aurelianus in Capitolio Ioui mactauit.præibant elephanti multi,ferę Libycæ ducentæ, Tigrides quoque, camelopardales, alces, ac cetera id genus per ordinem ducta; gladiatorum item paria octingenta, præter captiuos gentium barbararum:trahebãtur inter ceteros, Blemyes,Axomatæ,Roxolani,Indi,Bachmanes,Iberi,Arabes, Getæ,Alani, Sarmatæ, Sueui, Vandali, Germani:ad hæc Palmyrensium proceres ducebantur,& mulieres virili habitu armatę, quæ de Amazonum genere esse dicebantur. ferebãtur in pompa,& vexilla castrorum, & eminentes tituli deuictarũ gentium, & coronæ aureæ omnium Ciuitatum, & opes regiæ;consequebantur cataphractarij milites, & omnis exercitus;sed nihil spectabilius, quàm Zenobia ipsa,incredibili venustate prædita, ac tanto dentium candore, vt margaritas plerique putarent habere,non dentes;tametsi nihil in illa venustius, quàm pudicitia: ducta est autem per triumphum ea specie, qua nihil magnificentius, aut augustius vnquam Roma viderit: quippe incedebat tot clarissimis gemmis ornata, vt ornamentorum onere laboraret. vincti erant auro pedes;manus item catenis aureis,quas alij sustẽtabant; iniectum collo erat vinculum, & ipsum aureum. ita in Capitolium ducta:huic deinde ab Aureliano & viuere concessum est, & Tiburtina possessio data. vixit autem nostris aut insti-

Digitized by Google

inſtitutis, aut certè moribus; vero ſimillimum autem quidam è ſapientibus putant, eam, quod incredibili prudentia eſſet, & ea pudicitia, vt præter conceptum abſtineret etiam à viro; eaque ſapientia, vt Alexandrinam, ac totius Orientis hiſtoriam in epitomen cõtraxiſſe dicatur, noſtris inſtitutis excultam, ac veræ religioni virtutum omnium magiſtræ nomen dediſſe, nimirùm commotam præſertim conſtantia noſtrorum, quos Aurelianus impiè neci dabat. accedebat conſideratio ipſa humanarũ viciſſitudinũ; vt ad diuina, & immortalia traduceret animum, cum ſcilicet ſe de Regno, ac faſtu omni deiectam videret: adorari quippe à ſuis ſolebat Regum more Perſarũ; conuiuari Imperatorum more Romanorum; quatuor ferè millia peditum in itinere circumferre; ad conciones galeata procedere, cum limbo purpureo, gemmis per fimbriam dependentibus: nihil autem ad commouendum animum tantam vim habet, quantam è ſublimi dignitatis gradu deiectio: quæ de hac matrona eò libentius dixi, quod ex eius familia fuiſſe credatur Zenobius ille Florentinus antiſtes, omni genere virtutum ornatiſſimus, æqualis Ambroſio; quamobrem ſi noſtris eſt Zenobia hæc imbuta inſtitutis, hoc egit Aurelianus, licet inuitus, vel aliud agens, quod captiua cœpit ipſa triumphum agere de impietate, de ſuperſtitione, de faſtu. vidit in vrbe laureatos è noſtris milites, qui de Auteliani ſæuitia triumpharent; vidit inſuperabilem eſſe religionis vim, atque robur. Porrò vſque adeò ſuperſtitioſus Aurelianus erat, vt cum imperij collegam admiſerit neminẽ, Herculem tamen, & ſuum eſſe conſortem dixerit, & nominauerit Auguſtum: vnde illa in marmoribus epigraphe: Herculi Aug. Conſorti D.M. Aureliani inuicti Auguſti. ſcilicet putauit, Hercule ad conſortionem imperij adſcito, ſe inuictum; ſed didicit à noſtris vinci; immo verò nec ſuorum effugit manus; fuit enim ſeueritatis immenſæ, & gladiator antequã Cæſar, ſororis filiam, vel leui, vel non ſatis cauſa diſcuſſa, necauit; cumque eſſent in exercitu eodem nomine Auteliani duo, ambo tribuni, huic, vt diſtingui poſſet exercitus, apposuit ſignum, manu ad ferram: vt ſi fortè quæreretur, cur Aurelianus aliquid geſſiſſet, ſuggereretur Aurelianus, manu ad ferrum; ſed cum hoc diſtrinxiſſet in noſtros, expertus eſt aliena manu ferrum; quamquam quia & in Cœlites impius fuerat, cum

cœle-

Digitized by Google

cœlesti quoque telo, hoc est fulmine afflatus, ac semiuiuus relictus fuisset, in aduersariorum arma incidens confectus est; ita qui in triũpho de Regina curules ceruos Ioui Capitolino mactarat, dum venaticum hostem instar cerui fugit, Iouis ipsius tonantis mactatus est telo.

PERSECVTIO.

SVB PROBO IMPERATORE.

QVÆDAM DE TACITO, AC FLORIANO IMPERAT.

An Christi circiter 279. NIhil Romanis tam fuit in ore, quàm Tacitus; nemo tam clarè acclamatus Imperator: nihil non egit, vt delatum honorem à se repelleret: diceres recusasse augustales illos fasces, ac secures, superborum Cæsarum iussu cruentatas innocentium cæde: fauisse enim visus est rebus nostris, adeo vt statim atque adeptus est imperium, datis literis in omnes prouincias rescripserit, iusserit atque præfectos abstinere à cæde, doctus videlicet cum aliorum Imperatorum, tum Aureliani ipsius exemplo, in quem non modò vt sanguinarium sæuierat ferrum, sed etiam vt in religionis hostem armauerat se cœlum fulmine: itaque Chariton, qui multa dira passus, dedendus iam erat neci, ex Taciti edicto carcere ipsi, ac cæteris è nostra disciplina pacefacto, vel inuitus ipsius est exire; quod mirum fuit in homine, qui Deorum fanum extruxit, ac principũ signis ornauit, vbi libamina offerrentur. quanquã in ipsius morte omnes, qui erant in larario Dii, siue terræmotu, siue casu aliquo conciderunt: vt idem fuerit, & eius qui coleret, & eorum qui colerentur, occasus.

Delatum postea est imperium Floriano Taciti fratri, quem tamen vix efflorescere incipientem subitus seditiosi exercitus turbo decussit: vtrique erectæ sunt statuæ, sed eæ mox deiectæ fulmine, ità contritæ sunt, vt membratim dissipatæ iacerent: meruit hoc certè Tacitus, vt ipsius imago eodem periret fato, quo Aurelianus, quia hunc, qui religionem tam acriter insectatus fuerat, ita post mortem honestauit, vt eius imaginem ab omnibus pictam haberi, ac gestari iusserit. porrò hoc ipso tempore, quo hæc agebantur, totam Vrbem conflauerunt aruſ-

Digitized by Google

aruſpicum, ac diuinaculorum, vel reſponſa, vel ſomnia: dictitabant enim, rem interpretari ex fulminum iactu, naſciturum aliquando ex Taciti, & Floriani familia Romanorum Imperatorem, qui daret iudices Parthis, ac Perſis; qui Francos, & Alemannos ſub Romanis haberet legibus; qui per omnem Africam barbarum non relinqueret; qui Teprobanæ præſidem imponeret; qui Sarmatis omnibus inijceret frænum, qui terram omnem, quàm Oceanus ambit, captis omnibus gentibus, faceret ſuam; ipſum autem Imperatorem victurum annos centum, & viginti, & ſine hærede moriturum; futurum autem eum dixerunt poſt annos mille, à quo Taciti, ac Floriani ſtatuæ iactu fulminis præcipitatæ erant, atque confractæ; ſed non difficile negotium fuit aruſpicibus in has impoſturas, & nugas abire, quia talem Principem poſt mille annos vaticinabantur futurum, vt obrueretur ipſa vetuſtate mendacium: vaticinatio ea fuit digna certè ſilentio de Tacito. neque verò aliud huiuſmodi imperium fuſum per omnem Orbem terrarum agnoſcimus, quàm ſummi Imperatoris, eiuſdemque Liberatoris noſtri, quod æternum eſt cum ſempiterno manſurum.

Poſt hæc Probus ita imperauit, vt ferè omnium vna vox eſſet, eum dici debuiſſe Probum, etiam ſi illud inditum non eſſet nomen. is iam tum, cum in bello Sarmatico tribunum ageret, quod multa ſtrenuè geſſiſſet, donatus eſt vexillis, & haſtis puris; donatus coronis vallaribus, ac ciuicis; armillis quoque aureis, & torque aureo: niſi quod & pateram ſacrificalem dono accepit, qua Dijs libaret: quod certè fecit ex Probo improbum, immò impium: Aurelianum tamen dicitur à crudelitate ſæpe reuocaſſe; quamobrem fieri potuit, vt ferrum etiam ab ipſo noſtrorum ceruicibus intentum repulerit. ac licet Probo imperante nonnulli necati fuerint è noſtris, id tamen Sapientum iudicio, præfectorum potius odio in religionem inſito tribuendum videtur; itaque Antiochiæ in Trophimum, atque Sabbatium impiè ſæuitum, qui, cum ſuperſtitioſum Apollinis Daphnitici feſtum clamoribus interturbaſſent, ab Attico præſide quæſtioni ſubiecti ſunt; ac Sabbatius quidem ſtatim victor in pœnis de Daphnitico adeptus eſt lauream; Trophimus verò ad Perennium Phrygiæ præſidem ductus, ac dirius exagitatus, dum miræ conſtantiæ ſpecta-

Digitized by Google

culum præbet, auctus est collega Dorimedante, homine Senatorij ordinis, qui addidit purpuræ etiam sanguinis decus: hæc, inquam, quanquam à præfectis acta, non tamen omni culpa vacare dixerim Probum; est enim Imperatoris proprium, præcipua cura, & studio indagare etiam ea, quæ circa religionem à magistratibus actitantur, nec ignorare impiam cædem certè Senatoris. itaque in vltionem recens interfectorum nonnulli putant, vt mox concitati in Romanum imperium Franci, totum armorum fragore concusserint; qui à Ponto vsque correptis nauibus, Græcia, Asia, Libyaque decursa, & immenso itinere prouecti, præterrectique, quà terras abrumpit Oceanus, ostenderunt, nihil esse magnitudini animi clausum, quò nauigijs pateret accessus: ac fuit quidem illud egregium planè Francorum antiquæ gloriæ monumentum, quos Christiana Religio postea longè clariores effecit: tanto igitur tumultu perturbatum fuit imperium Probi, quia nostrorum cæde cruentatum. ac certè Probus ipse improbitatis, immò impietatis labe non caruit, cum multa fictitijs Dijs extruxisse fana dicatur, labore militum scilicet, vt discerent non minus pro superstitione, quàm pro imperio dimicare. ac videtur eius nefarij studij, atque cultus omen habuisse, cum appellatus Imperator, ornatus est statim pallio purpureo accepto de statua, quæ in fano Dijs dicato collocata erat: deinde potitus insigni victoria, vbi quadringenta millia hominum cæsa, & septuaginta vrbes nobilissimæ extortæ hostibus, atque in libertatem asserte, supplicationē iussit veteri more decerni ad puluinaria Deorum, post collectū videlicet feliciter belli puluerem: tum coronas aureas ipsi oblatas à Galliæ ciuitatibus *Dijs* obtulit; à quibus certè id mox accepit præmij, vt pro aureis haberet ipse cupressinas, à suis infeliciter interfectus: nec ignoranda causa necis, quæ in primis illa fuit; quòd eam gloriam, quæ solùm veræ religionis est, sibi vsurpare sit ausus; dictitabat enim, sibi breui militum operam necessariam non futuram, nec eis gratuitam annonam concessurum: quo indicabat, (vsque eò processerat arrogantia) breui fore, vt sua virtute omnes barbaras nationes subijceret pedibus, vt Orbem terrarum omnem faceret Romanum, vt vbi vis ipse regnaret, vt iam secura Respublica non fabricaret arma, non bellicus lituus audiretur; sed vbi-

que

Digitized by Google

que pax, vbique Romanæ leges vigerét: atqui Religionis hæc tam magnifica esse vox debuit, quæ verè est & proba, & aduersis probata: ita dum ille totum Orbem terræ amplectitur animo, vix breuem vrnam impleuit corpore; nec terrram modò, cuius cupiditate ardebat, viuens non occupauit, sed mortui statua Cœli fulmine conflagrauit.

PERSECVTIO NVMERIANI IMPERATORIS.

QVAEDAM ITEM DE CARO, ET CARINO IMP.

SVffectus est Carus Probo, à quo ille statua ornatus fuerat. Carus ex liberis, quos Cæsares fecit, Numerianum adolescentem secum habuit, Carinum natu maiorem ad Gallias tuendas misit; & Carus quidem non modò non videtur abhorruisse à nostris, sed potius cum ijs charitate coniunctus: quippe legimus ab ipso tributum nostris piè remissum, datis literis ad Præfectum prætorii beneuolentiæ testibus: cur igitur eo imperante tantum Christiani sanguinis fusum? quia, vel à magistratibus id actum, vel etiam à Numeriano Cæsare filio: non igitur omnino vacare videtur culpa Carus, qui nec inuastigaret acta magistratuum, præsertim in religionis causa; & sineret filium, qui secum erat, adhuc adolescentem exagitare sacra, & in nos crudeliter debacchari. Igitur non caruit pœna Carus; nam cum Mesopotamia capta vltra Ctesiphontem, qui terminus erat imperij, auidus gloriæ conaretur excurrere, ictus dicitur fulmine; aut certè cum ægrotaret, atque in tentorio iaceret, ingenti exorta tempestate, & immani coruscatione, horrendo præter solitum tonitru exanimatus est: tanti enim turbinis vim exortam ferunt, vt caligarent omnia, neque alter ab altero dignosci posset; deinde tonitruorum fragor immanis, & fulguris tanquam igniti sideris continuata vibratio cuncta concusserit, atque perculerit. at verò aruspices ideò Carum absumptum fulmine dixerunt, quod eos imperij fines transgredi ausus esset, qui erant fataliter constituti: putabatur enim vis fati quædam esse, vt Ro-

An. Christi circiter 284.

Digitized by Google

manus Princeps Ctesiphontem transire non posset; sed sibi habuerit sua somnia timida superstitio ἀνερα religione calcanda: licuit enim huic, & licebit non modò vltra Ctesiphontem, ac Persas progredi, sed vltra circumfusum extremis littoribus Oceanum. Ergo religioni referuabatur hæc gloria, quam infeliciter affectauit Carus.

Nec abijt Numerianus filius Cæsar inultus, quando siuè ipsius impio iussu, siuè ipso non inhibente à Præfectis, tam crudeliter sæuitum est in nostros. disertissimus hic vel adolescens est habitus, eique ex Senatus consulto statua excitata in Bibliotheca non quasi Cæsari, sed quasi rhetori; verùm qui aureo dicendi genere, & flore orationis delectabatur, Chrysanthum tamē ab aureo flore dictum cum Daria de medio sustulit; nec tam suauiter styli, quàm immaniter gladij aciem strinxit. sæuissima omnino sub hoc Cæsare fuit laniena nostrorum, inter quos vir sapiens Marianus anagnostes, & Diodorus, & Alexander. Claudius item tribunus cum coniuge, ac liberis, septuaginta quoque milites interfecti; et quod non modò crudelitatis fuit, sed etiam amentiæ, cum Numerianus hic bellum appararet in Persas, inauspicatò id agere quodammodo visus est, quipe è viuis sustulit Nicephorum, et Victorinum, atque Victorem: adde Felicem, adde Eutychianum ipsum Pontificem maximum: vt mirum non sit infortunatum fuisse: parentem Carum breui amisit, quo nihil habuit in vita charius, ac dulcius: ob eius quippe mortem tantam vim effudit lachrymarum, vt ex vigilijs fit penè confectus, et visus iactutam fecerit; nec mirum quod mœrore extabuerit, cum inter ceteros & Hilarus Præsul, & Hilaria cum Claudio nece sublati essent: denique cum amisisset oculorum vsum, breui amisit etiam huius lucis vsuram, nam factione soceri imperium affectantis, cui Apro nomen erat, interemptus est: ita Numerianus, cum ministros, aclictores tanquam venaticos canes immisisset in nostros, ipse in acrem Aprimor sum incidit.

At verò Carinus ideo, vti reor, aduersus religionem apertè arma non mouit, tum quia vt erat debilitatus stupris, & ganeis imbellem se sentiebat, atque eneruem; tum quia similem Numeriani fratris, qui id egerat, exitum timebat. Caro certè parenti adeo non fuit charus, vt ille potius eius flagitia execra-

Digitized by Google

cratus non semel exclamauerit: Non est meus. à paterna autem nece liberior augustalem domum scortis, mimis, pantomimis, lenonibus implenit: inter tot autem inquinamenta vitæ frustra incessit ornatus: habuit enim in calceis gemmas, quas fœdissimis morum vestigijs inquinauit. in scæna Cyclopem adornatum exhibuit, eò tamen visus est ipse fœdior etiam in purpura: fuit enim in hac quasi Carina sentina vitiorum, quæ non nisi ferro exhausta est, cum à tribuno, cuius coniuge abuti volebat, cæsus. Marinum quidem Senatorem sub hoc Principe necatum legimus; sed eam necem fratri potius, quàm ipsi tribuunt, cui nihil minus negotij facessebat, quàm causa Religionis.

PERSECVTIO DIOCLETIANI IMPERATORIS.

A Diocletiano concitata in Religionem procella, vt grauissima fuit, ita videbatur quodammodo timeri non posse, quia coniugem habuit nomine Serenam, & ipsam è nostra disciplina: sed nimirum indicari visa est pacata illa nostrorum sub ipsa tempestate serenitas, & imperturbatæ mentis quies: Natus est Diocletianus libertino parente, genere seruil i. cum gregarius miles esset, dicitur audiuisse de Druyde anicula, futurum ipsum Imperatorem, si aprum occideret: itaque elatus cupiditate regnandi venationi se dedit, campum mutauit syluis, vt mirum non sit induisse animo feritatem: in primis interficiendis apris intentus fuit: tandem in hominem incidit Aprum nomine, qui Numerianum Cæsarem interfecerat: hoc igitur paricidij nomine tegens ambitiosum consilium, quasi necem vlturus, hunc Aprum tanquã illum Erymanthium iaculatus est ferro; nec tamen sibi Herculis, qui id egerat, laudem adsciuit, sed arrogantius se Iouiũ dixit. Maximilianum quidem, quem sibi fecerat collegam imperij, vocauit Herculeum, quo indicabat se Ioui similem vt sicut ille, quò Cœli regiam defenderet, gigantes sustulerat, ita ipse quò Romam quasi Orbis terræ regiam tueretur, tyrannos insurgentes delere esset aggressus; ac sicut ille ab altissima *An. Christi circiter 279.*

Digitized by Google

tissima Cœli arce vndique suum diffunderet numen: ita ipse vni loco hærens, prouidentia sua vbique præsto esset: quid igitur mirum, quod Iouius eis, qui Iouis ipsius cultum aspernabantur, tam fuerit infensus? sed illud indignissimum, quod telum illud aprugno, ac ferino sanguine infectum intorserit in nostros: sæuissima certè omnium hæc incubuit pestis; & fuit in Diocletiano, atque Collega, quod post Neronem, & Domitianum timeretur immanius: nunquam antea magis rubuerunt ceruicibus nostrorum impactæ secures: tandiu sæuitum, donec admoniti Cæsares sunt, viuere aliquos debere, vt essent, quibus imperarent. propositum est ferale illud edictum, & acerbissimæ voci præconis subiecta Religio: cautum in primis, ne cui liceret quicquam emere, aut vendere, nisi antea thure, aut libamine aliquo, propositis vbique Deorum simulacris oblato; insuper ne quis frumentum molere, aut aquam haurire (inauditum crudelis edicti genus), aut aliud quidquis humano vsui necessarium perciperet, vitæ scilicet commercio prorsus ablato, nisi vitæ auctorem abiurasset. ferunt antequã Orbi terrarum tam impium significaretur edictum, arsisse cœlum, atque horribili fragore facta tonitrua, natura reclamante feralibus iussis; enimverò tot, ac tam immania proposita sunt vbique genera, vel potius monstra pœnarum, vt ea neque vltima barbaria possit agnoscere; cum plurimi securi caderent, quod maximè accidit in Arabia; nonnullis crura infringerentur, sed stantibus in proposito, sicut in Cappadocia factum; quidam pede altero ad caput alligato in sublime sublati, igne subiecto, & fumo ex viridiore materia edito suffocati, non tamen amissa viriditate constantiæ: multis labia, aures, manus, pedesque præcisi, & in partes victimarum more dissecti, quod Alexandria vidit; quis verò Antiochena supplicia memoret? vbi ignes, & crates eò grauiorem inferebant mortem, quò lentiorem: multos ea vrbs habuit Scæuolas, qui nead Deorum aras adolerent tura, manus ipsas veri numinis fecerunt aras: illa verò, quàm non modò sæua, sed horribilia, quæ nostri in Ponto tulerunt? quibusdam enim in summis digitis præacutis calamis vngues confixi, atque perfossi, quibus tamen is calamus fuit vsus, vt exemplo constantiæ expiscarentur multos. alij ebullientem picem, liquatumque plumbum scapulis excipiebant, ac dorso, sed eo

onere

Digitized by Google

onere facti leuiores ad pugnam. alios è ligno suspensos ita vexabant, vt machinis quibusdam dirum in modum membra distraherent; deinde in latera sæuirent vel flamma, vel ferro: illi ex fornice manu vna alligati pendebant, quibus cruciatu omni grauior erat articulorum omnium, membrorumque distentio, nisi quod fornix eiusmodi dirus cessit in triumphalem: alij porrò ad columnas vultu ad eas verso (apposite id quidem, vt ante oculos constantiæ simulacrum haberent) ita deuincti erant, vt pedibus non insisterent; quò fiebat, vt corporum mole deorsum vergente, vincula ipsa constringerentur magis, ac magis, cū acerbissimo sēsu doloris. fuerunt qui post cruciamenta, in cauata quædam supra quatuor foramina pedibus distenderentur ambobus, ac necessariò supini iacere cogerentur: cum toto corpore ab ictibus plurimis tecentia adhuc haberent, & intima vulnera, testis sibi substratis, horret animus ire per singula, hæretque calamus, quâ immanitate supplitiorum, quâ admiratione virtutis. sed illa in primis omittenda non est nostrorum cum agrestibus feris luctæ: Pardi namque, vrsi, apri, leones, taurique syluestres, ferro, & igne ad feritatem excitati in eos immittebantur: in quibus omnibus admirandum prorsus erat amphitheatri, Circique spectaculum, tanta generosorum, ac nobilium heroum fortitudo, atque constantia. verum & illud maximè fuerit miraculo, quod belluæ illæ longa fame efferatæ abstinerent a morsu; atque in illos potius, qui extra arenam stantes ipsas prouocabant in nostros, cum stridore, & impetu multo irruerent. at verò pios athletas nudos licet, & exarmatos, etiamsi manibus suis attraherent, prætirent. quod si quæ incurrere in eos cœperant, statim ac proximè accesserant, è vestigio, tanquam vi repulsæ, attonitis, & consternatis prodigio spectatoribus, retrocedebant; quippe cum in vnum sæpius multæ immitterentur bellua, infecta tamen re earum ductores abirent. nec minori admirationi erat strenuorum quorundam infractus animus, & in imperfecta adhuc ætate constantia supra senilem. vidisses enim adolescentem vinculis liberum, manibus recto statu in crucis speciem extentis, intrepido corde deuotum neci, in preces effusum, immanem cælo auidius, quàm inhiabant in ipsum bellua, neque se mouentem, neque genibus vacillantem: cum interea ca-

ca

ea illum Aphricanæ belluæ crudelitatem spiraret, grauiterque rugiret, ac iam penè insiliret, inuaderet, laniaret: nisi quod repente coelestibus quibusdam ora frænis coercebantur, ac veluti catenis in eos, qui post illos stabant, retrahebantur. vidisses alium tauro obiectum, qui quidē ex impijs spectatoribus cornibus in sublime iactasset, atq; immanibus in partes varias ictibus diuisisset nō nemine: at cū minatius, ac ferocius cuipiā è nostris appropinquasset, ne stringere quidem eum posset, sed sensim tantummodò, ac blandè cornua peteret, lingua pedes lamberet; ac demum veluti religiosa quadam imbutus pietate discederet; nec prius eripi vita potuit nostris, quàm humanitatem, quam induerant feræ, exuerant homines: è cauea enim educti, aut ferro iugulabantur, aut deijciebantur in mare. vidit præclara hæc nostrorum pugilum spectacula, in primis Tyrus: & satis commodè factum, vt ea Vrbs triumphalem exciperet sanguinem, in qua intexebantur purpuræ. Quid hic ego commemorem quā alacriter, quo sensu voluptatis ferrentur ad necem? quoties uel constantia, uel prodigijs commoti etiam carnifices, atque lictores illas ipsas secures, quas alienis ceruicibus immergere parati erant, exceperunt suis? quid illa conspiratio animorum quàm admirabilis fuit, cum conferto agmine occurrerent neci? constat intra mensem vnum septendecim millia nostrorum hominum cæsa; constat non solùm plurimos cæteruatim, sed integrum Phrygiæ oppidum, cives scilicet omnes, vnà cum coniugibus ac liberis, iniecto ab armatis copijs igne, pro religione consumptum; ut omittam quam plurimos, qui cum Liberatoris nostri natalitijs templum compleuissent, atque malleolis esset circumdatum, proposita Iouis ara, maluerunt ipsi adoleri igne, quàm ad thus adolendum adduci. Atque hæc strages tam immanis, ac barbara per decennale spatium ducta, quanquam diuersos habuit Cæsares, ac ministros crudelitatis, tamen vnius Diocletiani nomine nuncupari solet, quod ipse fons, & auctor, & architectus tantorum exitiorum fuerit. libet autem ex innumerabili cœtu nonnullorum tantùm delibare constantiā: eniuit in primis Pantaleonis virtus inuicta, depugnauit enim is cum ferro secante, cum plumbo feruente, cum rota membra comminuente; prodigiosè innatauit in fluctibus, lapidem molarem secum quæ-

hens,

Digitized by Google

hens, atque attollens; bestijs quoque, ac ferro vna cum Hermolao, Hermippo, & Hermocrate superior fuit. quid in Eustachio, ac socijs? quantum fortitudinis fuit? ille cum impiorum amentiam coarguere, in sublime extensus concidendum se flagris obtulit; illi adusta viscera, & acerbissimo cruciatu ad condimentum sale atque aceto perfusa: ad hæc fragmentis testarum, sed infracto animo, ita corpus obtritum, vt vnum in plurimis videretur liare vulnus: vt autem diuino nutu, atque ope dilapsis plagarum squamis ad pristinum formæ statum, est reuersus, idem stadium cum Eugenio, cum Auxentio, ac Mardonio iniit: atque hic quidem per talos arte suspensus, subulisque ignitis perforatus, atque dispunctus, & facibus insuper exustus generosam effudit animam. Eugenius autem quod in impietatem acriter, ac liberè esset inuectus, abscissa lingua, manibus quoque, pedibusque confractis, admirandum sui spectaculum dedit: Eustachius denique ipse è flamma euolauit ad Superos. Quid verò Georgius? magnus, inquam, ille inter certatores pugil, & præclari huius agminis antesignanus, is in Cappadocia adhuc adolescens forma præstanti, & qui nondum primam protulisset lanuginem, captus quod spurios deriuisset Deos, ac Cæsari impietatem exprobasset, supra naturæ conditionem perquam acerbos pertulit cruciatus; namque post carceres, & vincula, vngulæ acutæ eum excepere, sed quæ acuere constantia; calce cædere est adustus, sed qua fastigium virtutis extructum est; fidiculis rursum distractus, sed quæ constrinxerat fidem; deinde conseissus ferri mucronibus, ac plurimis affectus pœnis vtcunque, eximiam indolem, ac magnitudinem animi nostræ disciplinæ propriam declarauit: postremò cum impostoris cuiusdam magicum bouem euertisset, Alexandramque reginam iam dudum vita functam precibus ab inferis excitasset, non tam adolescenti similis, quam hero maior gladio percussus occubuit: Accessit his Procopius, quem Diocletianus ipse ad honorum gradus euexerat, atque in Oriente constituerat Ducem: is diuino monitu accersitus è Cœlo, atque euocatus ad nobiliorem pugnam, statim acre superstitioni indixit bellum: aureis namque, & argenteis Diis, quos sibi fabricandos curauerat, comminutis, eorum pretium in egenos distribuit, vt ditescerent exuuijs Erebi; quamobrem captus quàm alacriter se subiecit

Digitized by Google

supplicijs? aut quæ quantumuis immania non exhausit? quam non subijt carnificinam? quibus vngulis cutis eius concisa non est? quæ non haserunt lateri faces? quorum ferramentorum, mucronumque acies admota corpori hebetata non est? Iam Sebastiani fortissimi Ducis prætorianæ cohortis virtus maior est, quàm vt laudatione egeat; qui ideò sagittarum excepit nubem, vt, quemadmodum in hanc rem quidam veterum Ducum dixit, commodius sub vmbra pugnaret: coeperunt spicula non tam veneno, ac felle, quàm sanguine, qui fluebat, melle dulcior, ingigere ille gloriæ tot habuit, vnde manaret, ora, quot vulnera: mox curatus diuinitùs, ante arcum Cæsarem stetit: confixit hunc ipse verbis, quasi telis, quæ tanto acriùs vulnerarunt, quanto acutius præsusa erant coelestis virtutis. consequuti Sebastianum sunt domestici ipsi Imperatoris, ac familiares: Dorotheus, & Gorgonius: in primis verò Petrus cubicularius: hic per mediam Nicomediam per ignominiam tractus, tum vsque eo diuerberatus est, vt ossa flagrorum, fusumque ictibus nudata perstringerent horrore intuentium oculos: atque vt exaturari crudelitas posset, condimentum adhiberi à lictoribus iussit, sed acerbissimum: salem enim acerrimum vulneribus membra infuderunt, atque in vulnera intrusum: quantam immani cruciatu cum superior extitisset, constratus est etiam ignis, & posita cratis, vt eo tanquam edulio auida sæuities pasci posset: quibus in supplicijs tanta cum sociorum, tùm ipsius Petri firmitas, ac soliditas mentis fuit, vt cum essent à nostris seruituræ mandati, Diocletianus effodi iussit, atque in mare proijci, hac tantùm de causa, quod vereretur, ne, si quid eorum extaret, haberentur Dij. enimverò si quis Clementis Ancyriani Præsulis insuperabilem, & infractum malis animum consideret, non mirabitur Diocletianum in hanc suspicionem veniisse occultæ diuinitatis in nostris, cum supra naturam ad stuporem agerent. etenim per quæ Clemens supplicia circumductus non est? primùm quidem Romæ, deinde Nicomediæ: quoties destitere defatigati lictores? stante illo in pœnis, ac præstolante alios, qui recentes, vegetique succederent: quàm longum illud fuit stadium, quod excurrit sine vllo lapsu, etsi multo lubricum sanguine? viginti ipsos & octo annos exagitatus est, incredibili virtute con-

concertans cum ferro, cum igne, cum saxis, cum Aphricanis belluis; ac diuersis modis in terra, in aere, in aquis exercitus, natura superiorjeum si adamantinum dixeris, parum dixeris, neque enim hirelno frangeretur sanguine, qui tandiu frangi non potuit suo: at verò Tiburtius ne in igne thus imponeret manu, ignem impunè calcauit pedibus: Marcellianus, ac Marcus confixi clauis, immobiles non animo tantùm stetere, sed corpore. nec desiderata in fœminis, ac puellis virilis quædam virtus est; nam, & Aquilina virgo per præfectos ferro confossa, victricibus ipsis Diocletiani aquilis generosior fuit: & Febronia auulsis mammis euasit Amazon. Eulampiæ, atque Eulampio fratri, quorum ipsum nomen fuit illustre, facta est splendoris accessio per flammam; & Eulalia virgo quid non pœnarum exhausit? equuleum in primis, dentes ferreos, crucem. sed hæc & alia multa, immanitatis, illud etiam peruicaciæ, quod Anastasiam Diocletianus per Iulianum à morte excitatam iterum addixerit morti: immò Iulianum ipsum, à quo vitam illa receperat, neci dederit; sed Anastasię reuiuiscenti omen fuerat in nomine, & bis extinctam vna, eademque excepit æternitas cum cumulo gloriæ. huic porrò immani facinori affine est illud, quo, & Zoe matrona lectissima, cui nomen à vita, & Vitalis ipse addicti sunt morti. satis autis autem idoneos crudelitati suæ ministros, Diocletianus elegerat, Dacianum in primis in Hispania præsidem; qui in ea regione, quæ sæpe fœcunda fuit parēs heroũ, penè innumerabiles diris excruciatos supplicijs neci tradidit; in quibus Lucretiam heroinam, Romana longè illustriorem numerauit: Aquilinus verò tribunus in fortissimum Ducem Azam vnà cũ centum quinquaginta millibus militibus laureatis, tanquam in hostes gladium distrinxit: quòd idem facinus Veturius tribunus militum in suos est aggressus: Anolinum quoque proconsulem secundum votum suum Diocletanus est nactus, à quo Crispina nobilissima matrona securi percussa. de Rétiouaro quid dicam? nihil ad eius sæuitiam accommodatius: nouo hic crudelitatis inuento Victorini, & Fusciani tribus, atque auribus ardentem resinam infudit: clauis ignitis transuerberauit tempora; exculpsit oculos; alligatum tanquam scopum sagittis obiecit: Quid quod contra ius, fasque etiam in Iusto puero non abstinuit ferro? quod item Marcia-

Digitized by Google

nus imitatus est in Celso penè lactente, in fratribus quoque; & matre mactatis. adhibuit hic Imperator ad necem in primis Lysiam præsidem immanissimum, cuius monstrosa sæuities cũ in multos ostensa est, tũ in Orestem, pietate alteri fabuloso oppositũ: is & in ignito lecto collocatus, vt qui locus ad quietem datur, vsum mutaret ad pœnas. Sempronio autem Vrbis præfecto quid immanius reperire Diocletianus potuit? qui nobilissimam Romanam virginem, ætate tenerrimã, cui flamma pepercerat, sustulit ferro. At verò Paschasius cum Luciam feruenti oleo perfudit, pugilem fecit; & cum lupam facere non potuisset, ipse leonem feritate induit: sacrum illius guttur, quo religionem liberè profitebatur, inuadẽs: His adde Laodiciũ, à quo Papias, & Maurus; adde & Agricolaum, à quo Blasius antistes; & Firmilianum, à quo Adrianus, & alij impiè necati: quoties ausi sunt, per summam impietatem, eorum sanguinem, quem belluæ veneratæ non attigerãt, elicere ferro? sed præclarè res cecidit: nam & hic omẽ fecit firmitatis, & ille amplæ segetis ex ferro quod exercuit, & ex cruore, quem fudit: Quid quod illa ipsa magistratuum nomina, quæ lenitatem videbantur ostendere, in nostros sæuitiam prætulerunt? ab Vrbano quippe præside præter ceteros, Alexandri duo immanissimè interfecti sunt; à Dulcitio Irene acerbissimis affecta supplicijs, igni addicta, & sagittarijs obiecta: nam duo illi Diocletiano familiarissimi præsides, quorum alteri ab inquinatissimis moribus, Turpilio nomen fuit, alteri ab insigni sæuitia, Barbaro; mirum non est quod re præstiterint, quod nomine præseferebant: sed Turpilius dum deturpare nostrorum gloriam putat se posse supplicijs, potius decorauit: Barbarus dum barbariem exercet, alacritatem addidit; omitto cæteros Iudices, ac magistratus, Lysimachum, Stratonicum, Priscum, ac reliqua portenta sæuitiæ; sub quibus Olympiades consularis equuleo tortus; Castulus augustalis curator arena obrutus: Pancratius, & Venantius adolescentes ita exerciti, vt alter Pancratiastes haberetur, alter domitor belluarum. longum est agmen laureatorum militum; & in laniena nostrorum obstupefactus hæreo. Sed quanto cum fragore tempestas illa Diocletiani, ac Maximiani concita detonuerit, vel ex eo conijci potest, quod in Ianuario sanctissimo Beneuenti præsule actum est,

nacti

nacti erant Imperatores administrum suæ crudelitatis acerrimum Timotheum, quem Campaniæ præfecerant; nihilque ei tam impensè mandarant, quàm vt in Christi cultores omnem sæuitiam exerceret. ab eo igitur Ianuarius in primis diriſſimè excruciatus est. in ardentem caminum iniecit; sed hoc tantùm egit flamma, vt illæsum faceret illustriorem. in amphitheatro quoque feris obiecit, sed spectaculum in cauea nouum dedit, feritate illarum in humanitatem versa, quam ipse Timotheus exuerat; qui dū cæcus fertur ira, repente oculorum vsu priuatur: tum demum sensit se frustra cum virtutis splendore luctari, quæ sibi visum hebetaret: itaque veniam petit; & ad eius pedes, ad quos bestias ipsas immanes piè accidere viderat, supplex se prouoluit. sed mox subit recordatio de Cæsarum edictis in nostros, quæ si exequi detrectaret, ipsorum in se sæuitiam concitaret. quamobrem immanior quàm antea factus, capitis sententiam in Ianuarium, ac socios impiè pronunciat. detestati sunt omnes ingrati hominis barbariem, qui aciem ferri in eum distringeret, à quo aciem visus recuperarat. adeo Cæsarum edicta implacabilia Timotheus timuit, vt Naturam ipsam reclamantem repulerit. sed diuinitùs sanè factum, vt tanta immanitas cederet Neapolitanæ ciuitati in beneficium: sectis enim è Ianuarij ceruicibus ille sanguis effluxit, qui veluti semper recens & sibi vitalis est, & nobis; quem toties vel incendiarij montis cinis, vel hostilis gladius expauit: sectus est autem vnà cum ceruicibus etiam digitus, qui videlicet calami præberet vsum ad epigraphen tantæ victoriæ testem, ne verbosa cantu laudum suarum Græcia Othryadem illum suum inculcaret, qui strenuè cadens in bello, proprio sanguine scriptis literis tantùm non post fata sua in sinum patriæ cruentum trophæi titulum retulit. nouū profectò atq; præclarū Ianuarius sortitus est genus interitus, dum sic extinguitur, vt perennet. Ad hæc Marcellinum ipsum Pontificem max. Orbis terræ parentem, religionis magistrum ausus est amentissimus Imperator Diocletianus ad suam sententiam minis adducere: cuius Marcellini si fortè contremuit fides, atque infirmior cessit; fixa, deinde, & stabilita ferro refigi nulla vi potuit. Quid quod altero etiam paricidio se obstrinxit? quid miramur, quod sæuierit in alienos, qui consanguineorum sanguine secures

infe-

Digitized by Google

infecit? Caium namque Romanum item hierarcham, & Gabinium fratris filios ferro fustulit; Susannam verò Gabinij filiã, quia respuerat Galerij, quem adoptauerat, nuptias, pudoris, & religionis amantissima, domi necari iussit: paternas ipsas ædes, ac parietes respersit cruore. potuisset hæc dici Augusta, nisi Caium patruum sequi maluisset sacrorum antistitem augustissimum; fasces, ac secures perferre maluit, quàm præferre: hoc tantùm Diocletianus egit, quod Susannæ, cui ob virginitatis candorem nomen erat à lilio, adderet per necem decorem etiam rosæ. atque hic tam impius paricida, quod supplicium sibi debebatur, eo religiosissimum virum, Callistratum affecit; in culeum namque paricidarum more insutum abiecit in mare; quem tamen vnda ipsa deuexit in littus. Sed iam obruor multitudine, ne ad ceteros excurrere possim: perfunditur etiam horrore animus, & cruenta ferri acies vincit acumen styli. quid mirum? quando in eo decennali bello tantum est nostri sanguinis fusum, tot millium in præcipuis Vrbibus facta strages, vt Sol ipse (siue significatio illa quasi mœroris, siue detestationis fuerit) aliquando radios contraxisse dicatur: nempe hoc propositum cùm ceteris hostibus, tùm Diocletiano fuit, vt Christianum deleret nomen: hoc sibi gloriæ, sed falsò dabat, hoc titulis inscripsit. excepit posteritas, vt argueretur ille mendacij: hoc igitur fuit in columna inscriptum,

Diocletian. Iouius Maximin. Herculeus Cæss. Augg.
Amplificato per Orientem, & Occidentem Imper. Rom.
Et Christianorum nomine deleto.
Qui remp. euertebant.

Sed euentus ipse ostendit postea, quàm mendaces illæ notæ essent, quæ indicabant gentem nostram deletam, cùm potius ipsæ deletæ sint; & infame monimentum per pios Imperatores euersum, in quo per nostros euerti rempublicam erat inscriptum: immo verò cum hæc siue incidebantur in ære, siue inscalpebantur in marmore, tum maximè Religio in reipublicæ bonum propagabatur, viresque capiebat; nostrorum autem virtus columnis ipsis æreis, atque marmoreis firmior resistebat. numquam Religionis campus tam fœcundus fuit, ac frugifer, quàm cum irrigatus piorum sanguine: Sacrificabat aliquando Diocletianus in campo Cereri pro abundantia

Digitized by Google

tia frugum, increpitus est à Zenone milite; iussus est hic occidi. sed illud non modò impiè, sed ineptè factum, quod qui pro frugibus faciebat, Abundios duos, ac totidem Abundantios instituit: nisi quod ferrum, & his, & cæteris cessit in falcem, vt meterent abundè gloriam: quin etiam tanta tum fœcunditas fuit eius gentis, quam Diocletianus se deleuisse putabat, vt non modò in templis incensis exardesceret pietas, vt Nicomediæ accidit, sed è theatris, ac spectaculis pullularet: vidit hoc Imperator ipse vel inuitus in Genesio mimo, qui cum ludificandi causa simulatè ageret Christianum, repente cœpit se profiteri; certè clausa est fabula, vt in præceptis est, agnitione, sed veri numinis: nullus actus tam scitè perfectus est, quàm extremus: nam solùm hic Roscius non peccauit in gestu, sed peccare dedidit in sensu, ex histrione, ac mimo serius testis fidei factus: submotum est non tàm scænæ, quàm veritatis obtectæ typarium: plausit Genesio cœlum, confectanti non falsæ, sed veræ gloriæ choragium: factus dici posset ex comœdo sui tragœdus, nisi felicissimus fuisset eius occasus; ac Diocletiano potius contigisset claudere tragico, ac tristi fine fabulam vitæ: enimuerò sius metu rerum humanarum, quæ nunquam consistunt; siue de statu mentis deturbatus, & correptus insania; siue, vt sapientes è nostris putant, successu rerum nostrarum, & prospero curfu religionis, quam frustra conatus erat extinguere, consternatus, ac de spe deiectus, abdicare se imperio statuit, quod facere collegam etiam Maximianum coegit: igitur eodem die (nam ita conuenerat) Diocletianus Nicomediæ, Maximianus Mediolani rem monimentis Romanorum incognitam peregerunt: spoliarunt se purpura, quam inquinauerant sanguine; abiecerunt de capite diadema gemmatum, quod deturpauerant, cum religionem affecerunt ignominia: submouerunt à se fasces, ac secures, quas tot millium bonorum cæde frustra cruentauerant: Inter cæteros, qui Diocletiani edictis, ceciderunt, Chrysogonus fuit, cui ab aureo genere nomen, cum esset ille vili, atque seruili: voluit autem antequam insaniret, immò tunc cum maximè esset insanus, dici parens aurei seculi; nam iccirco supra omnem superiorum Cæsarum fastum totus incedebat ornatus auro, præsertim post deuictos bello Persas; quippè tunc eò processit arrogantiæ, vt sibi diuinum etiam cultum exhiberi

vellet;

Digitized by Google

vellet, atque ad oscula porrigeret pedes; auro, atque gemmis calceamenta ipsa radiata gestaret: quàm igitur non modò impius, sed amens fuit, qui cum tam impensè amaret ad pompaticum fastum aurum, de medio tolleret Chrysogonum? meritò igitur se ipse auro tandem exuit, & cum se in domunculam abdidisset, cœpit priuatus, qui nunquam fuerat vrbanus, agrum excolere: scilicet is se agriculturæ dedit, cuius edicto fuerat etiam interfectus cum Vitali Agricola; sed tractauit rastra, ne omnino dediscceret tractare ferrum; & cũ omnia aurea ornamenta abiecisset, ferrum, inquam, tantùm, sibi reliquum fecit ad effodiendam terram, quo frustra confoderat destinatos cœlo; sed auersante humo inhumanum aratorem, & vomerem cruentatum; liras, ac sulcos agere cœpit, qui prosciderat piorum corpora sulcis vulnerum, & aquarum elices, atque incilia ducere, post tantum cruoris elicitum, post incisa ferro innocentium membra: neque tamen illa horti amœnitas Diocletianum vllo voluptatis sensu mulcere potuit; sed ferunt conscientia immanium facinorum in morte ita excruciatum, vt animam inter gemitus, & suspiria exhalarit: narrant alij, eum à Constantino magno accersitum, cum timeret ne ab ipso vt Maxentij fautor neci traderetur, veneno hausto periisse; certè non nisi miserrimè perire debuit is, cuius immanibus edictis præter cæteros innumerabiles, sublati sunt, & necati Feliciani duo, Felices quatuor, denique Felicissimus.

PERSECVTIO MAXIMIANI HERCVLEI IMPERATORIS.

An. Christi circiter 297. CVm tanti imperij sustinendæ moli Diocletianus impar se videret, Maximianum adlegit collegam, de quo vetus illud extat elogium Victoris, atque Eutropij: Maximianus, inquiunt, natura ferox, ardens libidine, consilio stolidus, ortu agresti, Pannonioque, inciuilis ingenij, asperitatem suam, vel vultus horrore significãs. quin etiam Iulianus, & ipse religionis hostis eundem insignibus ignominiæ notis spigillat, quod acerbus, quod rerum nouarum cupidus, quod per-

Digitized by Google

perfidiæ plenus esset; ac propterea Silenum fingit, qui ipsum à bonorum principum consortione excludat: hunc sibi Diocletianus non minus crudelitatis, quàm imperij socium adlegit; cumque in Gallia noui tumultus orirentur, ipsum aduersus Amandum, & Aelianum, qui in Bagaudanorũ nomen audacia seruili arma cõmonerãt, destinauit: hic, Gallici, credo, Herculis æmulatione quadam, Maximianus vocari se iussit Herculeum, vt Diocletianus se Iouium; nisi quod Hercules Gallicus aureis catenis alios ad se trahẽs exprimebatur; cum contra Maximilianus Herculeus ferreis catenis nostros traheret ad supplicium; quamobrem meritò dictus est etiam à suis ferrei seculi parens. atque Hercules quidem ille, ἀλεξίκακος, hoc est malorum depulsor est appellatus, quod vrbes, oppida, regiones, agros, ac syluas horrẽdis, ac pernicio sis monstris, aerem infestis alitibus liberasset; latrones exegisset, mortalesque tutatus esset; cum contra hic strage bonorũ delectatus sit: in hoc tantùm imitatus Herculem, quod ille & furore, percussus, & incestis amoribus implicatus à Poetis fingitur; hic crudelitate furens, & libidinis æstro actus ab historicis dicitur, vt nè obsidum quidem pudicitiæ parceret. Hoc igitur imperante, ac Circenses spectante ludos, conclamatum est ab impijs duodecies: Christiani pereant: vt quoniã Herculeus dici volebat, Herculis more quasi laboribus fungeretur duodecim, hoc est religionem per duodecim Duces propagatam, ac totidem præcipuis legum fundamentis nixam extingueret; & Augustalis sceptri potestate, quasi claua conficeret, quo haberetur alter ipse monstrorum domitor; cum potius ob vitiorum fœditatem nihil haberet Orbis terræ monstrosius: Ceterùm par Maximiano, ac Diocletiano propositum consilium fuit gentis nostræ delendæ; gemina impietas, & audacia: duo quasi vulturij ad lacerandam Religionem sæuissimis armati vnguibus conuolarunt: & cum ambitio habere consortem honoris minimè patiatur; hi tamen fœdus imperij nostro sanguine sanxerunt: quod vnus Imperator tantarum virium videretur esse non posse, vt inuictum nostrum genus opprimeret: sed nimirum communis hostis inuidia conflauit hoc malum; hæc clamorem illum aduersus nostros excitauit in Circo; hæc impios

Digitized by Google

Cęsares iunxit: hæc Flamines, ac Hierophantas incendit: iam enim haud sibi diutius tolerandum videbatur, huiusmodi invisum ipsis, ac Dijs genus hominum, vbique gentium longè, latèque feliciter propagari, auitamque religionem ab ijsdē haberi ostentui pariter, atque contemptui, proscindi conuicijs, exponi ludibrijs, totque scriptis in ipsam commentarijs omni ex parte labefactari; eiusdemque cultores vt vecordes, atque insanos, quod colerent lapides, derideri; fanaticos putari, q extruerent fana; immò hæc ipsa iā dirui, aras euerti, simulacra confringi; cum deniq; res nostras in immensum auctas, & amplificatas viderent; suas cōtra collapsas vndique, atque prostratas: vt iā crederetur adfore illud tempus, quod ab oraculo iam inde ab Hadriani ætate ferebatur esse prædictū; nēpe omnes ferè mortales nomen daturos Christo; Deorum templa penitùs deserenda, atque illi vendicāda, noua etiam excitanda; cum Hadrianus ipse quasi præscius futurorum, templa erexisset multa absque Deorum imaginibus; ac primū se tā præclari operis præbuisset quodāmodo architectum: quamobrem ad tot iquominias Dijs illatas vlciscēdas, senatus Romanus insurgit; Imperatores primi bellum omnium maximum indicunt, promulgatis edictis, quasi classicum personantibus; et perinde ac de summa rerum acturi, & pro Dijs, eorumque delubris, ipsaque patria, ac denique libertate essent dimicaturi, magno se apparatu armorum, instruunt ad extinguendos, prorsusque delendos nostræ disciplinæ homines, quibus vigentibus patriam religionem, verius superstitionem, & vnà cum ea coniunctum Romanum imperium videretur planè collabi, atque consumi; itaque omnes comparant vires, cunctas admouent machinas: in hoc versantur consilia, circa hoc laborat industria, studia vigilant: nostram in gētem vniuersi coniurant, exardescit perpetuum, & implacabile bellum, quod religione patria sacrum adeo formidolosum erat, vt eius primo congressu viderentur quiq; fortissimi posse prosterni; eòque ferocius, & vehementius, quod magno dedecore totius imperij vna gens nostra nunquam visa sit tot superioribus Imperatoribus, Nerone in primis, ac Domitiano in eam insurgentibus, ac totis viribus oppugnantibus, potuisse domari; quæ sine armis dimicans semper inuicta permanserit; quæ & de cultoribus Deorum ma-

iorem

Digitized by Google

iorem in dies prædam ageret: Ad hos, inquam, penitùs conuellendos Diocletianus, & Maximianus, addito etiam Galerio Cæſare, accinguntur: vetera ſacra reſtituunt, armant leges, pœnas decernunt; atque vt omnibus conſtet, hoc ſe profiteri, Deorum nomenclatura ſe ſignant; alter Iouius, alter Herculeus dicuntur. ſtimulos porrò addidit nouum Apollinis oraculum: à quo cum ſciſcitatum eſſet, qua tandem ratione Deorum cultus amplificari poſſet, edita vox eſt, infami illo tripode, atque cortina ſanè digna, oportere Iuſtos interfici: habiti autem ſunt etiam hoſtium iudicio Iuſti non alij, quàm noſtri; ita & commendata religio eſt, & vituperata ſuperſtitio; quid enim à Dei natura, quæ omnis iniuſtitiæ fons eſt, & origo, tam alienum, quàm damnare iuſtos? ſtatim igitur quaſi ſigno dato ab impijs arma ſuſcepta in noſtros. Incidit autem in Maximiani furorem in primis Thebæa legio, non minus religione, quàm robore præſtans: Alpibus itaque ſuperatis, cum Maximianus hoſtes obuios aggreſſus eſſet, primùm de more luſtrandi exercitus conſilium init: ad hæc agenda ſacrificia inſtituuntur, quibus milites apud Deorum aras expientur: hic Thebæa legio, quod execrandis illis ſacris ſe non luſtrari, ſed inquinari arbitraretur, obfirmatis ad pietatem animis ſeceſſionem facit. tum miſſo ab Imperatore nuntio, Mauritius tribunus legionis, Exuperius vexillarius, & Candidus ex ordine ſenatorio purpuratus, nomine omnium reſponſum dant plenum fortitudinis, atque conſtantiæ: paratos ſe quidem in ceteris omnibus Imperatori parere, præter hoc vnum nefarium iuſſum, ſummo Imperatori Deo aduerſum: quo audito cum ille exacerbuiſſet ira, decernit, eos in publicum ire ſupplicium, hoc eſt decimumquemque ſortitò feriri gladio: potuiſſet ea legio, vt conſtabat ex ſex millibus ſexcentis ſexaginta, & amplius militibus, obniti, reſiſtere, depugnare: ſed glorioſius eſt viſum, ſi armati caderent, non quidem abiectis armis, ne viderentur imbelles; nec tamen ijs vſi, ne cadere viderentur inuiti: itaque iterum, atque iterum decimantur. non alius metus fuit, niſi ne cui moriendi ſors nõ obtingeret: mœror tantùm ad ſuperſtites pertinuit, qui tamen breui eſt occupatus gaudio: quippe Imperator facto non ſemel periculo, cum ſatis compertum, exploratumque immotos eſſe omnium animos vidiſſet, totum immiſit exer-

Digitized by Google

citum, à quo singuli trucidarẽtur: innatauit latè campus sanguine triumphali, ac relictus etiam in mortuis vultus in Deos minax; adhuc virile quiddam, ac generosum spirante constantia. porrò cum haud multò post eò aduenisset alterius legionis veteranus miles Victor nomine, cumque se forte iam diù expetita priuatum videret, ingemuit; meruit fusis lacrymis, vt potiretur statim voto fundendi sanguinis; sed nihil ineptius ab Imperatore factum: nam cum in bellando victoriam attenderet, sustulit de medio Victorem. Iam antequam Romanus exercitus superasset Alpes, Thebæa legio præmiserat ad Capitolium laureatos nonnullos milites; Secundum videlicet, qui primus fuit ordine præstitutus ad lauream, & Alexandrum: adde Octauium, Solutorem, & Aduentorem: hac tamen immani cæde facta, haudquaquam Maximiani exaturatus est furor, sed in alias quoque legiones, ac ceterum exercitum sæuit; iubet inquiri, ecquis reliquus è nostra disciplina esset; tum Cassium, & Florentium sponte oblatos apud Veronam securi subijcit; quo tamen spes est iniecta nostris, fore vt Religio perfusa eo cruore commodius efflorescceret. præstolabatur tum in campis Agrippinæ vrbis laureas fortissimus Dux Gereon cum trecentis, & amplius commilitonibus, qui omnes eadem animi magnitudine deuouere se neci: Laureaci quoq; (oppidũ id erat fausti nominis) eiusdem sententiæ milites quadraginta reddidit constantia laureatos. Atque hæc in Occidente acta, cum interea vt Oriens item explendesceret nõ minus præclara nostrorum virtute, quàm Sole, Veturius militiæ magister materiam gloriæ per immania cruciamenta sufficiebat nostris, maximè verò militibus: cum enim hoc esset hosti propositum, vt Christianam Religionem planè conuelleret, sic eius primùm vires infringere aggressus est, vt Christianis militibus sublatis, inermis Religio se tueri non posset: at nunquam eorum virtus enituit magis. singulos percensere, nisi penè innumerabiles essent. Sed illa Marcelli Cẽturionis è legione Traiana eximia fortitudo animi omittẽda nõ est, q̃ natali die Imperatoris, cũ in epulo publico ceteri Dijs facerẽt, statim abdicauit se honore, proiecit arma, & balteũ, & ipsũ Cẽturionis insigne, vitẽ: Cẽturionis. n. manu vitis gestabatur, q̃ & optimo præmio tardos ordines ad beatas producebat aquilas, & aliqua ex

parte

Digitized by Google

parte delicti pœnam honestabat: at verò Marcellus Centurio non tàm honorificum putauit ferre vitem, vnde vini liquor, quàm venas offerre, vnde sanguis exprimitur. Itaque victus tandem Maximianus constantia nostrorum militum, aliud init consilium: non eos deinceps gladio statim demetere, sed diuturno labore domare, atque atterere statuit: aggressus erat excitare ingentes ædificiorum moles in prouinciarum modum: Thermas videlicet Romę Diocletianus; in Africa verò suo nomine Maximianus: huic operi Christianos milites tãquam adscriptitios seruos addicit, in primis strenuissimum Ducem millenarium, Maximum, qui centum, ac viginti è suis ad religionis signa traduxerat; sed Maximiani crudelitate superior fuit constantia Maximi: demandata est carnificina tribuno; qui dum huius cædit humeros, priuatus est oculis: indignus quippe fuit, qui triumphalem videret sanguinem, & manantem ex vulneribus gloriam. ceteri in arenarijs collocati, qui eam, quam effodiebant arenam, ad reprimendos, restringendosque fluctus, quos impletas concitabat, adhibuerunt. porrò illud diuino nutu factum videtur, vt cum aliorum Imperatorum Thermæ Romæ collapsæ redditæ sint ignobiles, ac ferè inutiles, Diocletianæ tantùm magna ex parte in vsum templorum cesserint; nec immeritò, cum labor is à nostris fuerit pro Religione susceptus: nobilitatæ, inquam, sunt Thermæ illæ non tam aquis calidis, quàm nostrorum vel sudore multo, vel lachrymis. Sed quemnam immanissimus Imperator Maximianus tandem habuit exitum vitæ? planè miserum; intercluso est laqueo spiritus: nimirum, quia ipso imperante Religioni respirare non licuit: enimverò non tàm scelerum pœnitens, quàm facti, quod sponte se cum Collega abdicasset imperio, resumpsit arma, contulit se ad Vrbem tanquam exploraturus militum animos erga Maxentium filium; inde profectus est ad Constantinum generum, cui filia nupserat Fausta; clandestinas verò parabat insidias: quibus patefactis strangulari iussus est: ita contaminatum spiritum intra se continuit, qui diu communem aerem violauerat venenato redditus corde.

PER-

Digitized by Google

PERSECVTIO.

GALERII MAXIMIANI IMPERATORIS.

CVm belli fax multis Orbis terræ partibus adhæresceret, ad incendium extinguendum Diocletianus, & Maximianus Augusti duos creant Cæsares; alter Galerius fuit Maximinus, seu potius Maximianus; alter Constantius Constantini magni pater: dictus est Galerius hic Armentarius, humili videlicet, & seruili genere natus, cui res pecuaria curæ esset, sed ex armentario factus est etiam victimarius; nam cum antea ex armento sufficeret hostias *Dijs* immolandas, postea etiam homines è nostra disciplina impiè iugulauit. & Constantius quidem à nostris rebus minimè abhorrens, Hispanijs ferè, & Gallijs contentus fuit; quodam quasi auspicio, quod vtraque regio habitura esset addictissimos religioni Reges: Galerius verò, qui infestis signis in bonos ferebatur, ceteras sibi regiones depoposcit, atque ad eorum cædem quasi descripsit: ergò quà Constantius imperabat, quà nostrorum cõstantia, sed latius hæc, generosiusq; regnabat: itaq; tunc miro modo immunis cædis Occidens fuit; occasum Oriens habuit, eò circo quod eorum mors erat verè natalis, & quidam quasi orientis gloriæ nitor illustris: simulauit quidem Constantius semel se impium, non vt alii iacturam, sed vt ipse periculum faceret de pietate: iussit domesticos aut abiurare Christum, aut exauctoratos abire; sed secus egit, atque edixit; nam in proposito firmos secum retinuit, cæteros exegit: cum diceret, qui summo Imperatori Deo fidem non præstitissent, eos neque constanti fide in Constantium imperantem futuros: At Galerius accepta de Parthis, ac Persis insigni victoria, nihil antiquius habuit, quàm vt ferrum illud cruẽtum de barbarorum strage conuerteret in nostros; sed antea (vt erat versutus, ac vafer) tanquam adhuc exultans de victoria, dissimulans odium, habere voluit ad populum concionem de cultu Deorum, tantò magis impius, quantò tectius videbatur niti pietate; persuadere conatus, non nisi Deorum spe rem bellicam præclarè gestam: theatrum igitur frequentissimum est constitu-

Digitized by Google

stitutum, atque habitum. intellexere statim nostri occultè sibi graue comparari certamen. aureis, & argenteis Deorum simulacris theatrum erat ornatum; Dij ipsi in sublimè, ac regia sede collocati: coronæ clarissimis illuminatæ gemmis capita redimita cingebant; tauri, ac cetera hostiarum genera immolabantur. tum lustrari iubet Imperator populum, nactus eam occasionem, cum totus inhiante ore ad festa theatri acroamata lymphatus attenderet; cum interea boni mœrerent. tum cœpit Galerius magnificè, & clara voce commemorare signa hostibus erepta, spolia opima relata, trophæa excitata, imperij fines longè latèque productos: ciuitates alias captas, alias tributo adactas; denique catenatos nationum, ac gentium Reges: quæ omnia non nisi Deorum beneficio, ac præsidio acta essent; atque ijsdem tribuendas esse dicebat, temporum, quibus tunc fruerentur, commodissimas temperationes, fructuum prouentum, terræ fertilitatem, cœlique clementiam: Hæc Galerium in theatro de Dijs impiè, stultèque iactantem, ac plura dicere conantem immane prodigium intercepit; cũ enim serenus esset dies, & Sol regionem exureret meridianam, repente tenebris inuolui cœlum, immanibus mugire tonitruis, exardescere elisis è nube ignibus; tum densa grandine vastari agros, & conflictu ventorum succidi arbores: theatri spectatores diluuié, fulminibus, grandine penè opprimi; atque alij quidem ingenti procellæ fragore consternati cadere intermortui; alij in fugam se, latebrasque coniicere, relictis, ac desertis in theatro simulacris Deorum, quibus naturæ benignitas falsò adscribebatur. Imperator ipse parum abfuit, quin inter multos, qui in fuga cõculcati sunt, periret; ac fortasse perituras, nisi grauiori reseruatus fuisset supplicio: nihilo tamen melior factus, sed amens, ac furore præceps non iam tectè, sed palam agere cœpit in nostros. Glycerium, qui ipsum ea, qua affluebat suauitate nõ modò nominis, sed sermonis, auertere ab impio cultu conabatur, boum neruis acerrimè cædi iubet, quo Glycerius cruciatu ita est delectatus, vt vix constet vtrùm ex eius vulneribus plus nectaris manarit, an sanguinis. Inter hæc Indes, ex Augusti Custodibus præcipuus, cum ceteri de more candidati libarent Dijs, atratus ipse, ac mœrens pro rei indignitate iacebat: itaque statim abripitur, ac Cæsari sistitur

Digitized by Google

stitur: adducta est etiã Domnina Dianę sacerdos, quę cum ea, quæ acciderant, in theatro vidisset, cõmota prodigijs ad nostros transfugerat, ac se in parthenonem, seu virginum asceterium ritè contulerat: re cognita, ea sedes statim solo æquatur: Virgines prostribulo damnatæ, sed diuinitùs pudori consultum: quod in Theophila maximè ostensum est; nam quotquot inflammati libidine accessere lenones, hebetati luce, ac timore correpti conciderunt; quo prodigio impudentiam omnes, multi etiam impietatem abiurarunt. ac Domninę quidem illustre certamen fuit, quanquam enim Dianæ Sacerdos fuerat, nõ modò in perferẽdis pœnis nõ fuit incõstãs eius planetæ more, sed hanc sibi curam depoposcit, vt proiecta nostrorum corpora in maris fluctus reti exciperet, piscatione religiosior, quàm sacerdotio; ac demum incredibili constantia necem & ipsa subiret: Age porrò, illud quàm barbarè à Galerio factum, vt fortissimum tribunum militum Andream, qui ipsi in Persico bello operam strenuè nauauerat, indignissimè addixerit neci, non alius criminis reum, quàmquod nollet esse impius: is cum milites sibi subiectos veri Dei cultu erudijsset, ab eoque vno implorãdum docuisset auxilium, hac fiducia, hostiũ copias numero superiores inuasit, profligauit, obtriuit; qua re tam præclarè gesta, milites abhuc hostili sanguine madentes lustrali aqua per Sacerdotem expiauit, initiauitque; tum apud Tharsum secessit: re cognita Galerius in illos immittit exercitum, qui in Tauri montis angustijs interceptos trucidaret; ita nuper à victoria laureatis altera religionis defensæ nobilior accessit laurea: neque verò felicius cadere potuerunt, quàm inter erepta vexilla, & spolia, & pæanes. Iam non modò per Galerium ipsum, sed per eius ministros sæuitũ est in nostros; Romano enim religiosissimo uiro, quod Asclepiadem præfectum à superstitione reuocare conatus esset, excisa lingua est; sed prodigiosè relicta vox, qua conuicijs incesseret Deos: raptus etiã in equuleum, ac depexus; tum in vincula coniectus, vtroque pede ad quintum foramen distracto; ac demùm sæuissimè strangulatus. at Agapitus cum ipso Galerio luctatus est, quem feritate insignem vbi ille constantia vicit, ceteras contempsit feras, vrsoque immisso se libenter obiecit. multa sunt à Galerio impiè acta, multa crudeliter; sed illud etiam indignissimè, cum integras nostrorum

rum

Digitized by Google

sum familias ex Thebaide accersiuit; quibus non statim vitam eripi, sed dexterum exculpi oculum iussit; deinde ignem in vultus iniici, vt velut errabundi circumirent; alijs sinistrum pedem ignito ferro aduri, vt eum post se traherent, quasi telluris inutile pondus facti; quo vita ludibrio affecta acerbior nece ipsa foret, & longo illi mœrore extabescerent. denique tantus fuit Galerij furor in nostros, tam multos oppressit, vt in monumento, quod excitatum Diocletiano est, quanquam mendacibus notis inscripto, socius ipse ad Christianorum nomen extinguendum citetur. in Hispania certè nuper columnæ plures extabant, quæ huiusmodi continebant epigraphen.

Diocletian. Cæs. Aug. Galerio in Oriente adopt.
superstitione Christi vbique delecta,
cultu Deorum propagato.

Sed quàm hoc palmare mendacium? conati quidem sunt id agere, sed labore vano: verè enim à sapientibus dictum, Christianorum sanguinem fœcundam Religionis esse sementem: delecta potius impietas est: extincti ipsi Cæsares infelici exitu, propagata Religio felicissimè. ac de Diocletiani quidem obitu miserrimo dictum est: Galerij verò Maximiani mors sine horrore narrari non potest: enimverò toto primùm corpore cuniculorem ingentem ex inguine concepit, quo deinde varie diruptо, lentè ita emarcuit, atque extabuit, vt impia lingua, quam immanibus iussis in Religionem armaueras, intra fauces horribilem vermium vim proferret, qui cum ex ore eius proreperent, grauissimum, ac toterrimum odorem inhalabāt; nempe ipso imperante resecta, vti dictum est, Romano fuerat lingua, qui tamen miraculo vocis docuit muta Deorum simulacra loqui posse etiam ab elinguibus. itaque cum vltra horrorem humanæ miseriæ Imperator ebulliret in vermes, putrefacto introrsum pectore, & vitalibus dissolutis; cumque Medici quod vltra iam grauedinem ferre non possent, iussu eius nedarentur, à quodā ex illis, cōstantiam ex desperatione sumēto, increpitus intellexit, iram nostri numinis esse pœnam suam, atque ideo curari nō posse: colligit se cādē Galerius, & Deos correxit; ac statim alia edicta, quæ palinodiam continebant, pro Christianis scribi, & promulgari iussit: solutus est dolore, sed beneficio mortis. retexuit acta impiè, sed filo vitæ diruptо; serò ipsum pœnituit, at non seriò. tunc superstitionis sitientium

Digitized by Google

indixit, cum emarcidam, ac tabidam ſenſit linguam. denique more canis, quàm maximè latrans execrandam efflauit animam; quo canino latratu, ac rabie ſatis declaratum eſt, quid ſit in Religionem ſæuire.

PERSECVTIO MAXIMINI IOVII CAESARIS.

An Chriſti circiter 308.

GAlerius imperium adeptus molem rei ipſe ſecum repetans, duos ſibi adſciuit Cæſares, Seuerum, & Maximinum ex ſorore nepotem: Seuerus paulò poſt extinctus, relictus crudelis, Maximinus videlicet, qui ſe Iouium dici voluit, imitatus Dioclerianum, ne ſe eius nominis à nobis contempti victorem eſſe obliuiſceretur. alter igitur hic Maximinus eſt à Iulio Maximino item Religionis hoſte. Cum palinodiam, vti dictum eſt, ceciniſſet in morte Galerius, diuinam expertus vltionem, ac noua promulgari iuſſiſſet edicta pro noſtris, repreſſit ea Maximinus, atque edere noluit; refragari tamen ſtatim non eſt auſus: texit odium tantiſper, furoremque continuit: itque poſt illam caliginem temporum, noua lux oborta religioni videbatur, tamen vix ſemeſtre otium fuit; & quaſi abortiuæ quadam impietatis parturijt citiſſimè Maximinus quod conceperat in nos odium; nouum illud, quod effulſerat in Oriente (nam eam Orbis terræ partem regebat) lumen auerſatus: bellum immane reſtauraut; flammam illam ſacro cruore ſopitam, ac penè extinctam quaſi ſtabello furoris, exuſcitat; Deorum fana vel diruta, vel vetuſtate collapſa reſtituit; ſingulis in vrbibus Flamines, Regemque ſacrorum conſtituit: reuocantur haruſpicum diſciplina, augurales litui, libationes, & ſacrificia. conuentus interdicit noſtris, ne de amplificanda religione conſilium ineant: iterum minæ, terroreſque ſæuiunt. ſoluuntur iterum lictorij faſces, expediuntur ſecures, proferuntur è caueis Africanæ beluæ, proponuntur numellæ, ſcorpij, vnguiæ, lamiuæ, & quicquid cruciamentorum aut excogitare potuit impietas, aut ars fabricari: tum per vaſerrimos, ac perditos viros Maximinus facit, vt Antiocheni ab ipſo maximi beneficij loco flagitent vel exilium, vel exitium: eius porrò fraus-

Digitized by Google

fraudis, ac technæ dux, & architectus Theotechnus quidam nomine eligitur, quaſi diuinus artifex dictus; ſed ab illa appellatione maximè alienus, ac potius κακοτεχνος, hoc eſt malorum artifex; is igitur poſteaquam omnia ad calumniam, & criminationem inferendam noſtris molitus eſt, magicum quoddam ſimulacrum Iouis φιλιου, qui amicitijs contrahendis præeſſe putabatur, (quem ſcilicet Iouem noſtri potius hoſtili odio inſequebantur) palàm colendum proponit: præſtigias omnes confert; adumbrata quædam, & ficta prodigia edit, ad eiuſque cultum nefaria myſteria, initiationes impuras, & impias expiationes excogitat; eiuſdem vanis oraculis, & ad aſſentationem compoſitis in animum Imperatoris influit: inter cætera reſponſa magici ſimulacri, ac Iouis φιλιου, hoc eſt, vt ita loquar, amicij, hoc editum fingit, vt inimicitiæ communi odio contrahantur in noſtros, & inſtituta noſtrorum: ſed Theotechni technæ breui ipſi fraudi fuerunt, immo exitio. interim ne crudelitas etiam iguominia careat, famoſi in noſtram diſciplinam eduntur libri, conuicijs in auctorem pleni: tum literæ à Maximino ad magiſtratus, ac præfectos, atque edicta miſſa, quibus iubebat omnino noſtrum genus excindi. res ipſa me admonet, vt illuſtre illud noſtrorum athletarum theatrum conſtituam: præcipuam ſibi laudem in eo comparauit Pamphilus, decertans quà virtute, quà ſapientia. admiratus item Cæſar Porphyrium eſt, adoleſcentem eximia ſpecie, poſt longa ſupplicia erecto animo gradientem ad mortem; & cum in ambitum, orbemque rogus exardeſceret, hinc, atque illinc flammas tanquam auido ore rapientem, attrahentemque: denique Porphyrius hic nomen, quod habuit à purpura, ſuo conſecrauit ſanguine: eius conſtantiam imitatus Seleucus miles Cappadox florenti ætate, robore proceritate, firmitateque corporis reliquis antecellens, ſed animi conſtantia maior. at verò Philemoni choraulæ quiddam admirabile, & inauditum accidit: nam Apollonius anagnoſtes vnus è noſtris cum diritatem pœnarum expaueſceret, Philemoni cuidam tibijs ad Deorum aras, quas colebat, accinere ſolito, quatuor obtulit aureos, vt mutato habitu ſe Apollonium fingeret, & coram Præſide, ſuo loco, ſiſteret immolaturus Dijs; conditionem accepit; acceſſit ad ſacrificandum fictus, & ſcenicus Apollonius: penè iam thus iniiciebat in focum, cum ſubitò, qui mutato

Digitized by Google

erat habitu, mutatus est animo; exuit personam, ac larvam Philomenem se dicit, Christianum fatetur; vix fides habita, donec cruciatus adhibiti; at ille seriò idipsum asseuerat: itaque addicitur morti: constantissimè ceruices subijcit ferro, puduit tum Appollonium facti; pudor excluſit metum: statim silit se præsidi se verum Apollonium dicit, & commori paratum; hoc tandem lætior fuit, quod auro dato non se à morte ipse redemerit, sed vitam & sibi, & socio emerit: ac Philemon quidem numquam tam scitè in theatro choraulen egit, quam cum morte obita tripudium egit. Sed illa proposita maiori theatro fuerunt, cum Maximini iussu Mennas, & Hermogenes, Aegypti præfecti Augustales è sublimi illo gradu pro Religione deiecti, spoliati eius honoris insignibus, excruciati supplicijs, addicti morti. quo tempore multorum quoque Præsulum insulæ respersæ cruore rubuerunt; Petrum primis Alexandrinum, quem Religio defensorem, ac propugnatorem habuit inuictum, hæsitasse primùm dicitur lictor, reueritus eius maiestatem oris, ac trepidasse; cum ille irretorto oculo vibrantem aciem cerneret ferri: itaque alij suffecti sunt lictores, ac vix tandem repertus vnus, qui non nisi pretio, hoc est quinque nummis aureis acceptis, adductus est, vt paricida fieret: non ante ferrum, quàm aurum sumpsit; nec ille nisi profuso auro venalem profudit sanguinem; sed mirum dictu: sacro capite in terram delapso, post vulnus stetit reliqua pars corporis, vt erat innixa genibus, recta, immobilis, firma index constantiæ: dictum est à suis alumnis in pompa funetis non epicedium, sed epinicium. Sit hoc certamen heroũ, illud heroidum; inter quas Alexandrina virgo nobilissima eminet Catharina: quid in illa non egregium, & præstans? quàm Aspasiam commemoras? philosophata hæc est non in porticu, vel lyceo, sed in rota, fuit hoc ipso tempore Fortunæ numen in honore, præsertim Romæ, cui Fortunæ, dum hæc à Catharina agebantur, quid infortunij acciderit, omitti non debet; quippe eius templum conflagrauit, ac simulacrum vnà cum rota in cineres abijt, irrisum est propterea, & iure numen illud à nostris. & probris agitatum, quod Flamines acerbè tulerunt, & ea de re magnas tragœdias excitarunt; eodem igitur fermè tempore Fortuna instabilis, & inconstans Dea consumpta est, quo Catharinæ constantia admirationi erat; experta illa, est exti-

tia-

Digitized by Google

tialem rotam suam, cum hæc habuit triumphalem; quippè in sublime illud sacri montis Capitolium euecta: operæ prætium autem est indagare causam tam eximij honoris; nam præter illam, quæ afferri potest de celsitudine animi, ob quam Catharina meruit in excelsum eius montis cacumen attolli, videtur affersi posse altera, vt nimirum sanctissimum Virginis cadauer subtraheretur etiam post mortem Maximini furori; quippe hic non contentus nece nostrorum, sæuire solebat etiam in mortuos: ita enim bestiarum acuerat rabiē, atque adeò extra naturæ leges egressus erat, vt exanimatis quoque sepulturam ipsam inuideret; ac propterea cadauera sub dio, vt à bestijs dilaniatētur, proijci iuberet, obseruantibus excubijs ex alta specula, ne quis ea subriperet: itaq; agrestes belluæ, canes, & aues carnisuoræ nostrorum membra discerpere, huc illuc dispergere; ac tota Ciuitas vndique visceribus, ossibusque constrata cruentari, adeò, vt ijs ipsis, qui infesto erant in Religionem animo, ea laniena nihil crudelius, eo aspectu nihil horribilius videretur; neque tam eorum calamitatem, in quos illhæc admissa erant, quàm communis parentis naturæ ignominiā deplorabant; spectaculum enim horribile non vno in loco deuoratarum carnium, sed vbique miserè dissectarum, quod omnem tragœdiæ speciem longè superabat, & circa mœnia, & intra Vrbem cuiuscunque oculis subiectum erat, reclamāte natura tam immani facinori; quæ certè visa est rei indignitatem ingenti prodigio notasse; laboraret historiæ fides, nisi res versata antè omnium oculos esset, & monumentis consignata firmissimis. cum serenum esset, ac purum à nube cœlum, & pacata omnia, repente Ciuitatis columnæ, quæ publicas, & communes porticus sustentabant, nō quouis modo exudarunt, vt aliquando in marmoreis signis factum esse legimus, sed multas veluti lachrymarum guttas profuderūt: parum hoc: plateæ ipsæ arente cælo, subitò, perindè quasi imber decidisset, maduerunt: obstupefacti prodigio omnes, ac dum liquescerent lapides, visi sunt ipsi tupore penè lapidescere: nec sine causa rumor affluxit, tellurem, vtpote rarum id temporis gestarum scelere, ad impietatē commotam, inexplicabili quadam ratione vim eam lacrymarum profudisse; & lapides, naturamque inanimem immane illud in nostros patratum facinus deflesse; & Maximini animum ferum,

rum,

Digitized by Google

rum, ac ferreum quadamodo coarguisse: cum igitur solitus hic esset, quos addixerat neci, eos exanimes addicere etiam ferarum morsibus, opportunè, ac diuinitus factum est, vt Catharinæ corpus post necem eiusmodi lanienæ subtraheretur, immò potius insigni cũ pompa in sublime ab ipsis Cœlitibus deferretur. Iã nihil videtur his Maximini sceleribus addi posse; sed mox hæc alijs etiam flagitijs cumulauit. Cum in eo exardescerent non minus libidinis, quàm crudelitatis faces, nostrarum quoq; matronarum, ac virginum pudicitiæ insidiari cępit: enimverò cum esset immanitate leo, quærebat ad prædam lupas: iubet igitur eas, aut falsa numina colere, aut certè imitari, hoc est esse impuras, atque incestas; sed nunquam maior cura fuit tuendi pudoris; & in quibusdam admirãdum potius consilium, quàm imitandum. Pelagia quippè se sponte de rupè deiecit, sorores se in pelagus: fertur illa matris in gremio prius ornasse caput, splendidam induisse vestem, quod ornamento sibi duceret mortem pro pudore susceptam: at sorores vnà cum matre consertis manibus, tanquam choros ducerent, in medũ progressæ sunt alueum, vbi vnda torrentior, vbi profundum abruptius: nulla pedem retulit, nulla suspendit incessum, nulla tentauit, vbi gressum figeret anxia: stringebat mater nodo manus dux Virginum, & magistra constantiæ: ferunt religiosum illũ, quẽ constrinxerat, nodũ, nec à morte laxatum; & vndam ipsam consuluisse pudori cadauerum, quæ neque eas distraxerit, neque nudauerit; vt aliquando desineret suas Roma iactare Lucretias, vim passas, antequam necem. verùm hæc tuendi pudoris constans ratio fuit; illud etiam ingeniosum inuentum: Nicomediensis virgo Euphrasia cum cogeretur aut abiurare Christum, aut pudorem perdere, statuit neutrius facere iacturam: introducitur in lupanar virgo, immittitur auceps, qui prædam lenocinijs quasi laqueis capiat; hoc enim ferè proprium impiorum fuit, petere viros ad leonem, fœminas ad lenonem: quid tum illa? procacem adolescentem mira quadam arte circumuenit: veneficam se esse, ac præstigiatricem profitetur; ac modò ille à se abstineat, mercedem ingẽtem conseruatæ pudicitiæ pollicetur; esse apud se ait singulare medicamẽtum, ac pharmacum, quo ille delibutus, atq; perunctus, deinceps in bellorum certaminibus, ac prælijs etiã inermis nullo prorsus telo, ac ferramenti genere violari, aut con-

Digitized by Google

confici possit; ac nè ipsum diutius per ambages teneat, hortatur, vti rei periculum primùm in se virgine faciat: annuit ille percupidus exploranda tam prodigiosæ rei; tum Virgo cera oleo permixta, ac digitis subacta collum suum circumlinit, atque inungit; quod vbi perfecit, collū ipsum profert, ac ferro subijcit; iubet, quibus possit viribus adacto telo eiusmodi medicamenti vim, & efficaciā experiri: credulus ille, quàm potuit validissimè ferrum imprimit: sed quod expressum est è cera, vtrùm mel fuit, an sanguis? certè Euphrasiæ illibatæ nihil fuit ea nece suauius. plus collum splendoris accepisse ex illo monili è cera compacto, qua lumen accenditur, quàm ex torque gemmato; sed aliquis hoc iure mirari possit, q̄ in tanto æstu, atque ardore pietatis non colliquefieret cera: quàm enim ardens studium fuit seruandi pudoris in virgine? obstupuit ipsa Natura, vel industriam, vel animi magnitudinem admirata: cum enim illa pet medicinā cerato vtatur ad curandum vulnus, hæc eo potius vsa est ad procurandum; nisi quod insano amore lymphatum, ac ceritum iuuenem cerato curauit; ingressus quippè est, vt de ea ætate cecinit quidam, cereus in vitium flecti; Virginem etiam quodammodo fecit ceream; sed inuenit adamantinum animum: plus amauit cū feriendo egit hostem, quàm cum blandiendo amasium: factus est pudicus ex proco: itaq; victo cupidine cruentū suspendit gladium in fornice iā nō meretricio, sed triūphali: ingemuit quidem primò, deindè laudauit in compingenda cera Virginis tanquam castæ apis ingenium: commendauit in cereo stratagemate, ac molli artificio stabilitatem mentis, ac firmitatem: parata fuit illa cera modo ceruices flectere, non propositum: elusit arte naturam: nam quod conglutinat, & compingit, hoc illa contulit ad distrahendum videlicèt ab humeris caput: commēta est nouum genus defendendi vulneris, vt acciperet vulnus: maluit præstigiatrix videri, quam meretrix fieri: sagax potius dicēda, quàm saga; emit fucto veneficio beneficium: satis aptum habuit nutrimentum, quo explendesceret pudor, ideò apte addidit ceræ oleum: quanquam hoc etiam se velut in agone pugilem declarauit: ecquod igitur illustrius facinus, quàm q̄ in se habet, quo lumen accendat? habent quoq; sapientes, quo in elucubratione nocturna præclaræ huius historiæ describendæ vtantur. huc calamum deflexit Maximini libido, nunc ad

in-

Digitized by Google

institutam de eius crudelitate narrationem redeamus. Quantas hic de nostris ediderit strages, vel ex eo coniectare licet, quod vno die recensentur in sacris fastis Alexandriæ sexcenti sexaginta, & amplius eius iussu necati; quanquam illi quàm auspicato ceciderint, is indicare visus est, qui eos in beatissima nece sociauit Faustus. Alexandriæ, inquàm, Maximinus sæuitiam maximè exercuit sua: nullum certè theatrum magnificentius fuit virtutis, gloriæque nostrorum; nempè ea vrbs, quæ ab Alexandro condita, amplissimum erat terrarum Orbis emporium; quam Dinocrates architectus metatus fuerat ingenio mirabili, ad effigiem Macedonicæ chlamydis, orbe gyrato laciniosam, angulosoque dextra, lauaque procursu, vt aspectus ipse vrbis conformatus videretur, ad speciem bellicæ fortitudinis, & chlamydati militis: atq; hoc specimen inuictæ virtutis nunquàm prætulit magis, quàm cum Maximini sæuitiam vicit, ac fregit: itaq; cum videret hic eludi minas, sperni supplicia, vt erat ingenio vafer, aliò se vertit; edictum edit non tàm minarum, quàm mendaciorum plenum; quod potius magnificum quoddam de Dijs videri possit encomion: in quo felicitatem eius temporis, ac bona omnia Deorũ beneficio adscribebat; qui videlicèt idcircò propitij essent, quod Christi nomine penè deleto, eorum cultus apud ipsos vigeret: hinc fieri dicebat, vt semina terræ mandata, redderentur tanto cum fœnore; vt Martis tubæ, ac litui silerẽt; vt in commune commodum elementa omnia conspirarent; non corrupto cœli tractu, vt sæpè fit, grassaretur lues; non trepidaret tellus, aut facta labe dehiscoret; vt maris quiescerent, feriati essent venti, procellæ pacatæ; ac proindè consulèq; se curasse Christianorũ genus extinendum, per quos calamitates in Orbem terræ omnes importabãtur, meritò Deos honorari, quorum tãbeneficum numen agnoscerent: hæc cum magnificentius iactata, quàm verius de Dijs prædicasset, atque in columellis æreis incidi iussisset; statim eum mendacij vltio diuina coarguit; cõsequuta est fames sæuissima: abstinuit à tempestiuis imbribus cœlum; & dum impium edictum in ære incidebatur, æreum factum: grauissima quoque incubuit pestis, morbo velut igneo depascente artus, qui antrax dicitur: oculis maximè is erat infestus, quamobrèm multi luce priuati; vt quia verum Mundi temperatorem intus mente non viderant, ac cæca mente fere-

ban-

Digitized by Google

bantur, etiã extrinsecus oculis cęcutirent: iacebant passim in foro cadauera; qui verò superstites sũt ad lacrymas, & mœrorem relicti, tanquã laruata simulacra, & macie horrida: hanc porrò sibi prouinciam deposcerant, vt canes suorum cadaueribus inhiantes abigerent, veriti etiam ne efferati rabie in se ipsos semiuiuos inuaderent; quo maximè tempore clara fuit, atque perspecta nostrorum hominum pietas, quæ hostibus ipsis admirationi fuit. Nàm, & eorum libitinarios esse non puduit, & in eosdem penè enectos fame, qui parcere noluerant ferro, prodigi fuerũt auri: Neq; tantùm post falsam illam Maximini prædicationem de Deorum prouidentia, fame, ac pe-ste sæuitum est, sed etiam bello: ingentem enim ab Armenis ipse accepit cladem, Romano exercitu fuso, ac penè deleto: denique tam aperta fuit vltio, tamque prompta, vt dubitare Maximinus non posset, quin ille calamitatum concursus diuinitus esset factus sui causa: quamobrem priora edicta rescindere statuit, ac noua, quæ à nobis facerent, edere: quod, vt quã primùm ageret, alterius insignis calamitatis accessit stimulus: nã cũ Imperij consortes, vt erat ambitiosus, & arrogãs, ferre non posset, confidenti mente facinus audax aggreditur; eoq; procedit amentiæ, vt amicitiæ fœdus, quod pactus cum Licinio fuerat, rescindat, ac violet: tum statim omnia seditionibus permiscere; Ciuitates, ac Prouincias perturbare, exercitum perditorum multitudine infinita cogere, aciem contra Licinium instruere; sed antea magicis quibusdã sacrificijs initiari voluit, vt non minus præstigijs, quàm armis instructus hostẽ inuaderet; ratus ità sibi certissimam obtingere posse victoriã: at vbi ad manus ventum est, vltore Deo, partim concisus exercitus, partim profligatus: Maximinus ipse penè desertus, atque nudatus vix sibi turpi fuga consuluit: tum vbi in Imperij angulum se abdidit, vt erat totus ignominia, & dedecore perfusus, & furore ardẽs, falsos vates, ac diuinaculos, quorum oraculis, siue ineptijs potius bellum susceperat, ad se accersit, eosq; tanquam præstigiatores, ac veteratores, & salutis ipsius proditores trucidari, ac mactari iubet: deinde egregium pro nobis decretum edit, quo eos, qui è Christi disciplina erãt, non modò immunes esse iubet à cede, sed copiam ijs facit sacras extruendi ædes, ac priuatas etiam repetendi, quæ erãt ademptæ; ità mirum in modum diuino nutu factum

Digitized by Google

est, vt is, qui nobis non modò Ciuitates, aut agros, sed solitudines, ac luitra ipsa ferarum interdixerat, leges pro libertate conderet: & quos igne, ferro, bestiarum, ac volucrũ laniatu, & quouis supplicíorum genere insequebatur, eosdem sineret esse liberos, & indemnes; sed quia metu hæc agebat, non aliquo vero sensu pietatis, pœnam non effugit; nàm præterquã quod in secundo belli conflictu à Licinio victus, ac penè oppressus est, mox in horrendum morbi genus incidit, quo miserè perijt: incredibli ardore intùs totus incandùit; flamma, haudquaquam adspectabilis diuinitùs immissa viscera depascebatur non sine grauissimi doloris morsu; vultus extabuit; exesa, absumptaque sunt membra; ipsa hominis effigies prorsus euanuit, quanquam antea iam ipse humanitatem exuerat; tanquam simulacrum quoddam in modum laruæ relictũ exiccatis ossibus, atque adesis, vt qui id spectárent, nihil aliud esse existimarent, quàm sepulcrum animæ, quæ in eo quasi in cadauere penitùs putido defoderetur; & cum æstus adhùc vehementior ex intimis medullis ebulliret, ei exilierunt oculi, atque è propria sede elapsi cęcum omnino reliquerunt: deinceps ægrè animum ducens partim, mortem accersens, partim se tot paricidiorum reum incusans, luctantem spiritum expulit: statim verò hostis omnium infestissimus est declaratus, & per edicta publica insigni notatus infamia: imagines aliæ è sublimi in præceps deiectæ, aliæ vultu ipso deleto, luto oblitæ, tituli obliterati, statuæ confractæ, & comminutæ, ac ludibrio expositæ; tùm Maximini ipsius familiares omnibus honoris insignibus spoliati, Peucetius in primis, quem per multos gradus euexerat, & quo in Ægypto ad nostrã cędẽ impiè vsus erat administro, interfectus est: at verò Theotechnus pristigiator ille, qui Iouis φιλίου, hoc est amicij magicum simulacrum fabricauerat, vt inter Imperatorem, & nostros conflaret inimicitias, vnà cum socijs eius artis, post multas plagas morte mulctatus.

PERSECVTIO MAXENTII IMPERATORIS.

Ann. Christi circiter 308. MAxentius, siuè is Maximini Herculei verè filius fuerit, siuè

ſiuè ab Eutropia vxore ſuppoſititius, atque vt dicitur, terræ filius (ſi modò terra ab eo fœdata, & cruentata dixerit ſuum) cum primùm occupauit imperium, eos, qui erant è noſtra diſciplina ſibi maximè demerendos ficta pietate curauit, quod putaret eſſe ab re ſua, eam gentem, quæ iam in immenſum excreuerat, ſibi adiungere; verùm nulla vi coire poſſunt quæ maximo diuortio diſſident; nec vlla tam fidelis eſt copulatio, quæ in diuerſa tententia nexu teneat ſuo: non potuit ille cum noſtris quicquam habere comune, quia nihil habebat ſimile. Maximino fratri par fuit impietate, præſtigijs, ſæuitia, libidine: nihil ea tempeſtate Sol vidit impurius, quàm duos hoſce Tyrannos, qui Orientem, Occidentemque fœdarunt; ac *Maxentius* quidem ita fuit Herculij filius, vt monſtrum potius ipſe haberetur, dignum, quod Hercules claua mactaret: omnia in illo inceſta, fœda, nefaria: nullius matronæ pudicitia fuit tuta: effecit, vt lectiſſimæ fœminæ, cum nollent illici auro, in ſeſe ſponte adigerent ferrum; Sophroniam in primis id inire conſilij coegit, vt non modò inſignis indito prudentiæ nomine, ſed etiam pudicitiæ facto eſſet: atque, vt ea, quæ vellet, conſequeretur, ad magicas artes, atque præſtigias ita delapſus eſt, vt quaſi Circæo aliquo poculo in immanem belluam videretur eſſe conuerſus, eninverò grauidarum mulierum diſſecti vteri, extracti ferro immaturi partus; recentium infantium viſcera, iecorum fibræ, & præcordia notata; leones quoque mactati, quos feritate anteibat; infandæ adiurationes ad impios Manes excitandos, euocandoſque adhibitæ. dici verò vix poteſt quàm crudeliter in cæde ſuorum graſſatus ſit; quot humeros lictorum faſcibus, quot colla ſecuribus obnoxia fecerit; quantam multitudinem ciuium *Romanorum*, non *Scytharum*, atque id genus barbarorum, ſed domeſticorum ſuorum gladijs trucidauerit; quanta cædes facta ſit in ſenatu, vel leui rumore, ac ſuſpicione pertenui. ſed nihil acerbius, & indignius ab hoc monſtro factum, quàm vt Orbis terræ rectorem, ſacrorum antiſtitem, paſtorem populorum *Marcellum* per ſummum dedecus faceret armentarium; vt publicorum iumentorum curam ei demandaret, cui adminiſtratio humani generis commiſſa diuinitùs fuerat; vt impuriſſimus helluo ad impuram haram abijceret præfectum ſanctiſſimis aris, atque delubris: vidit Roma in illo ſqualore, ac

Digitized by Google

sordibus extabescentem parentem suum, Religionis magistrum, cœli clauigerum: ægrius hoc tulit probrum, quàm immensam ciuium stragem. & fuit Maxentio filius, cui nomen indidit Romulo, quem etiam Cæsarem fecit; reuocauit nomen conditoris, atque auctoris, scilicet is, qui Vrbem lacerauerat, atque euerterat: ingemiscebat his malis Roma; Constantinum appellabat, qui ad obliganda tot vulnera pro fascia diadema gemmatum adhiberet. fuerat verò Constantinus ad hoc diuinitùs præstitutus, vt caliginem illorum temporum pietate discuteret: Constanti enim patri, cum ipsum ex Helena suscepit, admirabilis quædam species oblata dicitur; quippe videre sibi visus est in cubiculo, vbi iacebat, præter morem ab Occidentali Oceano orientem Solem, quæ rei futuræ præsensio fuit; quamobrem in aliquot eius nummis Solem videmus excusum. educatus autem Constantinus est à pueritia in Diocletiani augustali domo, quod fortasse mirabilius superiore prodigio videri possit; vt consuetudine vsus eius Imperatoris, qui tantum hauserat nostri sanguinis, ac tam impense superstitioni addictus fuerat, non modò acerbus, & impius non existeret, sed Religionem summis auctam honoribus in Vrbe velut in regia sede, suis ornatam insulis collocarit, altò ipse secesserit. dederat verò Constantinus adhuc adolescens ansas eius pietatis in ipsa aula, cum auersari cœpit Diocletiani, ac magistratuum sæuitiam, manusq; nostro sanguine respersas. itaque primùm Diocletianus ipse, deinde Maximianus Galerius eum interficere conati sunt; ac parum abfuit, quin vnus Heroum esset, qui in Religionis causa cecidisset; sed diuinitus eorum furori subtractus, atque elapsus ex impiorum manibus ad Constantium parentem traiecit in Gallias. commodùm is de hærede Imperij cogitabat æger, ac penè animam agens: itaque statim iucundissimè exceptum coram senatu, ac principibus Constantinum augustalibus insignibus, & imperij corona ornat: mox vbi parentalia egit; cum tanquam ex alta specula in vniuersum Orbis terræ ambitum aciem mentis intendisset; obuersata in primis ei est Ciuitas illa, quæ princeps reliquarũ: totius Imperij moderatrix, & arx quædam omnium gentium esset; nisi quod amentissimo Domino, ac potius immanissimo monstro subiecta: quam Vrbem cum nemo auderet in libertatem asserere, statuit deuouere caput suum. videbat se rem

aggre-

Digitized by Google

aggredi speciosissimam, sed maximè arduam; quippe Maxentius præter infinitas copias militares armauerat se maleficijs, magorumque prestigijs; itaque multò firmiore præsidio, quàm quod arma sufficerent, opus erat cum illi mens est haud dubiè iniecta diuinitus, vt Deo propugnatori primas, armis, ac militibus vix secundas tribueret; sed vt nondum erat initiatus, cũ Deorum multitudo se offerret, animaduertit Diocletianum, & reliquos Imperatores Deorum cultores infelices rerum exitus plerumque fuisse sortitos; contra verò Constantio parenti, qui Deum vnum huius vniuersitatis auctorem, conseruatoremque coluisset, atque omnium bonorum parentem, fontemque putasset, omnia fauste, ac prospere successisse, constituit igitur, eius, vt Imperij, ita hæreditariam habere pietatem: hæc Constantino agitanti, atque numen obtestanti, vti consilia ipsius, & facta dirigeret, diuina quædam prorsus, & admirabilis se species obtulit; nam die in pomeridianum tempus vergente, ignea columna in cœlo circumfusa radijs, ac species Soli immanens efformata in eadem visa est, ac stellis quasi literarijs notis efficeret, atque componeret epigraphen, quæ declarabat eo signo in prælijs vsurpato Constantinum fore victorem. nec diu afluauit hac mirè cogitatione distractus; mox enim per quietem ipse eius signi auctor videndum se præbuit, iussitque exemplari ad illius instar affabrè facto, vti itaque statim perito artifici effingendum datum: hastile illud fuit oblongum, erectumque, auro vndique obductum, transuerso cornu: in operis fastigio corona affixa aurea, gemmis illuminata clarissimis, in qua magni liberatoris Christi nomen compendio inscriptum, media littera decussata, tanquam decennali bello termino constituto; quod item nomen Imperator in galea incisum habuit, quo frons augustior, quàm ipsa maiestate oris, ac diademate gemmato fuit. iam ad cornu illius particulam, quæ ex aduerso erat per hastile traiecta, pertenue velum oppassum pependit, magnifico prorsus, ac regio textu, quod micantium lapillorum commissura pascebat oculos: pars porrò hastilis inferior basim versus longius ducta ad fimbrias aureas ipsius Imperatoris, ac liberorum effigies, ad pectus vsque concinnè depictas habuit: hoc igitur accepto præsidio, explicatoque signo, quod olim fuerat insigne trophæum victoriæ de Erebo partæ, in Maxentium, qui Romam inuaserat,

ac

Digitized by Google

ac maleficijs,cæde,& omnibus flagitijs inquinauerat,Constantinus insurgit. aggressus fuerat antea datis litteris demulcere illius animum, ac sibi adiungere,sed frustra:intemperiæ quippe illum agebant; primùm occultas est molitus insidias, deinde apertè se hostem declarauit, deiectis Constantini statuis, imaginibusque deletis;infestis etiam armis,signisque collatis. igitur Constantinus collectis copijs ex redactis antea in potestatem barbaris, & Germanis, & alijs Celticis nationibus, itemque de Brittania coactis militibus, qui omnes erant ad nonaginta millia peditum,& octo millia equitum,ex Alpibus in Italiam mouit,conflicturus cum Maxentio, qui longè maioribus copijs erat instructus; quippe adiunxerant se illi Romanorum,& Italorum octoginta millia,itemque Tusci quotquot vniuersam oram maritimam incolebant; præbebant & Carthaginenses exercitum quadraginta millium, & præter hos alij:adeò,vt totus hostilis exercitus centum,& septuaginta millibus peditũ,& decẽ,atq;octo millibus equitũ cõstaret. cũ Maxẽtius totus ad fraudẽ cõpositus pontem supra Tiberim fodi iubet, non connexum prorsus à ripa, quæ vrbem spectat ad alteram vsque repam,sed duas in partes diuisum, vt in medioflumine ea, quæ partem vtramque pontis explebat, inter se quodammodo concurrerent,fibulis ferreis, quæ reuellebantur quoties pontem quis iunctum nollet.simul imperat fabris,cum primùm videant Constantini exercitum iunctura pontis insistere,fibras reuellant, pontem dissoluant, vt quotquot huic insistant, in flumen delabantur. his imperatis ipse interim intra muros incluſus Dijs victimas offert, extispices de belli euentu consulit,vatum oracula perueſtigat, augurales lituos adhibet, antequam bellicos.editum est oraculum,quo significabatur in fatis esse, vt qui ad perniciem populi Romani tendentia consilia agitaret, is miserè periret; Maxentius, vt qui amentia ferebatur,Constantinum periturum interpretatus est,à quo Roma petebatur; cum potius hæc nihil Maxentio ipso haberet hostilius; & quóniam his auspicijs ducebatur, meruit vt mala aui exiret in prælium; infinita enim quædam multitudo nocturnarum deuolans in muros complet, quæ ipsi sempiternam prænunciare visæ sunt noctem, cum exercitus vtrinque cornibus aduersis staret,equitatum Constantinus immisit suum,qui hostilem adortus fudit,peditibus quoque signo dato.ritè,compo-

Digitized by Google

positèque in hostem illi tendebant, acri conserto prælio. qui erant à Maxentio Romani, & Itali, quod omninò eius tyrannide se liberari optarent, segnius rem gerebant; reliquorum verò militũ multitudo innumerabilis partim ab equitibus proculcata, partim à peditibus interempta perijt. Maxentius fuga, cum reliquis arrepta per fluminis pontem à se constructum, ad vrbem contendit; tignis autem minimè sustinentibus eam vim oneris, adeoque ruptis, repentè ipse vnà cum suis ruit in præceps, atque ita haustus est gurgite, suo, vti dicitur, laqueo captus: renouatum est antiquum illud de Aegyptio hoste prodigium, quem obruit mare: fuit autem hic pons ex lihtribus dolosè confectus iuxta alium pontem, qui Miluius dicebatur, qui nomine ipso rapacem Maxentij prædonis animam designabat; sed ipse potius hosti cessit in prædam: ita qui superstitiosè consectatus est auguria, & auium volatus, sinistros, & ominosos habuit non coruos modò, sed Miluios. neque hic illud omittam, quod sapientes animaduerterunt; commodè factum, vt ne vnius Maxentij causa Constantinus sacrum Romanis omnibus bellum videretur inferre, admirabili quadam prouidentia Deus tyrannum ipsum tanquam catenis quibusdam ex Vrbe extraxerit, suis armis interimendum: non, inquam, casu, non fiducia factum est, vt vltro exercitum educeret; sed illum excindendæ vrbis visceribus inhærentem ex assuetis latebris occulta vis diuinitatis excussit: eum pugnæ locum cepit, quo ipsum mente perdita, implicatoque consilio pereundi maturitas perpulit, vt intercluſa fuga moriendi necessitas interciperet: apud Tiberim ita suos instruxit, sic ripæ applicuit, vt vltimorum vestigia, præsagio quodam euenturæ cladis, vnda quasi fatalis alueret. longum est commemorare tectas continuis stragibus ripas, oppletum aceruis corporum Tiberim, & inter congestas altè cadauerum moles ægro nixu, ac vix eluctantibus gurgitibus exeuntem; denique tyrannum ipsum digno sæuitiæ exitu è ponte præcipitem, & inter sanguineos fluctus miserè voluta tum: tantam labem non eluit vnda, sed auxit; quem sitijt sanguinem, tam affluenter habuit, vt in eo demersus non tam hauserit, quàm sit haustus. perstringi hæc satis est, ne pugna raptim gesta, diutius narrata, quàm confecta videatur: ita vis illa diuina, & maiestas, fandi, atque nefandi discriminatrix, quæ omnia meritorũ momenta perpendit, ad libram examinat, ne-

fariam

Digitized by Google

fariam Maxentij fregit amentiam, Conſtantini pietatem texit, ac numine adiuuit, vt horrendas acies, & ſuperiores numero facilè profligaret; & quicquid inſtruxerat diuturni ſceleris longa molitio, ſubita, & felici congreſſione conſumeret. nihil, vt ſit in rebus lætis, agglutinatum eſt triſte, quod victorum lætitiam vulneraret; ſed tanta hoſtium, & tam ampla cædes, tam incruenta ſimul ac celeris victoria fuit, vt non bello anceps dimicatum, ſed ſola impiorum pœna expetita videretur: nix habita fides dicto, ac nuncio tam repentino victoriæ, donec expiſcato cadauere, reciſum caput, & palo affixum circumlatum, & oſtentatum omnibus. potitus eſt pius Imperator nouo more victoria, non tam armis, quam vexillo fretus; immò trophæum illud erat crucis. non draconarijs fidit, non ijs, qui minotauros, ac lupos, ceteraque ſigna legionum ſequebantur: de cœlo habuit, quod Romanam vrbem hoſti eriperet & Religionis regiam conſtitueret: non facta eſt auctior præda, ſed eſſe præda deſiuit; & quæ ſeruiebat, recepit imperium: Ingreſſus eſt Conſtantinus cum ea pompa, qua nullam antea vidit Roma iucundius; nouum fuit triumphi genus quia nouo armorum genere reportatus: non agebantur vincti ante currum Duces, ſed ſoluta nobilitas: non captiua barbaries, ſed Roma ipſa iam libera: trahebatur ſcelus domitum, victa ſæuities, impietas catenata, libido ferreo nexu conſtricta: ſequebatur ipſius Tyranni teterrimum caput, & vti narrant, ſupererat adhuc in ſuperciliis diritas, in ore crudelitas: adeo frontis horrendæ minas mors ipſa non vicerat: miſſum deinde eſt ad permulcendam Africam, quo nihil antea viderat illa monſtroſius, & ſi monſtrorum altrix; ferunt nondum tempeſtiuo mari, affiaſſe tamen nauigantibus felices auras, detumuiſſe fluctus, ac beatiſſimam de religionis hoſte victoriam elementa ipſa adiuuiſſe: injiciebantur in illum contumelioſiſſimæ voces; execrabantur os illud immane; poſt quæ ludibria hoſtis, ac Diras, ad victoris laudes conuertebantur. Interim noluit ingrata videri Roma liberatori ſuo, ſed rei geſtæ memoriam monumentis ampliſſimis conſignauit cum hac epigraphe.

Imp. Cæſ. Fl. Conſtantino Maximo.
P. F. Auguſto S. P. Q. R.
Quod inſtinctu diuinitatis
Mentis magnitudine cum exercitu ſuo

Tam

Digitized by Google

Tàm de Tyranno, quàm de omni eius factione
Vno tempore
Iustis rempublicam vltus est armis,
Arcum insignem triumphalem.

Hanc epigraphen Senatus apposuit, qui quod sciret Constantinum vnius Dei cultorem, de instinctu diuinitatis meminit, non personæ: quia tamē alienus ipse à nostra disciplina erat, de eius vexillo in crucis formam fabricato siluit. at verò Constantinus, qui huic præsidio victoriam adscribebat, statim vexillum illud in statua inseruit Romæ in loco celebri, ac præclaram hanc incidi iussit epigraphen.

Hoc salutari signo, vero fortitudinis indicio,
Ciuitatem vestram tyrannidis iugo liberauit,
S.P.Q.R. in libertatem vendicans
Pristinæ amplitudini, & splendori restituit.

Ceterùm hic ille Constantinus est, quem Roma parentem, Religio amplificatorem; aræ, ac templa patronum suum appellant; qui cum à Maxentio Marcellum Romanum hierarcham tam probrosè ad iumentorum curam abiectum, & in sordibus, & squalore confectum secum reputaret, vbi tam impium deuicit hostem, hoc sibi in primis proposuit, vt Pontificem maximum, ac Religionis principem summo afficeret honore, obseruaret, atque omnia illi officia magnificentissimè deferret: illi ingentes ædium substructiones, illi ornamenta, cultusque sacrorum tribuenda. quot verò, & quantas dimicationes pro nostris institutis, ac legibus piè, constanterque suscepit? quoties nostrorum Præsulum accepta ab hoste oscula tus est vulnera? quàm nobilem stragem de nationum omnium Dijs edidit? quot fana demolitus euertit? quot mendacibus oraculis silentium indixit? neque enim illum adeò nobilitarunt debellati Scythæ, Sauromatæ, Getæ, quàm deuicta superstitio, penitusque deleta. quippe æditui omnes, ac hierophylaces quæ apud ipsos erant magno in honore simulacra, ac præsertim ea, quæ διοπετῆ, hoc est à Ioue delapsa protulerunt, & ex occultis fanorum adytis deprompserunt, cum populi suffragio carerent; statuæ autem, quæ ex pretiosa materia constabant, igni diffictæ sunt, pecuniaque inde collecta in vsum egenorum collata. direpta, & spoliata delubra, cum ceterorum Deorum, tum Apollinis, & Musarum signis: extracti è cortina

Digitized by Google

Delphici tripodes, & Pan ille semicaper naturę Deus habitus, & à Greciæ ciuitatibus dedicatus, ludibrio est expositus: fana vel ianuis nudata, vel tectis; quędam deserta sponte corruerunt: fana in primis Aesculapij, quod Aegis, & Veneris, quod in Aphacis circa Libanum montem, & Adonidis fluuium situm, funditus euersa sunt; quæ scilicet celeberrima populorum studijs frequentabantur, & superstitione maxima colebantur; siquidem Aegeatæ iactabant ægra hominis corpora vi, & potestate genij, qui se subinde videndum offerebat, solui morbo solere; sed eam accepit Aesculapius à Constantino plagam, cui mederi ars nulla posset. In Aphacis autem memorabant, certo die per magicos quosdam susurros euocari ignem, qui instar syderis à summo Libani vertice procurreret, atque in vicinum se fluuium immergeret, quam igneam stellam, Vraniam, quo nomine Venerem nũcupabant, esse existimabant: sed Constantini religione factum est, vt demersa Venus iterum non emergeret. erat tum in vertice Libani constitutum diuersorium omnium turpitudinum, & officina nequitiæ: adeo eius montis nomen, quod vel à candore, vel à thure inditum est, superstitio infecerat, & inter incorruptas cedros, quibus abundat, corruptelarum illecebræ versabantur: expurgauit hoc velut Augiæ stabulum alter Hercules Constantinus, aut maior; reliquos verò Deos ex ære fabricatos per, summum dedecus funibus setaceis constrictos quasi captiuos ex adytis extrahendos curauit: itaque cum eorum cultores fractum Iouis fulmen, cuius nutu, ac supercilio omnia regi putabant, cum reliquorum Deorum turbam afflictam, atque humi iacentem viderent, quibus hecatombas, ac thura offerebant, in eam cogitationem venerunt, nullarum esse virium eos, quos vnus Imperator sine exercitu, solo nutu prosterneret, ac deleret: obsoleuerunt præ hoc omnes veterum triumphi; siue tres illi, quos Augustus egit continuo triduo, Dalmaticus, Actiacus Alexandrinus; siue quinque, quos Iulius Cæsar, Gallicus, Alexandrinus, Ponticus, Africanus Hispaniensis: hic enim vnus omnes gloriæ splendore præiuit: ita ille speciosissimum trophæum crucis, quod è cœlo acceperat, nouo consilio, in cineribus sepultæ impietatis, atque in ipsorum Deorum busto constituit.

PER-

Digitized by Google

PERSECVTIO
C. VALERII LICINII IMPERATORIS.

DEcennalis incendium belli aduersus nostros Constantini Religione sopitū, flabello ambitionis pariter, & impietatis excitauit Licinius, & fortasse non minore flāma, quàm quæ exarserat anteà creatus fuerat hic à Galerio Cæsar: eum, ne quid in Imperio noui moliretur, conatus est Constantinus sibi allicere, arctèq; adiūgere; ac ne inconstās esset, vel in amore in ipsum, vel in pietate in Deum, Constātiā sororem in matrimonium collocauit: at ille, vt erat veteratorius, & Constantini gloriæ inuidus, dissimulauit aliquandiū quod impiè agitabat; immò verò vna cum illo edictum edidit pro nobis verbis amplissimis, quibus sacras ædes extruendi facultas dabatur; vis, & iniuria propulsabatur; mox tamen ità transuersum egit amentia, vt in eundem illum gurgitem, in quem superiores Cæsares veræ diuinitatis hostes, ageret se præcipitem; nec eorum, quorum imitabatur facta, infelicem exitum perhorresceret: hic cum esset illiteratus, immò adeò litteris infensus, vt eas publicam pestem vocaret: ausus est perscribere aduersus nostros leges maximè pestiferas, quibus sacrorum Antistites de Religione inter se conferre vetuit; studuitq; ab eorum congressione, & consuetudine alios abstrahere; matronis, ac virginibus aditum ad pudicitiæ magistros interdicere, vt eum ad se, hominem impudentissimum, apertum haberet: deindè contra quàm Constātinus fecerat, omnes, qui è nostra disciplina erant, extrudebat è regia, & qui ob res præclarè gestas amplos apud ipsum honoris, ac dignitatis gradus erat adepti, eos seruitio destinat: ità præluit impietati: mox tortuosi serpentis instar, ac lubrici, venenum omne diffudit; in Amphionem hic oculum, & quadraginta Virgines, quas ille ad pudorem instituebat, tōto impetu fertur: atq; ille quidem dū ab Hadrianopolis præfecto iussus Dijs immolare, rē detestatur, dirum in modum excruciatur; sed multò dirius lucrea excruciari cepit simulacri sacerdos, ac miserrimi impietatis; quippe subitò arreptus à malo genio, sursum est in aere, tum ma-

Anno Christi circiter 316.

Digitized by Google

magna vi in terrā afflictus, toto corpore illisus interijt: digna Deo suo victima, à quo est ipse mactatus. Ad hæc combustæ quidē Virgines igne sūt, sed illustriores effectæ, quā Vestales illæ, ignis immortalis dictæ custodes: spectata in primis est Glaphyræ virginis in pudicitia tuenda constātia: hæc cū inter puellas aulicas versaretur, eximia nō minus forma, quàm virtute præstans, Licinij flāmæ, qui in eam incesto amore exardescebat, subtracta diuinitùs est: nam Constantia Constantini soror, & ipsius Licinij coniux, re cognita, eam regiè ornatam clam in Armeniam ad Basileum Præsulem prudentissimum, atque sanctissimum mittit, qui tum commodè augustissimam ædem sacram extruebat: ad eius igitur exedificationem Glaphyra totū, quod acceperat ab Augusta aurum, atq; argentū, cōtulit: sed re cōperta, veteratorij scilicèt hostis arte, Licinius, furoris simul, & libidinis cultro percitus, statim ad prouinciæ Præsidem datis litteris, Glaphyram, & Basileum ferreis vinculis constrictos ad se adduci iubet. dum hæc aguntur, Glaphyram beata mors tyranno prædoni eripuit: Basileus, resecto capite in mare proijcitur. fuit in vtroque nominis omen illustre: nam Glaphyra exculpsit ipsa sibi rei præclarissimæ gestæ monimentum æternum: Basileus verò Glaphyræ custos, cum eius pudoris, tum sui sanguinis purpura, se regem inaugurauit. Quid illud mortis genus, quàm impium, & immane fuit, & vix apud tragœdos auditum? cum nostrorum corpora acie ferri minutatim in multa frusta dissecta, atque concisa, primū sunt, deindè in profundos maris gurgites ad piscium pastum proiecta: quo factum est, vt hæc à Licinio excitata in nos procella nonnullorum iudicio visa sit superiores anteire saeuitia; is igitur à sanitate, ac mente penitùs deturbatus in sacrorum antistites in primis impetum facit: vel quod Religionem maximè tuerentur, vel quod essent Constantino chari. in milites quoque grassari cepit furor, quos illi studere ob eundem cultū sciebat, vt his sublatis facilius inuaderet in Imperium. meuerat apud Licinium stipendia magna cū laude Auxentius: erat apud regiam lucus cum Bacchi statua, & vite patulis diffusa ramis, quæ totum complexa locum opacabat: eò cum venisset Licinius, delectatus arbore, iubet vuam prægrandem, ac maturam ab Auxentio decerpi, atque offerri Baccho: detestari ille rem impiam, ac paratum se dicere potius ad venas, quàm

ad

Digitized by Google

ad vuam exprimendā: statim balteum militarem soluit, abdicat se honoribus, ab augustali aula proripit se fuga; nō metus ipsum, sed iusta exegit ira: nihil magis sobriè factum ab Auxentio in Licinum Bacchi cultorem, & ebrium cæde nostrorum: sed huius furor, tanquam è sæuo incendio ignis, ità creuit in flammam, vt in immensum auctus circumcirca cuncta depasceret: deligūtur ad prouinciarum præfecturas eiusmodi magistratus, quos, & immanissimos sciret esse, & maximè impios: constituuntur noui Busirides, atque Phalarides; Lysias videlicet, & Agricolaus. proponūtur fasces, secures, numellæ, rotæ, cruces, equuleus, vngulæ, scorpij: quin etiam vbi crudelitas arte destituitur, armat elementa; & quæ inter se dissident, in nos conspirare coguntur, ignis, aqua: admirata est minor Armenia magnitudinem pietatis Cappadocum militū quadraginta, quæ nunquam flagrauit magis, quàm in frigidario illo Thermarum gelu; eorū coronis visis custos allectus simul est, & loco eius, qui defecit, adlectus; ac ne coronis illis clarissimæ gemmæ, quibus illuminarētur, deessent, inter eos Smaragdus fuit: auspicatissima quoque fuerunt cętera magna ex parte nomina, Alexandri, videlicet, Valentis, Leontij, Eutychij, Candidi, itemque Theoduli, atque Theophili. denique in eiusdem Sebastanæ ciuitatis antistitem Blasium immanitèr sæuitum est. sed nihil aliud Agricolaus egit, quàm quod, vel alienum habens animum, illo ferro fecundissimum Religionis agrum excoluit; qui quàm pulchrè efflorescceret, indicare visus est is, qui eodem tempore in Ponto succisus est ferro, Narcissus; sed quod in aquas deindè proijci iussus est, & amentiā arguit tyranni, & Narcissi ipsius viriditatem indicauit non amissam. fuit etiam illud non modo furentis, sed amtiēs, quod Abibum hierodulum eo supplicij genere affecerit, qui climax dicitur, scalarum instar, & graduum; quibus illigatus, atque suspensus inter ferreas vngulas lacerato corpore torquebatur; itaque nostris, vt ad veræ gloriæ culmen ascenderent, hostis ipse sufficit scalas, & gradus. at non tulit Constantinus tātam nostrorum stragem; commotus indignitate rei, simul & quòd de insidijs sibi paratis diuinitùs fuerat monitus, coactus est in Licinium arma sumere, vt vnius cæde plurimorum innocentium vitæ consuleret; nam cum videret nihil se profeciſſe non modò beneuolentia, sed etiam affinitate; ac nullam esse reliquam

Digitized by Google

quam spem salutis, statuit armare dexteram, quã frustra iunxerat fœdere; itaque bellum apparat necessarium: vniuersa agmina tàm peditum, quàm equitum cogit, ità tamen, vt non tàm armis fideret, atque hastis, quàm hastili illo crucis, quod sibi è cœlo fuerat oblatum, præsidium pariter, atq; auspicium certæ victoriæ. interim Licinius augures potius, & Aegyptiacos, immò etiam veneficos, & præstigiatores consulit: cum victimis immolatis, ac lecinorum fibris inspectis, sciscitatur, quem esset habiturus exitum belli; vno ore respondent, superiorem fore Licinium: idem carminum ambagibus oracula asseuerant, in primis Apollinis Didymi cortina, quæ Mileti erat: indè enim suscitanti de belli euentu responsum hoc ex Homeri versibus editum ferunt:

Te iuuenes (grandæue Pater) vexare feroces
Certum est, te infirmum manet eruminosa senectus.

Cum autem esset prælium initurus Licinius, satellites, ac cæteros, quos eximiè charos habebat, in locum quendam, qui sacer habebatur, conuocat, in quo nemus erat irriguum, ac densis arboribus cõsitum, vbi etiam statuæ lapideæ vario artificio insculptæ Dijs erectæ: quibus cum cereos accẽdisset, & consuetas immolasset hostias, orationem habuit impietatis plenam, qua Constantini exercitum peregrini Dei ope confisum eleuaret; suum verò patrijs Dijs innixum ad spem exoritat indubitatæ victoriæ; sed quàm præceps Licinius ferretur amẽtia, quàmque vana esset illa iactatio, admirabilis quædam species oblata de cœlo significauit; ferè omnes enim, qui eius ditioni subiecti erãt, videre sibi visi sunt varias turmas militum armatorum, qui sub Constantino Imperatore dimicassent, ipso meridie per vrbes, tãquam victoria potitas, & opimis spolijs onustas ducere triumphalem pompam, & tanquam in Capitolium tendere: quæ ità sunt adumbrata, vt diuiniore quadã specie, & excelsiore virtute, id, quod breui futurum erat, portendi videretur: pugnatum igitur est ad Cybalin Pannoniæ oppidum; fusus Licinius cũ exercitu; pugnatum in Thracia: pene feriata fuerunt arma: iterum illud vexillum, atque hastile crucis pro hastatis, ac cæteris armatis fuit: qua illud fulsit in parte perspectum, inde statim exterriti hostes fugam capere; nostri vires sumere: ea re intellecta Imperator, sicubi partem aliquam sui exercitus languentem videbat, ibi subsidium illud

ad

Digitized by Google

ad victoriam pro Triarijs collocabat: quinquaginta militibus mandat, vti vexillum circumsistant, atque obuallent. quantum in eo esset virtutis, atq; præsidij miro prodigio confirmatum est: nàm cum in media belli dimicatione ingens fortè fremitus, ac perturbatio repentina exercitum occuparet, is, qui sacrum hoc vexillum gestabat humeris, inter præliãdum exhorrescere cœpit, telorum videlicèt, ac iaculorum multitudinem reformidans: itaq; illud alteri tradit, vt periculo se expediat. quid tum? nempè postquam alter accepit, atque ille ex acie egressus, & extrà vexilli præsidium locatus, statim telo coniecto confixus interijt; atque, vt hic timiditatis, ac diffidentiæ pœnas dedit mortes: ità is, qui salutare trophæum sublime, & erectum gestabat, nulli vulneri fuit obnoxius; nec sine magno prodigio; nàm cum tela creberrimo iactu in ipsum intenderentur, nõ ipse tela, sed hastile excipiebat: quod planè omnem admirationem superat, vt tam densa iaculorum nubes intra exiguũ, & angustam tenuis hastilis ambitum ferretur, in eoq; fixa hærescerent, vexillifero semper intacto, atque incolumi, aduersò quantumuis pectore, quod sicut fuit metu, ità & dãno vacuum: sed nimirum simile quiddam in ipso Liberatore nostro visum erat, qui omnia diuinæ indignationis tela in se libenter excepit, quæ in nos meritò contorquebantur. hæc videlicèt magno, & erecto animo Constantinum esse iubebãt: quanquam & alia multa ei per speciem oblata, quibus confirmabatur: vt cum armatus eques è cœlo augustum crucis antè aciem præferens vexillum est visus; & rursus cum Hadrianopoli adolescentes duo longè præstantiores, quã Pollux, & Castor, quos Soteres, & Apotropæos in bellis habuerat Roma, hostium phalanges acritèr visi sunt cædere: & cum circa Byzantium noctu conspectus est ignis, qui fulguris instar vallum exercitus sui collustraret; quibus ostentis in eam sententiam adducebatur, vt crederet, successus illos rerum, atque victorias sibi diuinitùs offerri. victus igitur Licinius, ac diffisus rebus suis à Constantino pacem exposcit; ille quãquam ingenium nouerat hominis præfractum, ac varium, libentèr dat, præsertim affini: tandem iterum noua molientem, ac sæpè fœdifragum, ferro, quod in ipsũ, ac Religionẽ resumere conabatur, interimendũ curat; tametsi nõ desunt, qui narrent eũ simili, qua Maximinũ diximus, affectũ diuinitus pœna interijsse;

hoc

Digitized by Google

hoc est insanabili vlcere, quo extabuit: sc licèt non aliter extingui potuit tam immane illud, quod in nos excitatum erat incendium, quàm Licinij rogo: facilis fuit illi transitus è præstigijs ad Stygios. triumphauit omni ex parte Religio: resedit tempestas omnis: reddi sibi visus est Orians, ac verè splendescere: distractum in partes Imperium tanquam vno capiti agglutinatum, ac sub vno diademate constitutum: nunquam Religio altiores radices egit, vt eam deinceps conuellere nulla vis posset: præclarissimo Imperatoris edicto vbique superstitio dānata; aruspicina, ac vetus Hetruriæ disciplina antiquata; fanis Deorum interdictum; excitata vni, ac vero numini templa; pudicitiæ consultum; reuocata quasi postliminio virtus; denique aureum seculum partum; quia non tàm ferro, quàm pietate pugnatum.

PERSECVTIO.

TIRIDATIS ARMENIAE REGIS.

An. Christi circiter 311.

TIridatem militaris virtus ad Armeniæ regnū euexit: qui si totum illud robur à natura tributum aduersus hostes contulisset, nec veram quoque Religionem ferro appetiuisset, næ vir fortissimus, & ab omni laude nobilissimus dicendus esset: sed dum patria sacra tuetur, oppugnat nostra: pro diuina Triade tria coluit in primis vana numina, Iouem, Dianam, Herculem: à Ioue regnum accepisse se ratus: Dianam, quasi gloriæ obstetricem arbitratus: Herculē ad fortitudinis auspicium veneratus: ad horum cultum, quorum erat studiosissimus, cęteros quoque, vel promissis alliciebat, vel minis cogebat. præcellebat tunc fama virtutum, Gregorius antistes Armeniæ: hunc cum nulla ratione peruertere potuisset, ad extremum dirissimis supplicijs agere constituit; ac primùm eius humeros onerari iubet glebis salis, qui est apud Armenios fissilis; sed nihil aliud egit, quàm quod hinc condimentum accepit ille pietatis; contrà verò ipse vano crudelitatis inuento habitus est insulsior. tum eū suspendi præcipitem iubet altero pede, ac decem lictores circa eum statui, qui virgis acerbissimè cæderent; subijci quoque ignem, fimo ad eius materiam

sub-

Digitized by Google

ſubſtrato, vt denſum, & continuum anhelitum, quem effundere cogebatur à plagis, fumus impediret, atque obſtrueret; & ſimul fuliginoſum, ac tetrum illum fimi vaporem viſceribus exciperet: ſed ignorabat Tyrannus, viros ſanctos ſolitos, vt eſt in adagijs, ex fumo dare lucem: nunquam enim illuſtrior apparuit virtus, nunquam fragrantius redoluit: hæc ſicut Gregorij conſtantiam acuerunt, ita Tiridatis peruicaciam: ad alia ſupplicia gradum facit, excogitat aliquod immanius; & cum tabulis anteriores ſtibiæ partes per carnificem comprehendiſſet, ac deinde eas fune conſtrinxiſſet, ſic exprimit, vt ex ipſis etiam ſummis pedum digitis guttæ ſanguinis ſtillarent: cũ ergo vix tandem pedes inde eduxiſſet, in plantis pedis ferreos infigit clauos, & cogit ſic athletam currere: conficiebat ille virtutis ſtadium vnctus cruore, non oleo, & ad metam contendebat veræ gloriæ: nemini athletarum in Olympijs magnificentius plauſum. cum autẽ Tyrannum, & eos, qui aderant, à ſuperſtitione ad vera ſacra inter ipſa ſupplicia traducere non deſiſteret; infunditur ori liquidum plumbum, quo factum eſt, vt eius verba maius haberent pondus: omitto reliqua monſtra pœnarum à Tiridate nequicquam excogitata, atque adhibita; venio ad infames libidines. Ripſimen inſigni ſpecie, & pudore virginem è parthenone cum alijs non ſine vi extractã, adoritur. regias protinùs ad eam veſtes, & mundum muliebrem auro, gemmiſque exornatum mittit, vt pudicitiam labefactet: cum munera, blanditias, lenocinia expertus eſſet irrita, totus, amore in furorem verſo, bacchatur; tradit lictoribus, qui linguam ei vindicẽ pudoris excindant: tum admotis corpuſculo facibus adurant; denique per ſummam immanitatem ferrum in pectus adigant, eximant viſcera; ſocias quoque Virgines eiuſdem propoſiti ſeptem, & triginta dirum in modũ excruciatas interimi iubet: Gaianę verò parthenonis antiſtitæ, ac Religionis magiſtræ viuæ detrahi pellem; cui nihil gratius accidit, quàm more victimæ immolari. porrò illud hic admodum notãdum videtur, cur tanta eſſet in hoc Tiridate ſæuitia: nempe hic genus ducebat ab eo Tiridate, qui item Armeniæ Rex ad Neronem ſe contulerat, ab eoque regni diadema acceperat, qui & Neronis ipſius conſuetudine delectatus, & theatricis ſpectaculis non ſine ferarum, quarum Armenia ferax eſt, & gladiatorum cruore ab eo datis intereſſe ſoli-

Digitized by Google

tus erat: Neronianum præsertim odium, quo ille exardescebat in nostros, facile fuit ex ea consuetudine concipere, atque in reges posteros deriuare: Iam verò, quia nostra disciplina magistra est etiam pudicitiæ, Tiridates hic, & pudori pariter, & Religioni bellum indixit, cum desæuijt in Virgines. at non siuit diuina Prouidentia improbitatem tantam longius progredi: Tiridatem insigni pœna affecit, mente subitò motum, & in insaniam versum: qua se non hominem, sed sordidissimum animal putabat: itaque exuit purpuram, abijcit diadema, nudus se cœno, limoquo oblinit, turpiter volutatur. attoniti omnes, qui aliqua de nostris acceperant, renouatum Babylonij Regis factum agnoscunt, quem in similem amentiam compulit arrogantia: nemo fuit, quin existimaret, id non tam carminibus, aut Circæo aliquo poculo actum, quàm Numinis spreti vindicta: non omittam rem admiratione maiore dignam. nam qnod nonnulli de altero putant, illum extrinsecus etiam formam accepisse ferinam; hoc de Tiridate sunt, qui autumêt nimirum vt eadem esset imago pœnæ, quæ vitæ: vox illa, qua Virgines morti, Antistitem cœno addixerat, meritò abiit in grunnitum; tetra supercilia in hispidos pilos, sericæ vestes in setas, diadema gemmatum in luti crustam, purpuræ decus in sordes, residere iam non potuit in angusta eius pecudis fronte augusta Regis maiestas: nihil erat illi iucundius cœno: cum interim Gregorius, qui ab ipso in limoso lacu damnatus tenebatur, contemplatione diuinitatis cœnum sibi verteret in cœlum. at verò ceteri purpurati, satrapæ, atque proceres, qui Regi de Virginibus trucidandis, & Gregorio vexando consilium dederant, quanquam humanam formam non amiserunt, certè de mente deturbati sunt; & quod horribilius est, in tantam insaniam reciderunt, vt efferati rabie se inuicem morsu appeterent, ac dentibus lacerarent. nihil Armenia, quanquam inter belluas posita, aut prodigiosius, aut immanius vidit; obstupuit planè eo spectaculo, atque exhorruit, cum regiam conuersam videret in haram, ac Regem ipsum, vt quidam veterum loquitur, factum Epicuri de grege porcum: sic autem iudicatum est, maius hoc de Tiridate fuisse supplicium, quàm quod de Babylonio Rege diuinæ litteræ tradunt: quia hoc & atrocius, & probrosius: siquidem alter ille veluti conuersus in bouem, delectatus est fœno, hic fimo; ille herba pastus, hic glande; ille

Digitized by Google

le mugitum edidit, hic grunnitum: adde spectaculum illud immane purpuratorum, ac principum, qui amentia correpti, ac furore perciti se inuicem dentibus arrodebant, regia in carnificinā versa: itaque obstupefacti Armenij ingentibus monstris, quid remedij, quid consilij caperent, ignorabant: tandem Tiridatis sorori (fortasse virginitatis hoc præmium fuit) per quietem diuinitus significatum est, non aliter ostenta illa, auerruncari posse, vel expiari, quam placatis Virginibus occisis, & Gregorij precibus. itum igitur ad hunc statim, quem tamen putauerunt ipso cœnoso foueæ, odore teterrimo, fame etiam, ac pedore extinctum: euocatur, extrahitur: fit omnium gemitus, contendunt lachrymis, vt veniam Regi à superis petat; commotus est horum precibus sanctissimus præsul, sed maxime fœdo illo, horrendoque spectaculo conuersi Regis in pecudem, & satraparum mutuo in rabiem exardescentium; itaque ieiunium dierum sexaginta ritè populo indicit: existimauit enim communi fame sponte perlata, & Regem à glandis pastu, & satrapas à mutua laniena temperaturos: tum votum Virginibus interfectis nuncupatum de sacra æde ipsis extruendā deinde de Numinis potestate, ac maiestate verba facit. bono animo Regem, ac proceres esse iubet: superat planè omnium expectationem, quod contigit; ac videretur fidem excedere, nisi res acta esset in oculis clarissimę prouinciæ, & grauissimorū scriptorū litteris consignata. venit verò post Gregorij preces, ac vota, non statim Tiridates omni ex parte belluinam exuit formam, sed concessum, vt pristinum pedum tantum, atque manuum vsum reciperet, quibus non ad imperium, sed ad ministerium exædificandę sacræ ædis vti posset; cæteri quoque vt eidem operi incumberent, amentia sunt liberati. igitur Rex Tiridates nouo spectaculo effodere terram manibus, ac sursum iacere: Asichene verò Regina (erat hoc coniugi nomen) purpura excipere puluerem, atque effetre: ille lapides etiam conuectare humeris eius magnitudinis, quæ nemo alius posset: post hæc Virginum occisarum corpora, quæ adhuc madebant sanguine, in loculo reponuntur ornatissimo: cerei accenduntur, venia exposcitur; tātum effusum lacrymarum, vt Tiridati absterserint cœnum; ac lutum, quo pecudis more erat oblitus, eluerint; denique pristinæ omni ex parte restituitur formæ: tum verò ille animum quoq; maculis, & sordib'

Digitized by Google

ciper; statuit, hoc est sacra ritè ablui aqua. eligitur ad hoc Euphrates, vt prima labes expietur eo flumine, quod inde ortũ habet, vbi primũ cõtracta est: erat tũ ibi magnificũ templũ Herculi dicatum; opus autem erat magno, ac longo labore quo euerteretur; sed vnum Gregorijos plus habuit virium, quàm plurimæ operarum manus: nam cum se effudisset in preces, repente ingenti fragore delubrum à summo corruit: Herculis ipsius simulacrum sui domicilij puluere tumulatum est; & qui cœlũ dictus est sustinere humeris, ędis suę ruinis oppressus est: fileri cœpit domitor ille monstrorum, postea quam Tiridates per Gregorium maiore solutus est monstro. confluxerat ad illud spectaculum penè omnis Armenia, ac tantus iniectus est stupor, vt ijsdẽ aquis certatim ablui ritè voluerint: initiatæ sunt intra hebdomodam vnam ferè quadringentæ hominum myriades. insigni ea res nobilitata est prodigio: ferunt enim dum Rex, ac satrapæ, cęteraque illa multitudo aquis expiaretur, Euphratem tantisper stetisse immoto fluento, vt recens initiatis esse quodammodo videretur vnda ipsa; res tam instabilis, magistra constantiæ. dedit de his Tiridates ipse literas ad Leontium Cæsareæ præsulem, in quibus fatetur sibi, licet Orietis Domino, tum primùm verum affulsisse lumen discussis tenebris; Gregorium verò præclarissimo titulo Solem appellat: quin etiam ferunt Gregorium hunc vna cum Tiridate ipso Rege ad Imperatorem magnum Constantinum veniisse, eumque rebus tam admirandis auditis summopere lætatum. certè Antistes hic maiore laude dignus, quod ex apro Regem Armenię refecerit, quàm Hercules, quod Erymanthium aprum confecerit.

PERSECVTIO SAPORIS PERSARVM REGIS

An Christi circiter 344. QVæ de Tiridate Armeniæ Rege ob contemptã Christianam Religionem, in pecudem verso, celebri sermone fama vulgauerat, Persidem in primis penetrarunt, quam gentem postea Gregorius magna ex parte instituit, & erudiuit: administrabat ea tempestate Persarum Regnum Sapores, cuius

Digitized by Google

cuius tam effrænata fuit audacia, vt aſcēſurus equum pro ſuppedaneo ſubijceret ſibi curuatos, & humi reptantes Romanos Imperatores, ac Cæſares: meruit quidem hoc ob ſcelera, & in noſtros homines ſæuitiam Valerianus, vt ab hoſte conculcaretur, qui Religionem ipſam ſubiecerat pedibus. illud Tiridatis exemplum magno poterat eſſe Sapori condimentum, ſed diuinę ſapientiæ ſuauitas ingrata fuit eius palato, quo ſe potius oſtendit inſulſum: quicquid excogitari poteſt acerbitatis effudit in noſtros: cum enim horum numerus in dies fieret auctior: cū vero Numini tēpla excitarētur, Deorum fana euerterentur, ſuperſtitio omnis aboleretur, non mediocrem ea res hierophantis, ac Magis, qui apud Perſas ſacra curabant, attulit plagam; exuſcitarunt porrò in eis aris flammam Iudæi, qui tum ibi degebant, accenſi videlicet inueterato illo odio, atque inuidia, & rebus noſtris ſemper infenſi: itaque Magi Saporem Regem adeunt, & Simeonem Seleucię, & Cteſiphontis, principum in Perſide vrbium antiſtitem, per calumniam deferunt, ac traducunt, quaſi Romanò Imperatori addictum, & hoſti Regni arcana prodentem: Rex fide illis habita, ſtatim exardeſcere in noſtros, diris eos modis exagitare, atque vexare; tributis onerare, præfectos ſæuiſſimos conſtituere, quibus premantur: Sacerdotes in primis, ac Præſules, iugulare, templa diruere, aras euertere, ſacra donaria publicare; tum Simeonem ipſum, perinde atque Perſarum inſtitutis infenſum, & Regno inſidiantem corripi iubet, ac ferreis compedibus vinctum ad ſe trahi; ſtetit ille onuſtus ferro coram Rege, qui auro fulgebat, hoc eſt Perſico apparatu, ſed Rege ipſo ſuperior, & auguſtior fuit: honorem illum, quem antea ipſi deferebat adorando more Perſarum, haud quaquam iam exhibuit: indignanti Sapori, ac ſciſcitanti, cur ita ſecum ageret? reſpondit, ſibi iam integrum non eſſe veteri more vti, quia de veritate, ac Religione certamen erat: Deum vnum in ea cauſa ſummum Imperatorem, ac Regem à ſe agnoſci; eius vnius numini ſe, maieſtatique deuotum: proinde ſi velit, ſe ipſi, vt antea, obſequi, deſinat Deum inſequi: immane quantum exarduit hìc Sapores: acerbè pronunciat, aut Solem Simeon veneretur (hic Planeta præcipuum apud Perſas fuit numen) aut pereat; interim in obſcuriſſimum carcerem detrudit; quò certè nihil à Sapore fieri potuit inſulſius; nam vt ad Solis cultum inuitares, amandauit

eum

Digitized by Google

eum procul à Sole: dum igitur in carcerem trahitur, Vaſthazani nutricio Regis occurrit, qui Simeone ipſo familiariſſimè vtebatur; ſed vt Regi placeret, iratumq; effugeret, Solem adorauerat, quamobrem cum auerſatus eſt Simeon: ille cauſam ſciſcitatus abalienati animi, vbi audijt infeſtum ſibi, q ſuperſtitioſè egiſſet: arſit dolore, abiecit purpuram, iacuit ſordidatus, ac reus: interrogatus ergo Vaſthazanes à Rege, quid tãdẽ aduerſi acciderit, vt in tanto luctu eſſet? illacrymans ille, indignum ſe eſſe dicit, qui ſub Sole viuat, qui vt viuere poſſet, Solẽ adorarat: quid multa? nutricius Regis, alijq; centũ coram Simeone trucidantur: præclariſſimi planè viri, & nunquam occaſuri cum Sole, quia eum proſequi diuino cultu noluerunt; porrò ex ijs vnum trepidantem, cum Puſices quidam aulicus, ac Regijs artificibus præfectus cohortaretur ad ſubeundam conſtanter necem, peregrino, ac diro genere ſupplicij eſt affectus; collo namque circa tendinem perfoſſo; lingua inde eius extracta, ſed linguis celebrari cœpit alienis: indignum quippè Puſici videbatur, cum, qui abiuratis Solis radijs, hebetatus, non erat, ſtricti mucronis fulgore perſtringi. hæc tum immaniter acta; nec dum finis cædis: anno poſt, peruigilio reuiuiſcentis Chriſti, toti Perſidi propoſitum eſt immane Saporis edictum: eo quotquot eſſent è noſtra diſciplina, de medio tolli iubebat; ſed tantum abeſt, vt noſtri exterriti ſint, vt innumerabilis penè multitudo ſponte ſe obtulerit neci deuota: ſexdecim millia capita numerata ſunt, in ea tumultuaria cæde, dum efferati carnifices in vnumquemque irruunt. Azades vnus è ſatrapis apud Regem maximè gratioſus dum ſe offert, interimitur: acerbè hoc tulit Sapores, ac tum huius cauſa, tũ infinita multitudine, quę ſe deuouerat, permotus, ne deeſſẽt aut domeſtici, quibus fideret, aut ſubditi, q̃bus imperaret, tẽperauit aliquãtulũ ferro, eoſq; tantùm è noſtris necari iuſſit, q̃ duces, ac primarij eſſent, hoc eſt ſacrorum aut operatores, aut p̃ſules. inter hæc Tarbula Simeonis ſoror delata eſt Regi quaſi venefica, quod vltrix interfecti à Sapore fratris magicis artibus coniugem alligaſſet: & ſanè iacebat tum Regina ægra, ac diro admodum affecta morbo: id nidelicet fidem fecit; itaque ipſam vnà cum ſorore virgine per ſummam impictatem in partes duas ſerra diſcindunt, Reginamque morbo affectam per medias illas quaſi victimas deducunt, vt abominandum

Digitized by Google

dum piaculum in ipsas transferretur: erat porrò Tarbula eximia forma præstans; eam cum Magorum quidam, qui astabat, deperiret, hortatur, vt ipsius cupiditati assentiatur; promittit se suis artibus effecturum, vt calumnia, & criminatio de veneficio aboleatur: sed restitit illa constanter: ita diuisa est ferro, vt incolumis maneret integritas; maluit videri venefica, quã venerea. Igitur accepto Saporis edicto, Magi, ac satrapæ Christianis infensi Perfidem totam incredibili celeritate percurrunt; quotquot è nostra disciplina sunt; morti addicunt; quasi venatici canes omnes latebras odorantur, inuestigant; multi se sponte prodũt, ne uideretur abiuraſſe, dum silent. cùm in alijs locis, tùm maximè in Adabenorum regione sæuitum est, quod ea pars Perfidis se tota iam superstitione abdicasset. sub idem tẽpus Acepsimas Præsul comprehenditur, & crudis loris cæditur, vt diuinos honores Soli tribuat: qui quidẽ nunquam fuit illustrior, quàm cum auersus à Sole videbat eum Planetam, hoc est erronem coli non posse, nisi ipse aberraret à vero; plus manauit ex eius vibicibus, quàm à Sole lucis. sed haud scio an quisquàm præclarior extiterit, quàm Milles præsul, vel constantia, vel prodigijs, enimverò & concisus acerrimè flagris, & distractis membris sæuissimè excruciatus, non solùm hoc æquo animo tulit, sed alacri, & læto: illud tamen ægrè ferebat, quod post multos exantlatos à se labores, tam præfracto ea gens esset ingenio, vt ne vnus quidem esset à Mille permotus; sed non claudicauit pœna: mox cum primarij eius vrbis in Regem deliquissent, exercitus cum trecentis elephantis eò immissus, à quibus omnia sunt vastata, atque protrita cum Ciuium strage miserrima: ita illorum sanguine sanctissimo Præsuli parentatum est. Iam Constantinus Imperator ad Saporem literas dederat, quibus testatam nostrorum innocentiam declarabat, instituta commendabat: sed veritatis lucem intueri requiuit hic, qui obcæcatus erat à Deo, quem colebat, Sole: quapropter non modò in suo Regno has edidit strages, sed exteros etiam insecutus est armis: Constantio quippe imperante Nisibis, quæ etiam Antiochia Mygdoniæ dicta est, vrbs celebrabatur, non minus Religione, quàm opibus florentissima, Iacobo præsertim sacrorum Antistite: hanc vrbem Sapores oppugnare aggreditur: tormenta per ambitum disponit, vallo in immanem altitudinem excitato,

&

Digitized by Google

& omni genere armorum machinarum comparato; fossa itē, & aggeribus ductis. vbi autem res omnes expertus nihil egit, Mygdonium fluuium, qui mediam intersecabat vrbem, longius à muro aggeribus ex vtraque parte præaltis, qui vndas inhibeant, constructis, arcem occupat; tum exaggeratum vndis, quasi tormentum quoddam cum impetu mœnibus immittit; quæ quidem mœnia cum irruptionem, ac vim vndarum sustinere non possent, cessere protinùs, & concidère: Persa igitur aditu patefacto spe potiundæ urbis erectus, postridie lutosis, vdisque locis exiccatis, ad muri, qui conciderat, partes cum copijs vniuersis accedit; sed statim obiectū oculis mirū prorsus, inauditūque prodigiū; mœnia enim integra, vt antea fuerant, vrbi circumducta videt: nempe Iacobus Præsul ea diuinitus statim restituerat: vnius manus dum in Cœlum erectæ tenduntur, ingentem illam molem prodigiosè extruxerant: ex illis ipsis ruderibus, & ruinis murorum muri ipsi redditi sunt: silentio pressit Græcia quod de Thebanis muris fabulata est, extructis testudinis sono, testudineo certe, ac lento opere, cum audijt Nisibis mœnia fabricata momento temporis, nempe sono precum. consternatus hoc spectaculo Sapores est, sed non minus altero: vidit enim in ipso muro quendam regio planè amictu, ac trabea ornatum, cum purpura, ac diademate gemmis explendescente: quem Imperatorem Romanum esse suspicatus, comminatus est mortem ei, qui ipsum abesse nunciauerat; cum tamen ille constanter affirmaret, verum esse quod dixerat, nempe Constantium Imperatorem tum Antiochiam inhabitare: intellexit videlicet Rex significationem tanti ostenti, ac Deum ipsum pro sanctissimo Præsule, ac ciuibus dimicare; at non modò non resipuit, vt debuit Sapores, sed tunc maximè visus est desipere; percitus enim ira, telum cōiecit in cœlum, irritum scilicet, & sine ictu; non quod Deum ferire se posse speraret; nisi forte Solem, quem colebat; sed vt insaniam, ac furorem quoquo modo expromeret: at verò Iacobus exoratus à suis, turrim ascendit, atque ex alta specula barbaros conspicatus, tela & ipse contorsit, nec tamen incassum, tela, inquam, execrationum, atque dirarum in impios; sed quæ tandem illa fuerunt? si molem spectes, minimarum virium; sin molestiam, maximarum; non aliud est ferro armatis copijs imprecatus, quàm exercitum cyniphum, atque culicum; qui certe

Digitized by Google

certè tot habuere tubas, quot ora obmurmurabant; vim, poteſtatemque numinis eo ſuſurro beſtiolæ quodammodo deprædicarunt: ſimili armorum genere debellati ſunt Perſæ, quo olim peruicaces Aegyptij: igitur vix à Iacobo fuſæ preces, cũ repẽtè illa cyniphum, & culicum examina ſe hoſtibus circumfundunt; elephantorum proboſcidas, equorum, ac cæterorum iumentorum aures, nareſque peruadunt, exagitant, extimulant; itaque cum morſus ferre nõ poſſent, fræna rumpere, ſeſſores deijcere, aciem diſturbare cœperunt: denique exercitu diſſipato, & in fugam verſo, non alia ſpolia Perſa retulit ex Niſibi, præter dedecus, & ignominiam. ſtetit poſtea ſemper ea vrbs incolumis, non modò quandiù Iacobus vixit, ſed quandiù habuit eius in vrna cineres; quibus à Iuliano perduelli poſtea extractis, ceſſit in prædam primùm Iouiniani, poſtea barbarorum. ita miro quodam modo faciebant eam ſacri cineres immortalem: ceterùm vt ſolutis obſidione ciuibus nihil fuit dulcius quàm libertas, ita nihil Sapori amarius, & acerbius quàm fuga de prælio.

PERSECVTIO ARIANORVM.

FRacto iam Iouis fulmine, & comminutis lapideis Dijs, pro quorum defenſione ſuperiores Cæſares ferrum noſtro ſanguine imbuerunt; ſubſecuta eſt ſub Conſtantino breuis ſanè, & quaſi ad recipiendum ſpiritum quies à bellis cum incremẽto gloriæ: tunc primùm vexata Religio abiecto ſqualore ſplendidam induit purpuram, vectigalemque terrarum Orbem ſibi fecit: ſed ne magnitudo animi, pietas, ac cætera quaſi arma rubiginem, ac ſitum diù feriata ſentirẽt, domeſtici hoſtes inſurgunt; poſt ethnicos hæretici, vt vtroque genere hoſtium quaſi cote Religio ſuam acueret virtutem: eruperant huiuſmodi peſtes ab initio; ſed neque tam latè graſſatæ ſunt, neque, cum infeciſſent animos, vulneratis item corporibus, infecerant cruore ferrum: Ariana peſtis tantum potuit, quæ præter prauæ doctrinæ contagionem, Cæſarum faſces, ac ſecures armauit in noſtros, & quod pernicioſius eſt, ſub nomine

An. Chriſti circiter 319. 341. 419

Digitized by Google

pietatis tempestas sæuit; ne scilicet parenti Deo fiat iniuria, si filio sit omnino par, & æqualis: tanta vnius hominis amentissimi vafritia fuit, per nouam quandam, atque impiam nomenclaturam: græcæ quippe vocis veteratorius artifex factus, fraude circumuenit terrarum Orbem, qui se summo Imperatori fœderifragum factum esse miratus est: hic ille *Arius*, qui vt Petrus Alexandrinus Antistes per speciem se vidisse testatus est, nostri Liberatoris tunicam, quam sæuissimi ipsi lictores illo moriente integrã reliquerunt, per summam impietatẽ discidit; ac parũ illi visũ est sæuire verbi veneno, nisi armatus potestate Cæsarũ sæuiret & ferro: sed iugulata est eius sẽtẽtia nõ semel à nostris; in Nicæno maximè Senatu acta Religionis causa; confirmata quoq; prodigijs; quippe Alexander vnus Præsulũ vitæ sanctimonia magis, q̃ doctrina munitus, cũ insultantem ex Arij disciplina Philosophum quendam, & multa impiè blaterantem aliter inhibere non posset, digito indixit ei silentium; repentè factus elinguis, vsum vocis amisit: mirati sũt omnes ex loquaci mutũ, ex Peripatetico Pythagoricum, vel inuitò. sed illud omnem admirationem superat, quod sãctissimi eius Senatus decreta etiam ab ijs, qui silentes dicuntur, hoc est à vita functis tã mirè probata sunt, vt nihil prædicauerit fama vocalius: cum enim priusquam eius acta conuentus essent absoluta, atque perfecta, sacrorum Antistites duo è vita decessissent, neque subscriptionẽ apponere potuissent suam; Patres ad eorum tumulum accesserunt, & tanquam ad viuentes, & audientes locuti, orarunt, vt, qui commilitones tãm strenuè, constanterque pugnarant, obligatam summo Imperatori fidem liberarent, atque vnà se quoque subscriberent, vt veritatis, ac diuinitatis splendor etiam è sepulcralibus vmbris existeret; tum obsignatum libellum deponunt ad tumulum, totamq; agunt pernigilio noctem: postridie ad locum eum redeunt: mirum dictu! signa quidem minimè violata inueniunt, at libello explicato subscriptiones illorum reliquas insertas vident recentes adhuc in hæc verba conceptas: Chrysanthus, & Musonius (hæc Præsulum fuere nomina) qui cum Patribus omnibus in sãctissimo Nicæno conuenta consensimus, quamuis euocati è corpore, manu tamẽ propria nos quoque dictis subscribimus.) ita & Chrysãthi hoc est aureis floris testimonio Religio probata est, omenque habuit ab arido ipso sepulchri

pulue-

Digitized by Google

puluere efflorescentis inter aduersa gloriæ; & elegãti illo Musonij scripto tumulus abijt in Musæum. non poterant hæc inficiari Religionis hostes, ardebant ira, lacerabantur inuidia. quid tum Arius? studuit tortuosi serpentis instar irrepere in animos hominum, ac blando morsu venenum infundere: cantionem quandam excogitauit, quam Thaliam inscripsit, quasi germinantem dicas, florentem, ac viridantem; nisi quod cũ Patrum decreto, & Constantini magni iussu conjecta est in ignem, viriditatem omnem amisit: multi crapulam interpretati sunt; nam apud Græcos ea vox huius etiam rei significationem habet, quod eam Arius cantionem corruptelarum illecebris plenam, quasi turpissimus ganeo è gurgustijs, ac lymphatus illo perfidiæ marcotico eructaret, atque alijs inhalaret: quamobrem Ariana hæc obsonia meritò, & commodè igni sunt tradita, vt decoqui possent. aut certè specioso illo Thaliæ, quæ vna Musarum fuit, nomine tegere voluit infames libidines, & inceptam scribendi licentiam; cum Musæ potiùs virgines fuisse dicantur, & illecebrosis infensæ Sirenibus. prauam igitur illam de diuinitate contracta sententiam Arius obscœno carmini inseruit; & vt animos irretiret, illigauit metris, & Satadicis rhytmis attemperauit; quo factum est, vt Arius Aegyptius Sotades vulgo diceretur: fuit autem Sotades iambographus poeta, qui Phyacas, siue Cinædos Ionica lingua, scripsit. at verò Arius non est veritus diuina tractare, quasi Theologus, eo stylo, quo Epicureus tractare dedignatus est prophana: Porrò Ariani carminis, vt totus ferè tractus fuit procax, & lubricus, ita principium tumidum, & iactatione plenum hoc erat: (Ex secundùm fidem, inquit, electis Dei, peritis Dei pueris, sanctis, rectigradis, qui sanctum Dei spiritum acceperant, ista didici. ego ex sapientiæ consortibus, ab hominibus Dei discipulis per omnia sapientibus horum per vestigia cum eadem doctrinę opinione inceßi. ego ille admodum inclytus multa passus propter meam de Deo existimationem: à Deo autem sapientiam condidici, & cognitionem hausi.) hęc ex Athanasio, qui confert hanc Arij Thaliam cum Herodiadis filia saltatrice, vtpote quę lasciuo, solutoque numerorum gressu, hinc inde tripudians, ludensque se conuerteret, vt animos eo lenocinio caperet. Constantinus autem ille magnus non modò Thaliam ipsam igni damnauit, sed in quemlibet, qui ip-

Digitized by Google

ſam apud ſe haberet, ſupplicio capitis animaduerti iuſſit. quin etiam in ijs literis, quas quaſi ad Arium datas publicè Alexandriæ recitari iuſſit, deteſtabilem hanc odam carpit, ipſumque Auctorem modò ſaltius mordet, & lepida diſſimulationis ſpecie acrius pungit; modò ipſa ſtyli acie ferit, & cruentat. libet aliquam certè earum litterarum partem exſcribere, vt appareat, quantum degenerarit à Conſtantino Conſtantius, vt eum hic complexus ſit, quem ille abominatus eſt; ſic igitur præloquitur Imperator. (*M*alus interpres, negotium antiqui hoſtis eſt eius effigies, & imago; nam quemadmodum illum callidi artifices ad eſcam fraudis effingunt decorum, & venuſtum, cũ re vera turpiſſimus ſit, ſic iſte audaciæ ſuæ virus propinat: cur igitur nos, Chriſte, cur nos quotidie impius hic latro ſaueciat? ſtat ex aduerſo violenta quædam audacia, rugit, ac frendet dentibus, deformis iam præ ignominia, & varijs percuſſa criminationum telis: modò linguam vibrat, modò miſerorum ſtudijs, quos decepit, elata fertur.) Poſt hæc dialogiſmus quidã inſtituitur inter Imperatorem ipſum, & Arium tanquam in quodam belli conflictu: ſic enim Arius: (Multitudinem, inquit, habemus;) reſpondet Imperator: (Ipſe igitur exiguus propiùs accedam, vt inſanorum bellorum ſpectator ſim: ego ipſe, inquam, propiùs accedam, qui hominem dementium bella ſedare conſueui.) Illudit videlicet procaci homini γοητικῶς. tũ Homericis ſalibus, nomine occaſione captata (Ἄρης enim græcè Mars eſt) Arium exagitat, vt furentem hominem, & nihilominus Veneri inhærentem, ut de Marte Poetæ fabulantur: ducebat enim ſecum Arius lupas, & ſcorta, quas tamen ipſe Virgines appellabat: recitat autem hunc Homeri uerſum ex Iliade.

Ἄρες, Ἄρες Βροτολοιγὲ μιαίφονε τειχεσι πλήτα,

Mars, Mars hominum pernicies inquinatè cæde, murorum oppugnator:) Conſtantinus igitur illudens, alludenſque Arij nomini: (Agedum, inquit, Mars Ari, clypeis nunc vtendum eſt; nè hoc, quęſumus, facias; cohibeat te Veneris certè cõgreſſus; atque vtinam ſicut armis egregiè inſtructus videris, ita erga Chriſtum pietate floreres.) Pergit deinde Imperator; recitat verba Arij, humiles ſpiritus ſimulantis; nihil enim illo verſutius: (En rurſus ſupplex venio, & armorum copia pugnare nolo.) tum Conſtantinus irridens, quod Mars ſimulet lenitatem,

ſub-

Digitized by Google

ſubdit. (Cur tandē agis ea, quę tuis moribus non conueniunt? at quali quiete, aut potius qua temeritate?) Poſt hæc Conſtantinus toto impetu orationis inſurgit (O audaciam, inquit, dignam, quæ fulminibus deponatur: audite enim, quæ nuper mihi ſignificauit, calamo venenum inſtillante ſcribens. ſic, inquit, credimus. tum neſcio quæ adiungēs accuratè, atque ad faſtum meditata, nihil mali reticuit, ſed vniuerſam amentiā exprompſit. ò inſignem calamitatem: ſic vetus hoſtis Arium nobis exhibuit ſcelerum officinā.) Mox vbi impiam Arij ſententiam carpſit, ac veram de Filij diuinitate protulit, alludens Imperator ad obſcœnum illud, & procax poema, quod Thaliā inſcripſerat (Depone, inquit, depone hāc ſceleris dementiam ò prędite vrbanis moribus, & ad inſipientium perfidiam mala decantans; ac nonnullis fortaſſe iucundum hoc videtur; eſt autem vſquequaque pernicioſum malum:) Tum addit Conſtantinus quiddam ſanè animaduerſione dignum: oſtendit enim monſtroſam hanc Arij perfidiam Africæ, quæ monſtrorum ferax eſt, in Sibyllinis libris multò ante prædictam (E vetuſtiſſimis ſcriptis, inquit, inſaniam Arij apertè demonſtrabo. ante tria millia circiter annorū ab Erythræa præſignificatam, quę ſic fata eſt. (Væ tibi, Libya, in maritimis poſita locis, tibi enim obueniet tempus, quo vnà cum Populis, ac ſobole tua graue certamē, & crudele, & perdifficile ſubire cogēris, ex quo fidei, pietatiſque iudicium in omnes demanabit; tu verò ad extremum vergis exitium: vos enim cœleſtiū florum receptaculum conuellere, morſuque dilacerare auſi eſtis, atque adeo ferreis dentibus teneraſtis. Quid igitur, homo vaterrime, affirmas omnem Libyæ Populum tibi ad ſalutem ſcilicet aſſentiri? ac ne iſta perneges, vetuſtiſſimos Erythręæ pugillares Alexandriam mitto, quò citius pereas: ò pernicies, ò lues.) Omitto reliqua, quibus eū Imperator perſtringit acriter; tantùm pauca ſubijciam, quibus graphicè effigiem, & habitum corporis ipſius Arij, vultumque deteſtabilē prorſus, teterrimumque deſcribit (Videte omnes, inquam, videte, vt lamentabiles prætendat voces viperæ morſu læſus: videte, vt venæ eius, vt occupata veneno membra excrucientur; vt corpus tabe diffluxerit, vt attenuatum, & ſqualore, ſordibusque obſitum; gemitu, pallore, horrore, infinitiſque malis conficiatur; vt deformis ſit illuuie capillus: videte ſeminecem, obtutu

iam

Digitized by Google

iam languido, vultu exangui, mœsto, tabido, cernite, vt in eum propter mali diuturnitatem confluxerint furor, insania, vanitas, eumque immanem, efferatumque reddiderint; ac ne sentit quidem quibus sit in malis.) Hæc habet in ijs literis Constantius, & sanè quæ de monstri huius fœditate scribit, conueniunt cũ ijs, quæ habet Epiphanius (Erat, inquit, Arius statura admodum longa, subtristi specie figuratus, veluti dolosus serpens, qui decipere versutia facilè alios posset: demissum pallium semper indutus, & stolam colloquij blandimento, ac lenocinio prorepebat in animos.) nẽpe viderat eum Epiphanius, cum adolescẽs in Aegypto esset. cæterũm tam turpi mõstro non nisi turpissima mors obtingere debuit, vt videlicet vitiorum omnium sentina in publica Vrbis sentina fœdissimè periret; fæx hominum inter corporis fæces; in quo illud fortasse quispiam mirari possit, quod homo non modò impius, sed immanis, qui Religionem parentem petiuit etiam ferro, egessit viscera, quæ non habuit; sed nimirum hunc exitum vitæ habere meruit is, qui Dei filium, quantum in se fuit, omni honore spoliauit, diuinitatẽ abstulit, de hereditario regni solio deiecit, rebus conditis cõditorẽ fecit æqualẽ. Iã ex præstanti illa Constantini, egregiaque virtute, qua Arium detestatur, apertè constat, quàm acri dignus vituperatione Constantius filius sit, quod Arianis fauerit: quanquam hac in re non modò parenti, sed fratri etiam Constanti dissimillimus fuit, qui & hoc genus hominum auersatus omnino est, & Athanasium ab ijs exagitatum & expulsum è sede, à Constantio primum fraterna prece repetijt, deinde etiam hostili terrore extorsit, cõminatus arma, & integras legiones, ni vnum illũ redderet. sed de Constantio Imperatore seorsum: hæc nunc indicasse satis est, eius igitur patrocinio, & beneuolentia fultum hoc genus hominum tantum hausit audaciæ, tam insolenter egit, tot, ac tantas tragœdias excitauit: vt sub Ario, hoc est sub Marte se militare ostenderet: & Ariani quidem, non vt ceteri ferè Religionis aduersarij, pugnarunt tantùm voce, sed etiam gladio; leuior visus est calamus, nisi & distringerent ferrum: Athanasium terra, marique ad necem spiculis scrutati sunt; latuit diu ille vt sapiens, in cisterna, excepturus videlicet diuinæ sapientiæ imbrem non nisi de cœlo: latuit quoque vt pius, in patris tumulo, quasi pietatis ignem, qui tempestati

Digitized by Google

ti erat obnoxius, seruaturus sub cinere paterno: penè bis genitus, semel è matris vtero editus in lucem, iterum ex obscuro patris tumulo redditus luci. nihil porrò Sol vidit indignius, quàm illam Arianorum incursionem in Athanasium factam, cum eum ex Alexandrina sede per summum dedecus, & impietatem deiecerunt; quanta tunc lapidatio facta? quæ in Virgines contumeliæ illatæ? quę ararum euersio? quæ templorum spoliatio? quãtum probrorum, præter sæuitiam, fuit? sed contineri diutius iusta Numinis iracundia non debuit: effudit se, ac repetijt pœnas; nam eum quidam temerè, atque audacter in ipsum Athanasij Præsulis thronum sessum se recepisse, atque inter sedendum formicarios rhoncos de naribus insonuisset, aggressus etiam per vim thronum conuellere, atque distrahere, repente ligni fragmentum excussum in eius ventrem resilijt; eoque mucrone ligni, quasi ferri penitus impacto ita perforata sunt viscera, vt effusa sint vnà cum vita; alius item Bacchantium more lymphatus, & iactans orgia, cũ frondes, ac thyrsos in Athanasium per ludibrium agitaret, statim obortis tenebris, ita oculis caligauit, vt de vrbe deiectum eum cæteri è templo extulerint. nec tamen Ariani, vt erant præfracto ingenio, tot, ac tantis prodigijs absterriti; sed furiarum instar circumcursare, in obuium quemque nostrorum irruere, atterere calcibus, concidere flagris, sauciare ferro. nihil Scythia, ac reliqua barbaries fecisset immanius: Eutychium hierodulum sceticis sæuissimè exulceratum, adhuc cruentum in eas latomias amandant, quæ paricidis destinatę erant, vbi cetero odore, atque lot olerando, labore conficiebantur breui. Hermiam quoque verberibus laceratum, atque concisum in carcerem detrudunt: eadem immanitate in reliquos è nostra disciplina grassantur; & quod omnẽ feritatem superat, etiam in mortuos sæuiunt; membra concerpunt, ac distrahunt; atque vt verbis Athanasij loquar, vincit immanitas rationem eloquendi omnem: quid enim tantum dixeris, vt rem ipsam dicendo assecutus videare? aut cuius primum mentionem facias, vt non inuenias primis secunda, secundis tertia, ac deinceps posteriora quæque efferatiora? adeo omnes eorum conatus, cæde, & impietate redundarunt; vt illa olim quantumuis immanis Maximiani procella præ hac mitior haberi possit. In hac porrò vexatione Religio-

nis

Digitized by Google

nis hostes Imperatoris auctoritate se magnificè iactabant; Constantium in ore habebant, eiusque terrorem, & minas denunciabant. prorsus acerba commemoratio est incommodorum, quæ per Syrianum, Heraclium, Georgium, ac cæteros impietatis vel duces, vel administros importata sunt; triginta & amplius sanctissimi Præsules extorres facti, & in transmarinas regiones abire iussi: ferunt ingressos mare reueritum esse, concitasse solito vehementiores fluctus, ne nauim excipere, in lictus reiectam obsistentibus ventis, & obluctantibus; adeo ipse Oceanus excitatæ in nostros procellæ opposuit suam. neque segnior fuit tellus in vlciscēdis iniurijs; nam cum Ariani omnia perturbarent, atque miscerent, Orbis terræ penè totus concussus est nutante natura; enimverò terræmotus horrendi per Macedoniam, Asiamque, & Pontum assiduis impulsibus oppida multa propè subruerunt, & montes; sed inter monumenta ruinarum Nicomediæ clades præcipua fuit: cum enim Ariani decem, & amplius conuentus opponerent subinde Nicæno; ac Nicomediæ quoque indictus esset. consilia disturbauit euentus; quippe inclinante Augusto mense, primo lucis exortu repentè concreti nubium globi nigrantium lætam paullò ante cœli speciem confuderunt, & amandato Solis splendore, neque contigua, neque apposita cernebantur, ita oculorum obtutu perstricto, inuolutus vastæ caliginis squalor insederat: deinde veluti numine ventos ab ipsis excitante cardinibus, ingentis procellæ vis incubuit, cuius impetu pulsorum auditus est montium gemitus, & elisi littoris fragor: consequuti sunt typhones, & præsteres, cum horrifico tremore telluris, quo Ciuitas, et suburbana euersa sunt funditus: ædes accliuitate collium pronæ aliæ super alias conciderunt, reclangentibus cunctis sonitu ruinarum immenso, & vlulatibus cuiusque quæritantis suos. post duas horas sudus, & liquidus aer futuras retexit strages; nonnulli enim super ruentium ruderū vi constipati, sub ipsis interiere ponderibus: quidam collo tenus aggeribus obruti, aut collisis capitibus, vel humeris præfectis, aut cruribus inter vitæ, mortisque confinia auxiliorum inopia necati; nonullos licet domorum inclinata vestigia conseruassent, angor, & inedia consumpsit ab omnibus desertos; ac ne quid superesset, aut ædium, aut incolarum, reliquias ruinarum ignis exussit, tam

imma-

Digitized by Google

immanis, ac pertinax, vt non ante quinquagesimam diem, cum omnia depastus esset, resederit: etenim prodigiosa incendij flamma è caminis, è balneis, ex officinis artificum, qui ad ignem operantur, repente coorta, & ruderibus decidentium culminum circumclusa, materiaque proxima, & sarmentis, vt fieri solet, ei admistis, tabulatisque resinam exsudantibus, & ad concipendum, propagandumque ignem commodis aucta, tanta alimenti copia, in partes omnes proserpens, & ad se ipsam reuertens, velut vnum ardentem rogum Vrbem totã effecit: præuidisse dicitur hanc calamitatem Arsacius vir sanctissimus, genere Persa, qui cum antea miles esset, & Imperatoris leones nutriuisset; & Licinio, qui feras immanitate vincebat, fortior, ac leonibus ipsis generosius restitisset, relicta tandem militia, in arce Nicomediæ intra murum secesserat, diuinarum rerum contemplationi intentus; quo in loco diuinitùs est admonitus, vti Vrbe excederet, quò vitaret imminentem cladem; ob quam auertruncandã cum irato numini frustrà vota fecisset, incolis rem denunciauit: sed & hæc pro ludibrio habita, & ipse fanaticus tum ad aream reuertitur; Deum orat, nè tantum exitiorum oculis sibi cernere liceat; neue sinat ipsum superuiuere funeratæ Vrbi. tandem omnia terræ motu quassante, ac funditus euertente, inter ingentes ruinas sola turris inconcussa stetit, & integra: ibi Arsacius inuentus est præcantis habitu mortis voto potitus: mitiores hic viuens habuit leones, quàm Arianos; nam illos condocefacere potuit, hos non item. multa etiam supra vim, & captum hominum fecerat: draconem in primis, siue alterius reptilium generis, veneno tumentem beluam viæ publicæ incubantem, & afflatu solo viatores necantem è latibulo extraxerat; & vt ipsam interimeret, capite semel, atque iterum terræ illiso, vi precum effecerat: ita cum Arij venena proserperent, ad malum illud indicandum terra quoque immania monstra, & venenatos angues proferebat; tamen hoc facilius fuit his, quàm illis obsistere. porrò ingentem illum terræmotum, quo Nicomedia maximè corruit, vbi moui conuentus agitabantur, Arianis vis incendis factum fuisse vel hoc indicauit, quod Cecropius ex ea face hominum, qui eius Vrbis pontificiam occupauerat sedem, inprimis oppressus est; mutauit natura, cum mutauit fides; & cum in hac mortales stare nollent, consistere ipsa non

potuit: ac certè, vt Nicæni Senatus sententijs, atque decretis starent, confirmauerat ea miris prodigijs Deus; etenim dimisso senatu, ac Patribus eum obsecrantibus, vti omnia feliciter, ipsereque succederent, in eo loco, q dicebatur μέσος μόμαλος, id est medius vmbilicus, ad Orientem repente puri, ac liquidi scaturierunt fontes circa medium absidis, vbi Patrum cœtus constiterat; vt intelligeret ceteri inde hauriendam diuinam sapientiam, ac veritatem; ex ijsque fontibus Religionis agrum irrigandum: siue aquæ illæ ideircò manarint, vt Arianorum, qui tunc maximè exardescebat, furor posset extingui. nec minus illud prodigiosè factum: dicuntur enim eius conuentus Patres, dum posteaquam vita functi, atque humati sunt, inuenti esse corporibus integris, & incorruptis: neque enim in cinerem abire debuerunt diuinitatis patroni; atque par erat, qui Dei filium æternum esse aduersus Arium acerrimè contenderant, etiam ipsos de æternitate quodammodo aliquid degustare: denique vel in tumulis integri, vegeti, ac spirantes visi sunt, tanquam in aciem iterum descendere parati, atque exilire de bustis ad pugnam; quando nec omen victoriæ desideratum est, quippe hæc & in vrbe victricè acta sunt, hoc est Nicæa: νίκη enim Græcis victoria est; & cœtus ille habitus est præsecto, ac duce Vincentio, qui Hierarchæ Romani nomine legatione functus est. nec illud vacare videtur omine, quod cum Romanorum triumphi omnes numerentur trecenti, ac viginti; totidem penè Patres in eo senatu conuenerunt; hoc est trecenti, & duo de viginti, quorum tamen multò præclariores triumphi de Ario, cæterisque hostibus parti nulla sunt ratione cum illis veteribus conferendi.

PERSECVTIO CONSTANTII IMPERATORIS ARIANI.

An Christi 350. Superioribus procellis, & multis, & magnis tandem superatis, secundum iam, & sine offensione cursum Religio retinebat; cum subitò in Constantium Imperatorem tanquam in durissimum scopulum incidit; sed concussa tantùm nauis est, non item collisa. Igitur ex tribus Constantini magni filijs, Con-

Digitized by Google

Constantino ad Aquileiam, Constante ad Helenam oppidum per insidias interemptis, Constantius rerum potitus est, vir bellica laude florens, & à nostris aliquando laudatus in multis; nam & aduersus falsorum Deorum cultum seuerè rescripsit, & aduersus præstigiatores, ac Magos legem sanxit; & cruenta gladiatorum spectacula sustulit, & nefaria vitia repressit: nisi quod hæc omnia inexpiabili labe fœdauit; & illud ipsum, quod in bellis erat adeptus, martiale decus, dum Martem sequitur, hoc est Arium, dedecorasset. enimuerò vbi noui erroris auctori, ceteriſque ipsius auditoribus, & assęclis ad Constantij familiaritatem patuit aditus, statim ei suadetur, vt quosdam in diuinitate gradus constituat, vnde deiiciat Deum. is igitur qui Patrem secutus, Deorum multitudinem auersabatur, in huic similem incurrit insaniam, in Deo Deos quærens, & tanquam per pseudothymum inducens. itaque prauis consilijs perditorum Imperatoris illusa maiestas armatur in nostros. atque ea quidem omnia, quæ supra ab Arianis impiè, & crudeliter gesta commemorauimus de proscriptionibus, exilijs, ac nece bonorum, non nisi Constantij Imperatoris, quem ad suam sententiã traxerant, auctoritate, ac nomine nitebantur; ipse verò de sede pios deiiciebat Antistites, alios ex Arij disciplina substituebat; Paulo in primis insulas dextraxit, Eusebio contulit, & Macedonio. immò verò ausus est Liberium Romanum hierarcham primò terrere minacibus litteris, deinde ad se accersere, ac Magistrum Orbis terræ etiam pecunia euertere conatus, vt praua doctrina populos inficeret; denique ex Vrbe pellit: ipse Arianorum Antistitum cœtum in aula cogit, aliumque hierarcham creat: Felicem verò hoc nomine secundum, qui ipsius sententiam execrationibus, diriſque deuouerat, fecit extorrem, ac demum Arianorum furori, teliſque commisit: quamobrem & propter impietatem, & propter sauitiam alter appellatus est Nero: sed quænam vis præstantem illam, quam initio prætulit, Constantij fidem labefactare potuit? nempe vnius Ariani hominis execrabilis fraus, & mira vafrities: fraudis ratio illa fuit: pugnabat Imperator aduersus Magnentium tyrannum: in ipso pugnæ procinctu intra ædẽ se recepit vnà cũ Valente Ariano Præsule, quicum familiarissimè versari solitus. erat Valens hic totus ad fraudem compositus, & veterator egregius,

gius, itaque per suos callidè disponit, vt quis prælij esset euẽtus, clam primus ipse fieret certior: captaturus videlicet Imperatoris gratiam, si prior ipse victoriæ nuncium detulisset; vel si quid contra audisset, capturus spatium fugæ. prorsus ita factum: trepidanti Constantio primus nunciat victos hostes; & cum ille indicem ad se intromitti iuberet, Valens vt fucum faceret sanctimoniæ, vnum Cœlitum sibi rem denunciasse respondet, ac subitò auolasse; nimia vsus est circa rem tantam credulitate Constantius, ac fassus est se Valentis meritis, non exercitus virtute vicisse; postquè illud frequens in eius ore fuit, probatam diuino calculo sententiam suam, cum sibi secundùm Arium sentienti tot, tantaque Deus ad votum præstitisset, ac maioribus in dies accessionibus munera cumularet, conatus est Lucifer Calaritanus libello in eam rem scripto corrigere Constantium, & offusam mentis caliginem veritatis luce discutere, sed nihil egit; immoverò ad eam insaniam Imperator deuenit, vt quasi immortalitatem quandam consecurus esset, nihil gratius haberet, quàm ab Arianis dici æternus: in rescriptis etiam, quę edidit, crebra æternitatis mentio facta: carpitur iure à nostris, vel in hoc Arianorum impietas, quod Cæsarem æternum appellarent, qui Dei fil ũ æternum esse negabant: sed nè sibi Constantius æternitatem frustra sponderet, admonebat ipsa tellus, quæ eo Imperante iępe contremuit, minitans ruinas imperij, ac suo motu Imperatori Religionis desertæ inconstantiam quodammodo exprobans: admonebant infelices exitus belli: quippe in Persico prælio cum secum Arianos duxisset Antistites, tam calamitosè pugnatum est, vt vix elapsus ipse fuga, & in rerum omnium inopia precario pane famem explere coactus sit. denique occubuit infelicissimè: præluserunt etiam terrores mortis: nocturnis enim imaginibus, ac deformibus spectris exagitatus dicitur; & nondum penitùs mersus in somnum, vmbram vidisse Constantini Parentis, quæ offerret infantem, eumque susceptum; & locatum in gremio, excussam proiecisse longius sphæram, siue globum, quem ipse dextera manu gestabat: id autem permutationem temporum indicare visum, & incostans Imperium Orbis terræ illo globo significatum à Constantio in aliud transmittendum. spectris quoque alijs territum dicunt; festinantem item Antiochiam versus, cum ad sub-

ur-

Digitized by Google

urbanum Hippocephalum nomine diuertisset, summo mane, incruentum cadauer hominis incidisse iacens auulso capite; tandem dum pergeret ad Taurum montem, correptus, & oppressus morbo substitit; tantaque vi febri exardescere cœpit, vt ne tangi quidem corpus eius posset, ita in modum foculi venis æstuantibus totus efferuescebat: demùm cum crebro colluctatam anhelitu animam expulit: atque hoc genus sortitus est mortis is, qui Arianorum audaciæ, & flammæ ab illis excitatæ sua auctoritate fomitem subministrarat. Non ignoro persuasum fuisse nonnullis è nostris, eum in morte resipuisse, ac palinodiam recantasse, ideoque non sine Cœlitum cantu elatum: sed inconstans viuentis animus fecit, vt neque morientis Constantij fama sibi constaret.

PERSECVTIO

IVLIANI APOSTATAE IMPERATORIS.

MAgnam consequutus esset Iulianus laudem, non modò ex bellica virtute, qua floruit, sed ex acerrima quoq; qua præstitit, mentis acie, nisi hac vulnerass. t impiè Religionem parentem, nec solùm mentis, sed etiam ferri acie: Is cum Athenas amandatus esset à Constantio, ne Imperij consilia agitaret, sed philosophicis potius, ac cæteris disciplinis animum adijceret, bonis artibus adiunxit malas, hoc est magicas, atque nefarias, vt imperaret æum adolescentem cõspicatus Gregorius is, qui Nazianzenæ vrbi præfuit infulatus, actum Athenis erat, statim ex habitu ipso dira præcinuit: suspecta quippe illi fuit inconstantia morum, & quædam mentis amotio: nihil boni ominari visa sunt, ceruix minimè stata, humeri subsultantes, & ad æquilibrium subinde agitati; oculi insolentes, ac vagi, furioso que obtutu; pedes instabiles, ac titubantes; nares contumeliam, & contemptum spirantes; vultus lineamenta inuerecunda, & ad ludibrium facta; risus petulantes, & effrænati motus; incompositi nutus, & renutus temerarij; sermo hærēs, spirituque concisus; percuntationes importunæ, atque præcipites, responsiones nihilo his meliores, aliæ in alias insultantes, neque graues, neque constantes, neque

Ab Christi circiter 362.

que ordine progredientes; quibus significationibus Gregorius commotus, atque perculsus non inani coniectura exclamasse dicitur: proh quantum mali Roma parturit; præsatus tamen est, ac sibi, vt falsus vates haberetur, imprecatus; sed verum fuisse ostendit euentus: enimverò tale, vt eiusdem Gregorij verbis vtar, in terris extitit monstrum, quale nullis antea sęculis, etiamsi alioqui eluuiones multę, exustionesque terrarum, ebullientesque quassationes, atque hiatus, ac multi insuper immanissimi homines, belluæque prodigiosæ, quas nouo more Natura edidit, fuisse narrentur: sed hæc Gregorij coniectura de Iuliano plus habuit ponderis confirmata prodigio: cum enim aliquando cum Gallo fratre conuenisset, vt proprijs sumptibus ingens delubrum magno Mamanti martyri exædificarent, dispertito inter se opere, ferunt partem ædificij à Gallo susceptam, qui, si minus lenitate in homines, certè in Deum pietate præstabat, pulchrè progressam esse; at verò eam, quam Iulianus aggrediebatur, quà cotruisse, quà ex ipsis fundamentis è terra euulsam esse, quà non potuisse ad solum coagmentari, sed extemplò veluti vi quadam ex aduerso vrgente, & infra trudente inde repulsam, ac reiectam fuisse; nimirum auersati sunt Cœlites eius vota, qui caput suũ Hecatæis deuouerat sacris: ecqua verò ratione cœlum exciperet, quod tellus euomeret? sacrilega visa sunt donaria perduellis, atque periuri: ad fastigium opus excitari, aut certè consistere minimè potuit, quod extrueret is, qui destrueret fidem: pia munera Superi respuerunt, ne quid impio deberetur viderentur: veriti quodammodo sunt, ne Iulianus quasi præcaturus ibi sustolleret manus, quas inficeret vel cædè nostrorũ, vel sanguine victimarũ: refugerunt audire vota ex illo ore deprompta, quod magicis susurris, & nefarijs excantationibus immurmurare solitum erat. visa res ea est omnibus prodigio similis; atque iniecta suspicio, eum non syncero animo erga Religionem esse affectum; ac certè iam tum frequenti vatum congressu, atque colloquio delectabatur: adhærebant ei præstigiatores, ac magicæ disciplinæ periti, qui & veræ Religionis odium in adolescentis animo inseuerunt, & in spem adipiscendi per eas artes imperij excitarunt. Iubo doratus est hæc Constantius, ac parum abfuit, quin malum, antequam progerminaret, reprimeret ferro; itaque vt hanc ille suspicionem

extin-

Digitized by Google

extingueret, tonso capite se finxit ascetam; immò vnus è hierodulis fieri voluit, & anagnostes templi: vxori quoque suæ necem ab eo deprecanti cessit Constantius, denique adolescenti ipsi crimen à se amolienti fidem habuit; quinetiã paulò post sorore desponsa Iulianum Cæsarem creat, & cum potestate, atque exercitu aduersus barbaros, qui Galliam depopulari cęperant, mittit; ibi re benè, ac præclarè gesta, Imperator acclamatur à militibus: eo successu rerum elatus ad Constantium reditum parat, tanquam de summi honoris ambitu se purgaturus, re autem vera eum de statu imperij deiecturus. cum autem Thraciam versus procederet, vbi in eas regiones peruenit, mirum occurrit prodigium; cum enim iam Vergiliæ occiderent post vindemiam, iterum repentè vites gemmis, et uuis recentibus germinarunt; ac præter hoc liquidus ex aere ros in Iulianum ipsum, & comites ita diffusus est, vt in sagis cuiusque appareret ex guttis efformata species crucis: & alij quidē aliter hæc acceperunt: Sapientū verò nōnulli per vites alieno tempore in acerbas primum vuas erumpentes, intempestiuum, ac minimè diuturnum eius imperium; per cruces autē Religionē, quà omnes breui cōsignarentur, interpretati sunt; quanquam à coniectura fortasse non aberrasset, si quis portendi dixisset acerbitatem illam temporum ipso Imperante, in maximam tandem suauitatem nostris cessuram; & sanguinem, quem quasi sub prelo vuam expressurus erat, nectare, ac mero quolibet gratiorē fore; nisi fortè significatio ea fuit ipsius Iuliani, furore quasi mareotico ebrij, atq; lymphati. quod verò aer roris guttas efformaret in crucem, quidni potuit indicare, quæ ipse in nostros meditaretur tetra, atque horrenda, habenda, pro rore, qui non nisi sereno cœlo liquitur, qui conchis illapsus concrescit in margaritas, qui herbis infusus, ac floribus efficit, vt virescant, ac vigeant; cuiusmodi quoque ros ille fuit, qui tres adolescentes in Babylonica flamma suauissimè conspersit. Interea dum ad Constantium Iulianus tendit, ille è viuis excedit; itaque solus potitur imperio, Gallo fratre Constantij iussu ob eius affectati suspicionem interempto. statim homo nefarius malum parturijt, quod mente conceperat: apertè Religionem abiurat; & quod omnium indignissimum est, sacrificijs quibusdam execrandis, & carminibus detestandis, nomen, quod Christo dederat,

delere

Digitized by Google

delere conâtur; victimis enim cæsis, & nescio quibus verbis immurmurans, totum corpus magico cruore perfundit, quem videlicet lustralibus opponit aquis: ita purpuratus Imperator nouo muricis genere abominatum Inferis deuouet caput; ac se ipsum exauctoratum à nostris initiationibus excludit. tum verò clausa Deorum templa iubet aperiri, atque adiris instaurat eorum aras, iacentia simulacra erigit; antiquos Græcorum ritus, ac ceremonias reuocat; fanorum præfectis ædituos, & canephoros reddit, atque confirmat: superstitiosum Nili cultum è fano ablatum Serapidi restituit. Imperatoris igitur mente perspecta, & abiuratæ Religionis insania, vt incredibilis dolor inustus est bonis, ita summa voluptate affecti improbi; accurrunt statim, & conueniunt in regiã præstigiatores, augures, aruspices, coniectores, menagystæ, ideſt menstrui viatores, sui præcones; denique omnifariæ imposturæ artifices vndique ab vniuerso terrarum orbe confluunt: coniungit se Iulianus in primis cum Aedesio insigni præstigiatore, ac totius ethnicæ superstitionis Antistite; cum illis quoque non imparibus, Prisco, Eusebio, Chrysantio, Sardiano; sed coniunctissimus fuit Maximo, qui philosophico pallio scelera tegebat infanda: is quàm solers artifex esset in præstigijs edendis, satis apertè ostendit eo, quod Sardianus ipsius auditor narrat: cum enim ad ædem triformis Hecates, hoc est ad officinam magicarum artium conuenissent salutaturi Deam, Maximus attento eos animo, ac præsenti ad rerum admirabilium spectaculum, quod daturus erat, adesse iussit; tum emundata thuris mica, cum nescio quid apud se immurmurasset, statim miro modo Deæ simulacrum visum est in risum effusissimè solui; iamque perturbatis omnibus ob inusitatum spectrum, iussit minimè commoueri, maiora spectaturos: gestabat Hecate extinctam in manu facem; accessit Maximus, insusurrauit verba magica, repentè accensa fax est: ex quo illud coniectare licet, quàm vana, ac digna nõ execratione modò, sed ludibrio sit ea ars, quam exanimo ipsum Hecates signum irrisit; ac præterea quàm incendiaria vox præstigiatoris, qui ore flammeo furialem illam tædam accendit. atqui hunc Maximum Iulianus secutus est consiliorum ducem, hunc sponsorem imperij habuit, cum adipiscendi, tum conseruandi; tantique fecit, vt cum aliquando

aduer-

Digitized by Google

aduentare audijsset, oblitus se esse Augustum, ex lecto è regia, occurrerit, amplexatus, osculatusque sit, exitij videlicet auctorem sui: porrò ad eum scribens, Mercurij loco apud se esse dicebat, nec posse fine ipso vita frui, cum igitur nefariæ huius artis studio se totum addixisset, in eoque spem omnem collocasset Imperij, significatum est ipsi diuinitùs, quàm illud esset inane, nullarumque virium, immò execrandũ, & impium: nam cum semel à præstigiatore deductus esset in fanum Deorum, intraque adyta clausus; cumque ille cœpisset ex Acheronte ciere *Manes*, & euocare satellites Ditis, repente adstitit horribilis turba laruarum, tam tetro vultu, ac specie tam immani, vt exhorresceret Iulianus: quamobrem vt erat à pueritia edoctus, veteri potius consuetudine, quàm noua voluntate, nostro ritu, vt fit in summis præsertim periculis, frontem cruce signauit; confestim spectra omnia ex oculis euanuerunt; tum præstigiator, vt erat vafer ingenio, Iulianum monet, affirmatque, non illa Numina metu deterrita injisse fugam, sed detestata ferale signum, & exosa piaculum. Illud quoque commemorare operę pretium est, quod eidem Iuliano in hoc genere iterum accidit mirum, & singulare: cum enim aliquando nefarijs istiusmodi sacris adesset; fortè aderat inter eius aulicos adolescens è nostra disciplina occultè initiatus, & aquis ritè lustratus; tũ Flamẽ, qui Zoroastris artibus instructus operabatur, exclamat subitò, Iulianum intuens, se maiore quodam Numine perstrictum impediri, quò minus sacra faciat: cæsarum pecudum sanguine litari non posse; accersitas Vmbras ex Erebo longè dispergi, Persephonen tetrità retrò vertisse vestigia, ac tædam, quam gestabat, extinctam; nihil se iam agere, quantumuis arcanis instet susurris, nullas habere vires Thessala carmina; turbatos Manes nequicquã euocari; thus in ignem conjectum marcescere, nec in vaporem surgere, prunas ipsas emortuas penè rigescere, sacrificantis dexteram obtorpuisse, inuersaque patera balsama defluxisse; sibi quoque infulato è vertice excidisse coronam; itaque magnopere se vereri, ne quis eò irrepserit ex Imperatoris comitatu Christianus, qua gente nihil Manibus sit infensius: hinc fieri, vt puluinaria Deorum commoueantur, ac fanum quatiatur, & nutet: his dictis exanguis collapsus est Flamen, tanquam fulmine afflatus è cœlo; Iulianus ipse expalluit, obstupuit, hæsit attonitus cir-

Digitized by Google

circumspicit deinde adstantes, ficubi quis è Christianorum gente adsit: hic adolescens sponte se prodit; incredibili constantia fatetur, se veri Numinis ferre signaculum. tum adeò inusitato spectaculo commotus è fano euolat, aulam deserit, militarem balteum proijcit, inugit se nostris: at verò Iulianus nihilo minus vaticinationibus duci, scitari responsa, oraculorum ambagibus inuolui, extispicia sequi, oscinum, & augiorum, & ominum fidem, si reperiri vlla posset, curiosè perquirere: ac ne quid intentatum relinqueret, aggressus est etiam venas fatidicas Castalij fontis recludere, quem obstruxisse dicebatur Hadrianus Cæsar mole saxorum ingenti, veritus, nè, vt ipse præcinentibus quodammodo aquis capessendam rempublicam comperit, alij item similia docerentur; ac statim circum humata corpora statuit exinde transferri eo ritu, quo Athenienses insulam purgauerant Delon. Adhæc cum Iulianus Hierapolim peruenisset, iniecta est ei cura de Api boue inueniendo, qui adductus in thalamum signa rerum futurarum demonstrare dicebatur: atqui ex ipsa corniculatæ Lunæ specie, quàm Apis in dextero latere habebat expressam, conijcere potuisset, quàm esset illud vaticinandi genus inconstans. Iam vt eorum, quæ moliebatur, partim euentus prænosceret, partim felicem à Dijs impetraret cursum, in hoc penè totus erat, vt hostiarum sanguine plurimo aras perfunderet. tauros aliquando centenos, & innumerabiles varij pecoris greges, ouesque candidas, terra quæsitas & mari, mactabat; quo id assecutus est, vt milites victimarum distentiore sagina pasti, potusque auiditate corrupti, humeris impositi transeuntium per plateas ex publicis symposijs ad tentoria deportarentur; tantas verò animantium in sacrificijs edidit strages, vt existimaretur, si reuersus esset victor à Parthis, boues iam defuturos: scilicet Marci illius similis Cæsaris, ad quem ob infinitum victimarum numerum, quas cædebat, falsè quidam finxerunt epistolam à bobus scriptam, vel potius exaratam his verbis:

οἱ λευκοὶ βόες Μάρκῳ τῷ καίσαρι χαίρειν· σὺ νικήσας ἀπολώμεθα.

Boues albi Marco Cæsari salutem: si tu viceris, nos perimus:

Porrò dum Iulianus in hostijs immolandis, in extispicijs, & aruspicina versatur, rem ei prodigiosam oblatam Gregorius narrat; siquidem aliquando superstitiosius operanti, atque exta curiosius inspicienti, in victimæ fibris, ac iecinore crux coronata

Digitized by Google

ronata se obtulit; ea res cum omnes, qui aderant, in primis verò Iulianum ipsum horrore, summaque sollicitudine affeciſſet, vt crucis potentiam simul, & gloriam persentiſcerent, Flamen, vt veteratorio erat ingenio, atque versuto, bono animo esse iubet, eam speciem non esse nisi Christianis ominosam; nec coronam illam, sed circulum tantùm esse, qui eos obsessos circumscriptos, atque concluſos fore portenderet: sed euentus ostendit interpretationis fraudem; quippe & crucis imperium est declaratum, & Iulianus potius cum exercitu obsessus, & quasi circulo concluſus à Persis miserè perijt. Interea initiari voluit Eleusiniorum sacris mysticis, vt vocabant; & inter Eumolpidas numerari: Cereris ea sacra erant, & à mulierculis maximè celebrabantur; licebat in ijs sese mutuò non modò verbis proscindere, sed verberibus; hoc prætextu sacrorum non puduit Romanum Imperatorem incedere non semel, meretriculis, lenonibus, exoletis, & vniuerso illo infami meritoriorum adolescentium grege stipatum, quo apud Ethnicos ipsos ludibrio fuit. sed quid mirum Ceteris mystagogum fuisse, qui eò progressus est, vel impietatis, vel audaciæ, atque dementiæ, vt Pontifex Maximus inaugurari voluerit, vt cæteris hierophantis præesset, ac liberius omni se superstitione contaminaret: operæ pretium verò est ritum ipsum, ac modum describere, quo se ille Pontificem maximum initiarit, quò detestabilior appareat perfidi desertoris insania: ritus autem hic erat: Defossa sub terra scrobe altius, demergebatur infulatus Pontifex, Gabino cinctu suffultus. supernè contexta erant, & compacta trabibus pulpita rimosa compagibus: compaginato iam ponte (nempe à faciendo ponte dictus est Pontifex) terebrabantur ligna, ac perforabantur, vt minutis quibusdam dehiscerent, ac paterent hiatibus; tum adducebatur taurus cum infulis, & corollis floreis, cornibus item auratis, & fronte bracteata; iugulabatur ritè seceſpita, pectus quoque transuerberabatur ferro, vt ex amplo vulnere profusior exundaret cruor; eum pons excipiebat, ac per frequentes rimas emittebat: Pontifex infernè positus intra scrobem depluenti verticem submittebat; gaudebat, eo cruore genas oblinere, oculos colluere, aures, tempora; immò verò calentem hauriebat ore, lambebat lingua: vbi verò totus se oblimauerat, horribili ea specie cruentatus, ac

Digitized by Google

sordidus procedebat in publicum, ostentabat amictum, barbam, totumque corpus infectum; ita inauguratum omnes adorabant; adeò Iulianus vilem putauit purpuram, nisi brutorum, & pecudum cruore rubesceret; neque verò huiusmodi ille ritus prætermississe dicendus est, cum initiatus est Pontifex, siquidem viliores, & magis ab Augusti dignitate abhorrentes executus est; hinc sufflationes illæ, ac resufflationes, quas obijcit ipsi Gregorius: cum nequaquam sibi probro, ac dedecori duxerit Imperator, Camillorum, ac poparum more inflare buccas, vt apud Deorum aras ignem accenderet, ac thus adoleret, quò sæpe risum etiam spectantibus mouit. creatus igitur Pontifex maximus statim minores Pontifices creare aggreditur; eos in diuersas Prouincias mittit quasi pietatis propagatores; ac primùm omnium ex illis vnum in Græciam amandat, addit regia dona cum comitatu pro tuendis Deorum fanis, ac sacris: in Lydia quoque primarium constituit Pontificem Chrysantium Philosophum magicis artibus eruditum; qui, ne scelerum fœditas appareret, illo aurei floris nomine falsò, & iactanter erat ornatus. ipse superstitionis principatum adeptus huic amplificandæ non minus, quàm imperio studet: Dij in primis Aegyptij ab ipso culti. in nummis fingi voluit cum Isidc diademata, quæ infantem pectori admoueret, quasi eam magnæ Deæ Matri Virgini opponeret: appellabatur verò Isis τιθήνη, ideſt nutrix, itemque κουροτρόφος, ideſt susceptrix, vt ait Plato, quod humanum genus fouere, atque alere putaretur; quippe pro Isidc terram intelligebant, nonnunquam Lunam in cornua luce curuata: duplicem item, ac geminam coluit Isidem, vt se Aegyptijs conformaret; vtramque in nummis expressit; vtraque horrenda specie aspidum ferto coronata gestabat capita, alas verò vulturis, nouaculã dextera gestabat, quod eius hierophantæ abrasis corporis pilis, & apellæ ipsi ministrarent: neque vlla imago aptius Iulianum ipsum repræsentare potuit, qui & serpentinum virus cum impietatis, tum acerbitatis euomeret; & quasi vulturius in nostrorum præda, & sanguine grassaretur: quanquam nouaculæ, hoc est ferri vsus is fuit, vt Religionem non tàm læserit, quàm expolierit. præter Isidem coluit Serapidem, cui tantum detulit, vt ipsi vni acceptum referret imperium, vt in epistola ipse quadam scribit; quamobrem in nummis, vel vnà cum

Sera-

Digitized by Google

Serapide Iulianus effictus cernitur, vel pro Iuliano Serapis habuit autem eiusmodi nummus à tergo Anubim canino capite: ita videlicet vt ab homine monstrosæ perfidiæ coli viderentur

Omnigenumque Deum monstra, & latrator Anubis.

Ab Aegypto hæc repetijt, vt impietatem ab ipso fonte superstitionis hauriret: eapropter Antiocheni eum sacrificulum, ac victimarium, non Imperatorem vocabant. alii pro Iuliano Idolianum, alii Pisæum, nonnulli Adonæum, multi Tauricremum: Idolianum quidem ab impenso simulacrorum cultu; Pisæum à Ioue Pisæo, qui colebatur in Elide; Adonæum autem ob Adonidis festa, quæ ipsæ cum mulierculis, siue præficis, lugubri, vt mos erat, vbulatu celebrauit; denique Tauricremum ob multitudinem innumerabilem taurorum, quos immolare solebat: hinc illa tauri effigies in aliquot eius nummis, qui apposita ara cornibus insistat, atque impetat globum ante se constitutum; quod Antiocheni ita falsè, ac verè sunt interpretati, vt dicerent, per eius impia taurorum sacrificia Mundum opprimi, atque destrui. Sed quàm studiosè superstitioni esset addictus, ipsemet Iulianus in libello, quem Misopogonem inscripsit, ex persona Antiochenorum insultantium, & illudentium docet his verbis: (Sacrificauit semel Cæsar in templo Iouis, deinde Fortunæ, deinceps tendit ad Cereris; neque enim quoties Daphnes fanum adierit, memoria teneo: veniunt Syrorum Kalendæ, Cæsar rursum ad Iouis Philij: veniat publicum festum: Cæsar continuò ad Fortunæ delubrum: intermisso verò die nefasto iterum in æde Iouis Philij vota concipit more maiorum; ecquis ferat Cæsarem tam crebrò ad fana ventitantem?) hæc illi: qua ex oratione colligitur, quàm superstitiosus fuerit cultor in primis Iouis, Apollinis, Fortunæ, Cereris. Casium item montem aliquando adijt nemorosum, atque sublimem, quem nõnulli Sinai putãt, vt eum ipsum, locũ in quo sunt edita diuina iura, violaret. venit & Pessinuntem Phrygiæ ciuitatem, memoria Matris Deũ, quæ Cybele vocabatur, apud ethnicos celebrem: huic dum Iulianus stipatus Corybantium turba, concrepantibus sistris, ac cymbalis sacra facit, execrati facinus adolescentes in primis duo, simulacrum Magnæ Matris tam parui fecerunt, vt & maledictis, & probris incesserent; & ex iis alter incredibili animi

animi robore, spectante Augusto, impactis calcibus Deæ aram euerterit; ac propterea cum in iudicium quæsitus, quasi capitis reus esset adductus, vti victor ingressus est, purpuratumque Cæsarem, eiusque minas inanes, ac furias effuso risu prosequutus est; maiore demum cum libertate, ac fiducia egressus. alter verò cum vngulis ferreis toti corpori altissimè impactis laceratus esset, vulneribusque concisus, ac penè confectus, non modò suppliciis non est fractus, aut grauiter, & acerbè tulit, sed vbi particulas quasdam sui corporis à vulnere adhuc intactas, & integras animaduertit, carnificem obiurgarit, tanquam inuidũ ipsius gloriæ, quod totum corpus decorare, atque exculpere plagis nollet; sed aliquid incruentum adhùc, ac proinde (vt putabat) profanum relinqueret: simul etiam tibiã ostendebat, veluti solam vngularum, ac vulnerum expertem; quamobrem carnificem hortabatur, ne & huic quidem parceret; ne qua pars ornamento vacaret: ita obstupefactis omnibus spectaculo inauditæ constantiæ adolescens illusit Magnæ Matri minimi habitæ, cum toto grege natorum. Nam quod in alia Phrygiæ ciuitate, quæ Meris dicebatur, gestum est, communem cum Laurentio laudem habet: siquidem cum Deorum ædem quandam nostri, ne impiò vsui esset, penè stabulum reddidissent; posteaquam ab Almachio, quem Iulianus præfectum crearat, hoc est administrum impietatis, repurgatum viderũt, iusta inflammati ira quidam è nostris, Mardonius in primis, ac Theodulus, clàm noctu irruerũt; simulacrum contriuerunt, eiusque puluere delubri pauimentum fœdarunt. iussi igitur, aut facimus retractare adhibito cultu, placatisque Dijs, aut vltima perpeti; cum ludibrio haberentur minæ, post acerbissimas alias pœnas, insigne fortitudini imposuere fastigium: dum enim in craticula subiecto igne torrebantur, ad Almachium conuersi, hortati sunt, vti semiassos artus in latera verti iuberet, quò epulum iucundius, ac sapidius fieret ad pastũ: ita irrisus immanissimus helluo est. At verò Imperator ipse Iulianus non vno fraudis genere se munit; modò nostros à Religione deducere promissis, & spe honorum; quin etiam exules sacrorum Antistites reuocare, sed eo consilio, vt sententijs dissidentes inter se committeret; modò minas intentare, & vrbes, quæ Deos patrios recipere nollent, à se abalienare; Cæsaream Cappadocum Vrbem magnam, & locupletem è

Ciui-

Digitized by Google

ciuitatum albo expungit, & Cæsaris nomen ad probrum; & contumeliam tollit: summo in hanc potissimùm vrbem odio exarsit, quòd vetusta Deorum fana, & aras, & simulacra euertisset, Iouis in primis πολιούχου, hoc est tutelaris, & Apollinis πατρώου, hoc est patrij: vbi verò eius vrbis ciues etiam Fortunæ fanum sunt demoliti, statuit eos spoliare fortunis: trecentas auri libras exigit; sacris initiatos ex aris, ac templis euocat, sagatos militare cogit; iure quoque iurando interposito minatur, nisi quàm primùm impensis proprijs Deorum simulacra, atque delubra reficiant, quicquid infortunij posset, Ciuitati se illaturum, & capita ipsa resecturum ferro: ac Iulianus quidem minas eiusmodi ad rem contulisset, nisi præliantem Fortuna, quam armata dextera tuebatur, sinistra vsum mors occupasset: interim abstinuit ferro, non ex misericordia, sed ex inuidia, quod vidisset, Religionem à Diocletiano, ac cæteris impijs tyrannis per omne suppliciorum genus exagitatam, cepisse vires, ac robur, inter procellas efflotuisse, eiusque sementem irrigatam nostrorum sanguine progerminasse felicius, atque creuisse; eos item, qui ceciderant, religiosè, ac ritè ad immortalitatē cōsecratos & honore Cœlestibus debito coli: videbat scilicet, & inuidebat: ac propterea primùm eloquentia, qua præstabat, contendit, muneribus etiā ac promissis; deinde minis egit; proscriptionibus, atque exilijs contentus fuit; in primis verò hierodulos, ac hierarchas ex Vrbibus expulit, ratus facilè, etiam sine magna tempestate, exarmatam Nauim perituram, si non modò remigio orbatur, sed rectore ipso è gubernaculis excusso: egerit porrò licet ipse nō ferro, præfectorū tamen, ac populorum sæuitiæ nostros tradidit, vt Deorum suorum contumelias vlciscerentur impune, hinc illæ tam immanes, & crebræ nostrorum strages, in primis Eusebij, Nestabi, & Zenonis fratrum, quos Gazeorum populus de fanorum euersione, & græcæ superstitionis abolitione accusatos cum flagris acerbissimè concidissent, carcere incluserunt; postea cum in theatro conspiratione quadam alius alium concitasset, furibundi in carcerem irruerunt, & inde productos crudelissimè necarunt, præcipites, ac supinos trahentes, atque ad saxa illidentes; alij eos fustibus, alij lapidibus, alii, quæ sors obtulit, telis appetebant; tum mulieres ipsæ à lanificio excurrere, radijs, ac fusis punctim eos conuulnera-

re,

Digitized by Google

re,sed acuebant potius ad pietatem : nonnulli item è foco lebetes,& ollas bullienti aqua feruentes à chytrapodibus raptas nudis eorum corporibus diffundebant; sed nihil erat tantum mali,quod illi non virtute concoquerent : quidam verubus,& subulis illos perfodiebant;sed & hi incitamenta, & stimulos suffecere currentibus: demum quod nullus vnquam fecit in Scythia Tyrannus,cum eos immaniter concidissent,capita,& ossa comminuissent,hæc in sordido loco iumentorum ossibus,quæ ibi disiecta iacebant,miscuerunt,ne dignosci possent,& in honore haberi:sed diuinitus cognita sunt, atque discreta , tum honorifice in templo recondita. Heliopoli quoque ad Libanum in Phœnicia sita, quæ vrbs à Sole nomen accepit,clara virtus nostrorum fuit: Heliopolitæ enim cum in maximis errorum tenebris versarentur , tam sæuam Iuliano imperante excitarunt in nos procellam,vt dici sine horrore non possit:inauditum est,& omnem superat immanitate barbariam, quod patratunt facinus:sacras Virgines è parthenone abreptas posteaquam in foro per summum dedecus nudarant,cum flagris, ac ferro totas discidissent, in superficie vulnerum,ac rimis laceri corporis,hordeum, glandes,ac similia, quibus libenter sues vesci solent,apposuerunt: tum sues ipsos ad eam escam inuitarunt, ac prouocarunt; itaque impetu irruentes , cum secernere alimentum facilè non possent,simul Virginum viscera sunt aggressi,& fame adacti spirantia ipsa membra viuentium sunt depasti , inuento prorsus atroci, eodemque probroso , cum fœdissimum animal adhiberetur ad purissimarum necem Virginum; atque os illud oblitum cœno sæuiret in pabulo vulnerum : minus crudelis in hoc visus est Busiris, qui si necauit hospites, vorandos obtulit equo, generoso certè animanti , atque præstanti ; hic autem illi batas Puellas proiecit ad viliſſimæ pecudis pastum ; quanquam cum in earum vulnerum sulcis hordeum seuit , non tam hordacea illa sementis , quàm adoreæ fuit, quæ excresceret in messem gloriæ , ac veluti fortissimarum Amazonum militare stipendium ; suauissimum fuit illud obsonium, quia hilariter occubuerunt, ac dignum, quo ipsa aleretur æternitas ad memoriam posterorum. Illud etiam quantæ feritatis fuit? cum ijdem Hieropolitani Cyrillum hierodulum Religionis causa non modò necarunt,sed quod ferinum omnino est, ventrem

eius

Digitized by Google

eius inciderunt ferro, iecur extraxerunt, appetierunt morſu, laceratunt dentibus, hauſerunt faucibus, helluati ſunt: enimuerò contineri, ac morari amplius non potuit, alioquin ſera ira Numinis: sūpſit ſtatim acerbiſſimas de immaniſſimo ſcelere pœnas: quicumque enim tanti piaculi fuere participes, ijs dentes, quibus ſacri iecinoris fibras dilacerarunt, conciderunt, horrendum in modum conuulſi ſunt; palatum extabuit, lingua computruit; Sæuitum etiam alibi barbarè, atque impiè: quippe Aemilianum inuictum heroem Capitolinus Thraciæ præfectus vinum combuſſit: accepit ille omen victoriæ lætus, quod à Capitolino videret ſibi materiam ſuffici bellicæ gloriæ, vt ſpolijs impietatis onuſtus, & laureatus Religionis Capitolium conſecraret. Domitium quoque virum inſigni pietate, ac diuinarum rerum contemplationi addictum, lapidibus obruerunt, quibus potius immortale ipſi mauſoleū excitarunt. Sed ad Marci Arethuſij nobiliſſimam planè tragœdiam exponendam opus eſſet, vt rectè Nicephorus ait, eo dicendi genere, quo Aeſchylus, ac Sophocles vſi ſunt in ſuis: Marcum hūc Arethuſij ciues vita, & doctrina, canitieq; inſuper diu ſpectatum, immo verò Præſulem ſuum, ac ſacrorum Antiſtitem per ſummam impietatem neci dederunt: dudum ei fuerant infenſi, quod multos conſilio, & auctoritate ipſa ad noſtra ſacra traduxiſſet, ac Deorum fanum celebre, ſtructureque impenſis, & magnificentia nulli ſecundum ſolo æquaſſet: cum ecce Iuliani Imperatoris edictum, vti Marcus, vel æſtimationem fani, ac pretium ſoluat; vel illud, quale antea fuerat, reſtituat: vbi neutrum placuit; alterum enim, vt ruinam compenſaret auro, ab ipſo fieri non potuit; alterum non modò vt Præſuli, ſed vt priuato nefas erat: initio quidem non timidè, ſed cautè egit, latuit, ſubtraxit ſe furori: at vbi multos è noſtris ſua cauſa vexari vidit, prodit è latebra, ſe ipſum exhibet vltrò, ac populo committit: admirari certè debuerunt philoſophicum animum, & paratum mori; ſed impiè, & amenter agūt: ſtatim in ipſum irruunt, per Vrbem mediam trahunt, & ſenem, & Præſulem, quo membra eius omnia, vt ſors tulit, diuerberata ſunt, lacerata, atque iactata; nec finis ſupplicij, atque probrorum; in eum quippe ætas omnis bacchata impetum facit; tenuibus quibuſdat funiculis, at non tenui cum ſenſu doloris, aures abſcindunt: ſcilicet oues more luporum in-

Digitized by Google

paſtorem ſæuiunt ſuum: ſed nunquam Marcus de conſtantia tam bene audijt, quàm præſectis auribus: pueri quoque à ludimagiſtris ad eum illudendum profecti, immo verò ad interimendum: nullum cruciamentum maius quàm à pueris fuit, qui ſenem tractum, & in ſublime ſuſpenſum literarijs ſtylis pungere aggreſſi crudeliter confoderunt; quanquam ijs calamis, atq; eo ſanguine inſcripti ſunt tituli triumphales. & iam toto corpore exceperat vulnera, parumque adhùc vita conclamata ſpirabat, cum eum garo, & melle delibutum, atque altè pendentem in viminea crate veſpis, fucis, & apibus ſæuiſſimè excruciandum expoſuere: ſed tum maximè apparuit vera, nec fucata virtus, & quantum apes rapiebant mellis, tantum accedebat diuinæ ſuauitatis: ferunt eum ijs inuolantibus, ac depaſcentibus viuens voraretur, atque appenſus altius emineret, effudiſſe generoſam illam vocem: (nihil ſibi honorificentius, ac præſtantius accidiſſe, quàm quod ſublimis ipſe infra ſe aduerſarios deſpectareta, tque ijs altior extaret:) præclara ſanè vox, & Martyre digna: neque enim virtus ſupplicijs deprimitur, ſed extollitur: ſuperior eſt tyrannorum, ac Cæſarum faſtu, ſublimior ſolio auguſtali: habuit verò hæc Marci vox non modò conſtantiam, ſed acumen: didicit inter aculeos apũ aculeatè loqui: obſtupuit Præſes ipſe prouinciæ, licet ethnicus, tantam animi magnitudinem conſpicatus in ſene, ac Iuliano rem detulit, ſignificauitque quantum incrementi noſtrorum accederet gloriæ, quantum dedecoris, & ſibi, & Dijs. fortunata quoq; mors fuit Eupſichij, quod auctor extitiſſet euertendi Fortunæ delubri, quo Fortunam ipſam infelicem fecit, & infortunijs obnoxiam: eius rei gratia Imperator in cęteros etiam, qui ad illud demoliendũ ſuam quoq; operam præſtiterant, exarſit: ſed fruſtra ignominiam vltus eſt eius, quæ nec ſe tueri potuit, nec ipſum in bello Perſico Iulianum: Innumerabiles item è noſtris Iudæorum, quos infeſto odio flagrare non ignorabat, ſæuitiæ tradidit; & vt quicquid vellent in eos agerent, permiſit: egerunt autem hi longè atrociora, quàm Græci. paulùm verò progreſſus deſertor, & paricida liberius, ac potius impudentius impietate vſus, aduerſus Religionem arma ipſa mouit, haſtamque intorſit ad vulnera; ſiquidem Artemium generoſum fidei defenſorem, eundem Ducem, & Antiochiæ Auguſtalem, qui etiam copia-

rum

rum militarium ductor in Aegypto fuerat; quòd multa Deorum fana deieciſſet; quòd aliqua Cœlitum corpora ex Achaia, & Epheſo Byzantium tranſtuliſſet, quanquam obtentu alio ſimulato, bonis omnibus ſpoliauit, dignitate orbauit, demum capite plecti iuſſit. excruciauit etiam oratores Perſas, qui ad ipſum Chalcedone venerant Religionis nomine; neque in ijs legatorum ius, contra receptum gentium omnium morem, violare eſt veritus: publicam fidem, quę albo velata dicitur panno, impiè cruentauit, ac rubefecit. Ioannis verò, Paulique fratrum egregia indoles animi, & inuicta virtus prætermitti non debet; qui in Conſtantini magni aula educati, & eius filię Conſtantinæ olim obſequijs addicti, poſtea inuitati à Iuliano ad Auguſtale, ac magnis honorum promiſſis allecti, cũ deſertore, ac paricida nihil ſibi eſſe commune dixerunt; quo reſponſo iratus, cum minis ageret, ac iuberet ipſos ceruices aut Ioui flectere, aut ſecuri; ante Iouis ſtatuam erecti ſteterunt, ante ſecuris aciem proni: traditi ſunt Terentiano præfecto, vt domi clàm necarentur, vel ne qua rei indignitate ſeditio oriretur, vel quod inuideret publicæ Martyrum gloriæ; ſed quantò tectius, & occultius procurata mors eſt, tantò fuit illuſtrior; & quod admirabilius eſt, hoſtes ipſi, qui æterna caligine circumfuſi ſqualent, rem illuſtrarunt; ex multorum enim corporibus in primis verò præfecti filiæ, quam obſederant, indignum Iuliani facinus patefecerunt: ex hoſtibus præcones ipſi facti Ioannis, & Pauli conſtantiæ; exarſit Imperator inuidia, erubuit ignominia. Sed hæc virorum; non minus illi proboſa fuit fœminarum virtus, & animi fortitudo, quæ certè penè incredibilis enituit in Publia Antiſtita religioſiſſima: hæc cum in parthenone eſſet vnà cum choro Virginum, tranſeunte Iuliano, & audiente, occinere cœpit illud magni Vatis carmen, quo irridentur, ac per ludibrium exagitantur laruatæ Deorum ſpecies, & ſimulacra, eorumque cultores; qui videlicet ſuperſtitioſè operentur operi hominum, & faciant Dijs factis: eo carmine ſignificare Puplia videbatur ſimulacra, quæ Iulianus perfidioſè coleret, licet aurea, & argentea, apud ſe nullius eſſe pretij, atque viliſſima; eiuſmodi Deos accepiſſe diuinitatis inſignia, & conſecratos non alio in templo quàm in fumida fabrorum officina, atque adeò emortuos potius dicendos eſſe, quàm viuos; qui non alias ſint cunas ſortiti,

Digitized by Google

quàm camini rogum, vbi conflati; ceterùm stultè ipsos singi cum oculis, cum priuati sint luce, quantumuis extiterint è flamma: hoc tantùm videri posse felices, quod se ipsos à nostris contemptos, & illusos videre non possint, cum ceci sint; nec contumelias illatas audire, cum surdi; nec putidum victimarum sentire nidorem, cum careant olfactu: addebat, libenter et se cum eiusmodi Dijs hostiliter manus velle conserere, si ipsi manibus vti possent; libenter in aciem procurrere, si pedem conferre, aut mouere; sed eos destitutos esse omni sensu, etiã voce, qua lacessant hostem.) Mira certè dicendi libertas in fœmina: sed hæc conuicia iacta sunt in inanima simulacra, atque inertia: quantò ad mirabilior illa vox in ipsorum cultorem contorta, hoc est in Iulianum Cæsarem audientem? cum eum ijs simulacris sensu carentibus similem dixit, elinguem scilicet, ac mutum, qui & eloquentia posset, & imperatorio iussu sententiam pronunciare poterat capitis; cassũ luminibus, qui ipsam toruo intuebatur obtutu; & surdum, qui inter aulæ plausus; olfactu carentem, qui inter vnguenta regia versabatur; manuum, ac pedum vsu priuatum, qui & manibus sceptrum, & Orbis terræ globum gestabat; & pedebus excurreret victor in campo, tantoque cum fastu incederet Imperator: quanti tandem roboris fuit non timuisse iram præsentis Cæsaris? torua supercilia, minacem vultum, secures, ac fasces cruentos cæde nostrorum, denique totum illum comitatum augustalem. indixit illi Iulianus silentium, sed nõ impetrauit; immò verò cœpit Publia cum choro aliud eiusdem Vatis carmen occinere, quo Iuliano imprecabatur exurgenti, & prodeunti in aciem Deum, ac dissipantem hostes: itaque indignatus, illam rapi à lictore iubet, ac neque venerandam honestissimæ fœminæ canitiem, neque è virtute efflorescentem in ea obseruantiam veritus, tam acerbè ambas maxillas, ac malas diuerberari, ac cædi iubet, dum totæ diffluant sanguine: quid tum illa? victrix de sæuitia Cæsaris redit ad chorum Virginum, vt epinicion, ac pæana canat; hoc pulchrior redit, quod cruore purpurea, & colore pudoris proprio obtitas ferens genas. meritò posteritas tam inuictæ fœminæ statuam dedicasset, ac simulacrum, nisi verita esset, ne quod illa adeò simulacra odisset in Dijs, etiam sibi debitum à se arceret, atque reijceret; sed dum illa infectatur, ac destruit,

ipsa

Digitized by Google

ipsa in mentibus hominum exculpsit sibi simulacrum; & auro pretiosius, & Praxitelèo præstantius: sunt qui dicant Publiam hanc Chrysostomi matrem fuisse, quæ per ipsum iam sacrorũ Antistitem factum sacro se gynecæo dedicarit: fides appellet auctores: si vera narrãt, mirum non est, quod & ipsa aureo sit ore locuta, non timens ferrum; nisi forte mirum videatur, quod splẽdido cum esset ore, contumeliam fixerit aureis Deorum simulacris; & auro, purpuraque ornatum Imperatorem generosè contempserit: eandem certè vel liberam constantiam, vel auream dicendi venam transfudit in filium. Aestuabat interim Imperator, & cum quid faceret, non haberet, ad vafritiam, fraudemque conuersus est, vt nostros occuparet incautos, nec opinantes. Igitur res omnes in foro venales impijs inquinamentis imbui iubet, infici videlicet victimarum sanguine esculenta: panis, caro, poma, placentæ, ac cætera præsidia vitæ corpori ne suppetant, nisi animus mori appetat. detestabile prorsus inuentum: nempe veterator hoc egit, vt ingesto cibo polluto impietatem nostri toto haurirent pectore, atque in viscera etiam intruderent. at verò nõ est passus ille prouidus suorum consultor Deus, diutius nobis imponi; atq; vt rem quasi tenebris ignorationis obtectam manifestam faceret, Theodoro vsus est, eo videlicet, quem sub Maximino Cæsare, pyræ, in quam coniectus est, flamma fecerat illustrẽ: is per speciem se vrbis Præsuli offerens, mandat, vt suos abstinere iubeat à rebus, quæ vænum propositæ essent in foro, quod contaminatæ sint: frumẽtum autẽ in ollis coquant (κόλυβα Euchaitæ Scythiæ Populi eiusmodi obsonium vocant) eoque inopiam piè solentur: exhorruerunt nostri fraude cognita, execrati sunt lamentis, ac gemitu Imperatoris factum: in primis verò Aspidophori duo, qui ampla stipendia in militia faciebant, Iuuentinus, & Maximinus religiosissimi viri, in conuiuium quoddam impietatem Iuliani traducunt, non sine diris, & execrationibus è magni Vatis carmine petitis: hos ille ad se accitos, cum dignam Christiano homine libertatem reprimere nec Imperij maiestate, nec minis posset; capite plecti iubet: consecrati deinde religione immortaliter sunt, & ab Antiochenis honorificè conditi vrna: Sed alterum quiddam Iulianus excogitat, non minus fraudulenter, ac vafrè: cum milites nostros miri candoris, & ingenuæ simplicitatis

esse

esse sciret; sic eos capere aggreditur: veteri more fieri solebat, vt ad publicum munus ab Impetatore accipiendum accedentes sacrificarent; propositum igitur erat ad ignem & thus, & aurum, sine simulacro tamen, ne apertè Religio peti videretur: nonnulli quod latentes laqueos aucupis non attenderent, dum vnà cum auro thus capiunt, capti sunt ipsi; paulò post admoniti ab ijs, qui prudentiores erant, abominati factum, dici non potest quantum vel lacrymarum profuderint, vel iustæ iræ conceperint: erumpunt statim; publicè gemebundi concurrunt; Deum, & saniores contestantur homines, se fraude circũuẽtos, se Christi nomine censeri, in eaque sententia vel morte proposita permansuros: tum magno cum ardore animi, ac libertate dicendi Imperatorem adeunt: ad pedes aurum, quod acceperant, abijciunt; thura dispergunt, generoso prorsus, & obstirmato animo poscunt, vt suo sibi munere accepto, pœnam de scelere quamuis ignorato ab ipsis petat: orant, vt dexteram, quam ad munus admouerant; pedes, qui ad aurum accurrerant, ferro præcidat: enimuerò obstupefactus ille constantia assentiri noluit: inuidit scilicet, si id faceret, eorum gloriæ; ne ob contemptum, ac proiectum aurum, aureis signis, & laqueatis templis honestarentur; ne thure quod Dijs denegauerãt, ipsi colerentur; veritus est, ne resecta capita laurea triumphalis, ac diadema sanctitatis ornaret; ne absciſſis victricibus dextris lemniscata obtingeret palma: denique ne auulsi pedes ob decursum feliciter stadium, hieronicas nobiles consecrarent; itaque tantùm exauctoratos ex aula exigit; atqui tunc maximè dignos aula effecit: ex his enim Iouinianus, & Valentianus fuere, qui post ipsum imperarunt: scilicet dimissi sunt ex Augustali, vt redirent Augusti. Hæc dum aguntur, ecce tibi fratres germani duo, qui eodem fuerant errore decepti, cum clamore in regiam irruunt; omnia gemitu complent, sistunt se Iuliano, libero ore querelas expromunt, vafritiam incusant; putasse se aiunt, cum Imperatore, non cum veteratore agendum; sed quando incauti thus in ignem iniecerant; expiari se velle non alio supplicio, quàm igne ipso: proinde iubeat malleolos subijci, extrui pyram. prorsus obstupuit hìc Iulianus, & ad tantæ libertatis miraculum hæsit; porrò ad ignis, quem illi sibi imprecabantur, mentionem, exarsit ipse iracundia: sed noluit igni damnare, siue

ne

Digitized by Google

ne potiti voto, læti mortem obirent; siue ne hanc illustrarent flamma. capita ceruicibus abscindi iubet: fit populi concursus: non carnificina fuit illa, sed theatrum constantiæ; tum is, qui erat natu maximus, orat lictorem, vt antea natu minimum securi percutiat: veritus, ne fortè exanimatus fraternæ cædis aspectu succumbat: Romanorum enim legibus cautum erat, vt sicut in quæstionibus à minimo, sic in supplicijs à maiore fieret initium: permissum est contra legem ire; quem enim in hac causa leges, ac iura locum haberēt, cum contra ius, fasque innocentia damnabatur? quid tum adolescentior? incredibili magnitudine animi conditionem accipit, grates agit maximas fratri, quod se natu minimum præmittat ad lauream; iam humi posuerat genua, iam flexerat ceruices, iam lictor eduxerat è vagina gladium, cum missus ab Imperatore nuncius accurrit, necem inhibiturus, qumetiam longè positus lictorem clamore compescuit: inuidia videlicet, non commiseratio fuit in causa: adimere illi voluit adoream, spoliare eundem nostrorum heroum gloria: nullum adolescens tristius accepit nuncium, quàm vitæ; & quia non licuit sanguinem fundere, effusis penè extinctus est lacrymis. Discruciabant hæc Iulianum, cum omnia sua consilia; & machinamenta nostrorum virtute superari videret; iterum confert se ad fraudes; statuit Religionis proprios ritus simulacrorum cultui accommodare, vt eius obtentu similitudinis illaquearet animos, dum superstitio laruata pietatem simulat: itaque in Deorum fanis fieri iubet, vt in veri Numinis templis: subsellia, & primarios suggestus constituit; proposuit doctrinas, quæ tamen parum pijs Græcorum sententijs inniterentur. præterea hierodulos, & hierophantas, & anagnostas instituit more nostro; item certas, & statas horarum, atque dierum preces: gymnasia item, & phrontisteria, non modò virorum, sed mulierum philosophantium; peregrinorum etiam, atq; egentiū ampla extruit domicilia: æmulari etiam conatus est Pontificiarum litterarum tesseras, quibus hospites commendantur: atque hæc, aliaque id genus eo consilio egit, vt ostenderet, non magnum esse discrimen inter nostros, & ethnicos; atque ita illi facile horum institutis, ac studijs acquiescerent: sed conuenire in eosdem mores, & rationes viuendi minimè poterat superstitio, & Religio; ipsa se prodebat impietas; neque hanc dissimulare

Iulia-

Iulianus: potuit diu aperta enim fana Deorũ, & simulacra proposita, ab ipsoque culta perfidum arguebant. ingressus est aliquando in ædẽ Fortunæ, vt ei hostias mactaret, à qua .s. (si modò Fortuna vlla dicenda est) Iulianus est tandem ipse mactatus: id cum Marius Chalcedonẽsis in Bythinia præsul resciuisset; confestim eò se confert à puero manuductus, quod ei oculorum suffusio videndi vsum, & vim ademisset: Imperatorem victimarium grauibus castigat verbis; perduellem, desertorem, impium appellat, nihil veritus, nè securis illa, quę madebat pecudum sanguine, suis carnificibus intenderetur; non est tamen ausus, quantumuis iratus Cæsar in Præsulem sæuire, terro, sed tantùm probro; obijcit cæcitatem, ac salutis parentem maledicto perstringens: nihil nè, inquit, te iuuat medendo Galilæus iste tuus? hoc nomine & Christianos appellabat, & Christum; tum Marius, immò verò, inquit, grates ago Numini meo immortales, quod me per orbitatem maximà pœna liberauit, ne videlicet impurissimum istum vultum tuum, ac teterrimum perfidiæ monstrum intueri possim. grauiter admodum accepisse dicitur Imperator responsum plenum libertatis atq; cõstantiæ; sed abstinuit à cæde, ne illustrẽ faceret eum, qui lucis vsu carebat: timuit ẽt nè sui, Fortunæque cõtẽptorẽ præclarissimæ necis gloria faceret fortunatum; sed illud amentiæ fuit, quod cum se iactaret ingenio, non attendit, se minus congruè loqui, ac Fortunæ ipsi, cui diuinos honores tribuebat, contumeliam inferre: quia enim hæc cæca fingitur, cum Mario præsuli cæcitatem obiecit vt probrum, certè Fortunæ ipsi illudere visus est: itaque suspicari eius cultores potuerunt, iccirco eam postea infensam expertum esse, re bellica infeliciter gesta. Illud etiam & extremæ dementię fuit, & simul insciti æ, quod Liberatori nostro Galilæi nomen quasi probrosum, & ignominiæ plenum obiecit: atqui vt hebraicæ linguæ periti norunt, Galilæi vox rotæ volubilitatem significat: Galgal enim voluere, ac rotare est, galgal rota ipsa: debuit certè hoc non ignorare, qui Hebræorum genti nobis infensæ semper studuit, ac fauit; quid igitur insciti ius, aut ineptius, quã ia nostro Numini contumeliæ loco dare, quod potius ad Numen pertinebat suum, quod coram habebat? Fortunæ enim adeò propria volubilitas est, atq; cõuersio, vt rota illi apponatur; ac Iulianus quidem eius orbitam, & versatilem motum

sensit

Digitized by Google

sensit in Persico bello, in quo miserè perijt: destitutus igitur mente erat Imperator, cum hæc temerè effutiebat; & ipse cũ Fortuna orbus erat oculis, eò infelicius quod internis; nequicquam in Galilęi nomine rotæ volubilitatem obtendebat, hoc est Christianæ Religionis inconstantiam, cuius expertus erat in piorum cæde firmitatem, atque constantiam: vocis cõuicium, & infamia redundauit in eam, quam credidit Deam: ita semper improbitas sibi fraudi est; & tamen prudẽtiæ laudem affectabat hic Imperator: quid autem tam alienum, atque seiunctum à consilio, quàm Fortuna, quam defendebat? sit hoc inconsideratæ stultitiæ, illud arrogantiæ singularis: Vt milites potissimum, in quibus est robur imperij, superstitione imbueret; ac Deos, seque pariter immortalitate consecraret, vero numine contempto, quid excogitat? præcipuũ illud inter Romana vexilla signum, ac potius trophæum in crucis formam diuino nutu à Constantino magno redactum. (Labaro nomen erat) tolli iubet è castris, ac prorsus antiquat: in publicis quoque tabulis se ipsum magno studio depingendum curat; atque insuper supremum Deorum suorum Iouem affingi, veluti è cœlesti nube despectantem, coronamque, & purpuream vestem, ac cætera Imperij insignia ad se demittentem, ac porrigentem: Mercurium item, & Martem vtraque ex parte Iulianum ipsum blandè intuentes, & quodammodo oculorum nutu testificantes, eum, & eloquentiæ laude florere, & militari arte præstare: hæc & alia hisce similia publicis imaginibus appinxit homo vafer, & impius; vt dũ miles Imperatoris imaginem venerari studet, simul appictos Deos honore afficeret: sed detestari licet hac ẽt in re hominis peruersum planè consilium; nam is qui vnà cum Mercurio pingi voluit, quasi eius alumnus ob eloquentiæ, ac cæterarum disciplinarum studium, harum laudem nostris inuidit: Mercuriales, vt poetæ vocant, viros à se exegit, literis interdixit; suggestus, & magisteria sustulit; Atticè etiam loqui vetuit, quod videret nostros literis imbutos, ac ꝓpolitos, vbi acuissẽt ingenium, facilè quæ de Dijs impiè dicerentur, quæque ad eorum cultum ineptiarum plenum spectarent, carpere posse, ac philosophando reijcere; propterea non parum infensos habebat, in primis Gregoriũ, & Basilium Cappadoces, qui ἐγκυκλοπαιδίαν atque omnigenam artem suam rebus multis declarauerant.

Digitized by Google

rem indignissimam nemo non dixit, obstruere sapientiæ fontes, prohibere aditum ad lycea: occludere bibliothecas: extorquere stylum è manibus, incidere alas ingenij: enim verò iure Gregorius hoc enarrãs, eumque acutè perstingẽs; (Ecquis inquit, Mercurius logius, versutè loquens hæc tibi in mentem induxit? qui Corybantes insani, & inuidi Cacodæmones suggesserunt?) quãquã hoc ethnicis ipsis tam indignum est visum, vt Ammianus ipse Marcellinus, qui in eius laudes effusior est, non potuerit non acerrimis verbis perstringere, atque proscindere tantum facinus: (Illud, inquit, est obruendum perenni silentio, quod vetabat docere magistros, rhetoricos, & pedetribas, ritus Christiani cultores.) atque hoc minus mirum, & magis ferendum videri potuisset, si ab homine illiterato, & misogrammateo fierent; non autem ab eo, qui in Græcia omnibus esset disciplinis instructus; quem etiam irridendi causa Græculum literionem vocabant: quo ostensum est, ipsum Religionis odio, non doctrinæ, sapientiam exulare iussisse. scilicet non contentus fuit in nos exercere gladij mucronem, exercuit etiam stylum: quippe in expeditione Parthica, in ipso procinctu belli, in quo perijt, libros septem aduersus Christianam disciplinam scribit: septem, inquam, exertauit capita immanis hæc hydra; sed eam non vnus è nostris Hercules, vel doctrinæ claua contudit, vel pietatis igne consumpsit. edidit etiã commentariũ, quod canem Heraclitum inscripsit, vbi quomodo Cynica vita instituenda sit, docet: Cynicorum enim philosophorum se fuisse studiosissimũ indicat in epistola, quã, cum Cæsar esset, scripsit ad Maximũ: nempe canis impudentiã imitatus & rabiem, cum aduersus veri Dei cultores, eiusque sectatores impiè oblatrauit; hoc tamen cane fœdior, ac detestabilior, quod illud animal hero suo fidissimum sit, hic contra in Religionem, quam à pueritia professus est, insigni perfidia fuerit; cum igitur litteras nostris hominibus interdixit, veritus est, ne his eruditi canem, ac Cerberum illum suum in Inferos retruderemus. libellum etiam edidit, qui adhuc cum epistola extat, quem Misopogonem inscripsit, hoc est osorem barbæ; cum enim Antiochena ciuitas Christianis esset referta, ac Iuliano desertori prorsus infensa, vt primùm illum cum exercitu venientem excepit, cum aliter vlcisci non posset, deridere certè cœpit, ac barbæ illudere: fuit enim Iulianus hircina

Digitized by Google

cina barba, quamobrem eum hircum appellabant; & quia Cynicos sequebatur, non nemo dixit, ipsum quasi Circæo poculo canem mutasse in hircum; vt minus mirum sit, quod tantum delectaretur Deorum victimis, inter quas sæpe hircus mactandus erat: igitur Antiocheni conspicati hircinam eius barbam asperam, hispidam, hirsutam, cuneatam, ac philophico more promissam, falsè per ludibrium eum hortabantur, vt inde funiculos faceret: ac certè videbatur præacuta ipsa, & cuspidata barba vulnerare nostros, quod etiam ipse innuit: nisi fortè ominosum illud cometæ genus referebat, quod à barbæ similitudine, pogonium vocant: nihil enim tam perniciosum, & vt ita dicam, fatale Religioni, quàm barbatus hic Imperator fuit; nullus ea specie cometes funesta flamma tam dira portendit; aut si sapientiam profitebatur, quia eam falsò iactabat, mentitus est philosophũ ipso mẽto. excãduit in Antiochenos Iulianus ob istud barbæ hircinæ ludibrium. primò comminatus est multa, deinde commentus est multa, quippe statuit, certè contra quàm Imperatorem decet, orationem scribere plenam facetijs, & scurrilibus verbis, quã μισοπωγῶνα hoc est barbæ inimicam inscripsit, qua id assequutus est, vt irrideretur magis; eius sunt illa ad Antiochenos verba in *Misopogone*: (Me verò, inquit, si maximè laudare vellem, non possem, at vituperare immumeris modis potero: & primò à persona exordiar, huic enim, quod, vt arbitror, natura non multũ pulchritudinis dedisset, ipse morositate quadam & acerbitate animi ob longam istam barbam addidi, quasi pœnas ab ea exigens, nulla quidem alia de causa, nisi quòd natura elegantiorem non fecisset, ideo discurrẽtes in ea fœdas bestiolas perfero, tanquã feras aliquas venatus in sylua: cauendum est etiã ne pilos vnà cum pane deuorem; at vos funes quoque ex ea necti oportere dicitis: equidem id vobis perlibenti animo cõcedam, modò pilos possitis extrahere; neque eorum asperitas vestras molles, ac delicatas manus lædat:) Hæc in primis habet in ea oratione, Imperator, an scurra? qui tamen, ne viri boni, qui seria, & grauia scribunt, literati essent, edixit; cum linguam exarmare non posset sermone, exarmauit manum stylo; nostrorum calamum, quasi amentatam hastam extimuit, ac sibi reseruauit, vt materna viscera Religionis effoderet: scripsit enim epistolas, quarum adhuc nonnullę extant:

Digitized by Google

multa in his exarauit in noſtros; præſertim Athanaſium propugnatorem Religionis inſectatus eſt. ſcripſit & Saturnalia: ſcilicet is, qui aureum Conſtantini magni ſæculum mutauit ferreo: auſus eſt tamen felicitatem iactare ſui ſæculi, ac dicere, ſe auctore Aſtræam, hoc eſt iuſtitiam, quæ quondam terras ſceleribus inquinatas reliquerat, reuocatam, ac redijſſe ſe imperante regna Saturnia. nec defuere, qui aſſentandi gratia in monumentis publicis, & columnis inſcriberent, ipſum bono Reipublicæ natum: ſed cum in Perſico bello amiſſis legionibus, ictus occubuit, declaratus eſt Romani deſtructor Imperij. elucubrauit quoque librum illum, quem inſcripſit, Cęſares, non alia fortaſſe de cauſa, niſi vt ea occaſione Conſtantinum magnum carperet, quem veſte indutum muliebri Deæ deliciarum coniungeret vnà cum eius Imperatoris filijs; ſe verò (miram impudentiam) Solis filium Mercurij ſententia & teſtimonio comprobaret; ſic enim illum ad ſe loquentem inducit: (Effeci, Iuliane, vt Solem patrem agnoſceres:) ſed vter impudentior, ac dementior, Iulianus nè, qui ſe filium Iouis; an Sapores Perſarum Rex, aduerſus quem pugnauit, qui ſe Solis fratrem dicebat? tanta impiorum mentibus eſt offuſa caligo, vt ad lucidiſſimum planetarum genus referre audeant ſuum. atqui vt parentem iſtum ſuum tenebrio hic laudibus extolleret, hymnum compoſuit in Solem regem, in quo multa mutuatus eſt ex Platone in Timæo, atque Cratylo; nonnulla etiam ex Heſiodo in Theogonia, & ex Homero in Iliade, & Odyſſea, & hymnis; Solem verò laudaturus, à ſuis laudibus exorſus eſt, ſignificans ſe ſtudioſum eius fuiſſe cultorem: quamobrem in nummis effigiem, ac titulum æmulatus eſt Solis, ideſt Serapidis, venali mendacio, cum ipſe Cimmerijs verſaretur in tenebris: timere debuit certè Iulianus, ne Sol ipſe, qui luſtrat omnia, detegeret occultas eius præſtigias; timuit quidem noſtrorum doctrinam, vtpote Sole clariorem; veritus eſt ne ſuperſtitio ludibrio foret, quamobrem vti dictum eſt interdixit literario ludo: hoc erat illi propoſitum, vt Sapientiæ ornamentis ereptis, Religio ſpoliata, atque incompta deſpectui haberetur: ſed improbis conſilijs occurrit Deus; excitauit, præter cæteros, Apollinares duos, parentem, & filium, ambos ſibi cognomines, & diſciplinarum laude præſtantes; ac pater quidem pro interdicta Homeri poeſi, Moſis libros, & vete-

tum

Digitized by Google

rum Hebræorum acta heroico carmine conscripsit; atque id opus in quatuor, & viginti libros aptè digessit. edidit idem Euripidem æmulatus, tragicos actus, & comica argumenta ad Menandi exemplum scitè tractauit; insuper & Pindarica cecinit lyra; denique totum illum disciplinarum complexus est orbem: alter autem Apollinaris, hoc est eius filius sacram nostri Liberatoris historiam, & Pauli literas per dialogos ad Platonis formam, normamque tam eleganter, & ingeniosè composuit, & concinnauit, vt nisi homines, quadam antiquitatis venerandæ prærogatiua, veteres, ac priscos obseruare solerent, vix ijs aliquid concedere viderentur: insignem quoque Apollinaris hic iunior elucubrauit librum, quem de veritate inscripsit, in quo etiam absque sacrarum literarum testimonijs, clarè ostendit, longè veteres philosophos, atque Imperatorem ipsum à recta de Deo opinione abesse; at ille oblatum sibi libellum irridens, ad primarios Antistites scripsit paucis his verbis. (ἀνέγνων, ἔγνων, κατέγνων: hoc est legi, cognoui, damnaui;) ad quem nomine omnium acutè sic rescripsisse dicitur Basilius. (ἀνέγνως, ἀλλ' οὐκ ἔγνως: εἰ γὰρ ἔγνως, οὐκ ἂν κατέγνως: hoc est legisti, sed non cognouisti; si enim cognouisses, non damnasses:) existimauerat Julianus tribus illis verbis tanquam titulum inscripsisse victoriæ, similem ei, quem Cæsar inscripserat, Veni, vidi, vici; sed à nostris acumine victus est: cum igitur nostrorum non modò sermone, sed scriptis apertè constaret, quàm vanus, & impius esset Deorum cultus, ne quid intentatum relinqueret, quo extingueretur Christiana Religio, quia perspectum habebat implacabile Iudæorum odium in nostros, eam gentem fouere, atque extollere cœpit: immò verò Iudaicos ritus opponere, ac sepultas ceremonias, & instituta iam abolita excitare, ac reddere statuit; in primis templum illud olim augustissimum, de cuius ruina etiam sine vestigio vaticinium fuerat editum, restaurare aggreditur, vt veritatis parens argueretur mendacij: nihil gratius, & optabilius Iudæis fuit; nec mora; cum alacritate concurritur; pro se quisque certat conferre aliquid in impensas; mulieres ipsæ inaures, monilia, cæteruinque mundum dedicant; atque vt magnificentius, ac nobilius res agatur, ligones ipsos, ac reliqua instrumenta ad structuram necessaria ex argento fabricant: tum vbi ad templi exædificandi locum venere, terram effo-

Digitized by Google

effodiunt: ingentes, ac pretiosos immittunt lapides: cum repente regio omnis intremere, tellus succuti, lapides iectos eijcere, qui in sublime vi quadam prodigiosè iacti in Iudæos, qui vel ad operis spectaculum accesserant, vel structuram ipsam curabant, recidunt: ad hæc publica ædificia ipsi templo proxima eo terræmotu iactata, atque soluta in ipsos collapsa ruunt, ac ruina opprimunt: ita qui noui delubri natalia celebraturi venerant, ipsis lapidibus, quos conuexerant, sunt sepulti; si qui elapsi sunt fuga, semineces iacuere: nonnulli crura, manus, ac membra alia, proeo atque clades fortè quemque comprehendit, mutilata retulere; sed vt est ad omnia ea gens contumaci, & præfracto ingenio, cum terræmotus vix conquieuisset, qui reliqui erant, rursum opus aggrediuntur: partim cupiditate adducti pristinæ gloriæ, ac magnificentissimi delubri, partim metu Iuliani Cæsaris opus vrgent; cæterùm tam ingens prodigium satis certos eos faciebat indignari instituto operi Deum; quid tum? cum manus iterum admouerent, repente (horrendum visu) prodigiosus ignis ex ipsis fundamentis exilit, atque erumpit; nec tellus modò exardescit in flammas, sed cœlum in fulmina; vtroque igni non solũ quãplurimi consumpti sunt, sed instrumenta quoque fabrilia, ligones argentei, secures, mallei, scalpra, serræ, asciæ in cinerem redacta; nec statim incendium illud euanuit, sed toto die grassatum est: ita qui templum instaurare conati sunt, vt hostias immolarent; nondum fundamentis iactis, nondum aris erectis, ipsi, quasi victimæ ferales, consumpti sunt igni; nec tamen tanta vis incendij satis fuit ad Iudaicæ gentis ingenia obdurata emolliendа: quid mirum? quando nec id egit, quod consequutum est prodigium, aut admirabilius, aut manifestius certè; nam proxima nocte vestes ipsorum crucis signis radiorum instar conformatis cõsignatæ sunt: ita omnes indumentũ tanquam stellis variegatum, quasi lanificij arte atque solertia distinctæ essent, habuere: vt primùm dies illuxit, attoniti prorsus obstupuere: sed hoc stupor illis attulit, vt lapidescerent; hoc est obfirmato animo in sententia obdurescerent: conati sunt, proh nefas, eradere, eluere, ac detergere salutares illas notas, sed nihil egere: adeo radiatæ cruces perstinxerunt oculos luce, vt hebescerent magis, non sua sponte, sed vitio gentis. erat tum Hierosolymitanæ vrbis Antistes Cyrillus

Digitized by Google

lus, qui tot, tantiſq; prodigijs auditis accurrit ad locũ, vbi hæc fiebant, deteſtatur audaciam; admonet eos, qui aderant, diuini oraculi de excidio templi, ſine veſtigio etiam lapidis ſuperiecti; quæ cum ardenti ſtudio declamaret, ecce tertiò prodigiũ: quaſſari magna vi tellus, excũtere reliquos è fundamentis lapides, ac diſſipare: tũ obtendi cœlum caligine, ſæuire immani procella, quæ calcem, & gypſum innumerabilium medimnorum in aerem ventilando diſpulit: ad hæc denuò ex infernis terræ partibus erumpere ignis, qui vel operi præfractos adhuc intentos, vel ſpectaculo delectatos miſerè momento temporis abſumpſit: ita Iulianus non modò, quod impiè meditabatur, non egit, vt magni vindicis minas, & oraculum eluderet; ſed potius certius fecit: terræmotus ipſe, igniſque volubilis vaticinium confirmauit, ac ſtabiliuit. addunt qui his de rebus ſcripſere, quiddam ſanè non minus mirum, nec omittendum: cum fundementa ſtructuræ huius iacerentur; & inter lapides vnus, cui extrema baſis coaptata fuerat, loco moueretur, ſpeluncę cuiuſdam os petrę inciſum ſeſe exhibuit: quoniam verò propter profunditatem antrum illud perſpici penitùs non poterat, qui opus id curabant rem exploraturi, ex operarijs quendam ad funem longiorem vinctum demiſere: ille cum in antrum peruenisſet, in columnam incidit, quam dum manu pertentat, libellum in ea poſitum, qui tenuiſſimo, puriſſimoque linteolo inuolutus erat, reperit: quo accepto, fune ipſo ſignum, vt ab eis, qui illum demiſerant, retraheretur, dedit: receptus igitur inuentum ſupra columnam libellum oſtendit; inceſſit omnes ſtupor, maximè quod recens admodum, & intactus è tam abſtruſo loco eſſet erutus: explicatus eſt libellus, & curioſiſſimè legi cœptus: obſtupefacti planè, & conſternati ſunt non modò Iudæi, ſed Græci; ſtatim enim initio litteris grandioribus legebatur principium hiſtoriæ à Ioanne ſcriptæ, in quo Naturam ipſam, & quicquid eſt conditum ſupergreſſus, diuinæ ſapientiæ fontem toto hauriens pectore, Dei filium ſempiternis natalibus, & Deo parente genitum æqualem, vnius, eiuſdemque diuinitatis hæredem dicit: apertè tunc declaratum eſt, quò tandem hæc prodigia ſpectarent: ſcilicet in terræmotu, in Iudaici templi ruina ſupra columnam inuentus libellus eſt, qui de noſtri Liberatoris diuinitate ageret; quo ſignificari viſum eſt, ſtabilem ſemper, ac

firmam

Digitized by Google

firmam Religionem veram fore; antiquandos autē priscos ritus, ac ceremonias, quæ vmbræ tantùm fuerāt, & quædam qua si ambages rerum. multi sanè exterorum his commoti ad nostra signa conuolarunt. Interea Iulianus furere, & vt proculcati angues solent acrius, atque acerbius virus fundere; diuinam vim nostri Liberatoris infringere; & quæ ab ipso mire, ad aliorum salutem agerentur, irrita facere conatur: Phœniciæ vrbs erat celeberrima Cæsarèa, quam Græci ob collocatam in ea Panis Dei statuam, Paneadem vocarunt: in hac vrbe fons erat, ad quem matrona illa, quæ tacta Christi prætereuntis lacinia, hæmorrhoide sanata est, præclaram ei ex ære statuam statuerat, vt eiusmodi officio aliquam de se optimè merito rependeret gratiam. ad huius statuæ pedes herba ἀλεξιφάρμακος enata est, cuius genus nulli Medicorum cognitum, præsentissimum erat ægritudinū omniū, maximè verò φθισαδυνόσου hoc est tabidi morbi remedium; nisi quod in Iuliano, quod eius vitio tribuendum est, res tam prodigiosa hoc potius oppositum effecit, vt videlicet inuidia extabescere tisset antequam ad eius factum veniam, ad illud animum aduerto, quod non casu accidisse videtur, vt in ea vrbe posita sit Christi statua, in qua etiam Panis statua fuit erecta: nihil enim huic opponi accomodatius potuit quàm illa: nempe Pan hic ita formatus erat, vt Naturam rerum repræsentaret; habebat quippe cornua in radiorum Solis, & Lunæ similitudinem; rubescebat eius facies ad ætheris imitationem; in pectore nebridem habebat stellatam, ad imaginem siderei cœli; pars eius inferior hispida propter arbores, virgulta, feras; caprinos habebat pedes, vt referret terræ soliditatem; fistulam gestabat compositam septem imparibus calamis simul coniunctis propter harmoniam cœli: eum in primis Arcades coluerunt, atque vniuersæ Naturæ Dominum appellabant: quamobrem, à Græcis πᾶν, hoc est omne, dictus; hoc tamen addiderunt, quod in omne flagitium pronum fecerunt, & de harmoniæ parente absurdissimè cecinerunt; eum in lucta victum à Cupidine incestis Nympharum amoribus irretitum. porrò communis hostis hoc etiam anteà conatus erat, vt Deum hunc Pana nostro numini opponeret, quasi naturam Auctori naturæ: nam eo ipso ferè tempore, vt eruditissimi viri notarunt, quo tempore Christus occubuit, cum tanquam indicto iustitio

cle-

Digitized by Google

elementa mœrerent omnia, ac mutaret ipsa natura, concussa tellure, ac Sole deficiente: conatus est veterator ille hæc ad mortuum Pana referre: narrat enim ex Phlegone Plutarchus; eum nautæ quidam Tiberio imperante Echinadas insulas præterueherentur, ex vna earum auditam vocem, qua gubernator nauis Thamnus nomine, alijs nunciare iubebatur, Pana Deum mortuum esse: ac statim vlulatum ingentem tanquam innumerabilis multitudinis auditum, vt fit in publico luctu ingemiscentium: animaduertere igitur licet quàm accomodatè factum sit, vt in vrbe Cæsarea, siue Panaide, Christi, hoc est auctoris naturæ statua collocaretur, vbi scilicet superstitiosè Panis, qui naturam referre dicebatur, simulacrum colebatur; ac ne huic vis herbescentis telluris tribueretur, in basi statuæ Christi herba progerminauit, quæ ad depellendos morbos, atque ad salutem conciliandam valebat. Redeo nunc ad Iulianum, qui eius certè herbę pharmaco sanare potuisset, vel inuidiæ tabem, vel amentiam, si vsus esset: sed proh impium facinus: ausus est eius prodigij gloriam sibi vsurpare indignissimo flagitio: diuinum illud simulacrum, ac, si ita loqui fas est, tanquam Religionis Palladium euertit; suum ipse in eius locum constituit, herba illa salutari circumdatum; nisi quod hæc statim vim omnem curationis amisit, immò prorsus exaruit. quàm non modò impiè, sed indignè hoc factum fuerit, vel ex ipsis ambarum statuarum lineamentis coniectare licet: nam vt Christi forma præclara, atque verenda erat, diuinum quiddam spirans; ita contra Iuliani forma, vt eius ætatis historici scribunt, prorsus irridenda, & apta ludibrio; sic n. de illo Ammianus: (Ridebatur Iulianus vt cercopithecus, homo breuis, humeros exertans angustos, & barbã præseferens hirsutam, grandisque incedens, tanquam Oti frater. & Ephialtis, quorum vastitatem describit Homerus) & alibi: (Mediocris, inquit, staturæ fuit, hirsuta barba in acutum desinente vestitus, ore paulò maiore, labro inferiore diuiso; opima, & incurua ceruice, humeris vastis, & latis; flugrates erãt oculi, & qui mẽtis eius angustias indicabãt.) hac igitur forma ridicula, si verum simulacrum exprimi voluit, esse oportuit Iulianum, præsertim ob latitudinem humerorum, quibus non tam imperii molem, quàm grauissimum scelerum pondus connectare aliquo modo posset; & ob hispi-

Digitized by Google

dam barbam, eius animalis similem pilo, quod fœditate insigne est. libet nunc, vt magis impij hominis arrogantia, impudentiaque appareat, alterum illud magni Liberatoris simulacrum, quod sustulit, contemplari: verisimillimum enim est, matronam ab eo curatam, curasse effingendum à perito artifice, ijs lineamẽtis, quibus & ipsa, & fortasse artifex etiã præsentis, ac viuentis inspexerant: nam præterquam quod ex augusta illius fronte maiestas ipsa diuinitatis, & fulgor quodamodo emicabat; nihil forma spectabilius, decente videlicet filo corporis, membrorumque recta compage; egregio, viuidoque vultu; statura ad palmos vsque procera septem: cæsaries subflaua, neque admodum densa, leniter, gratèque subcrispa; acres oculi, atque ζυρὸν ὠλλαγμος; rectior nasus, atq; ὑπέρυθρον flauus barbæ capillus, nec admodum demissus, quanquam prolixior capitis, quod initiatorum ritu intactus ferro; collum sensim decliue, non arduo, extentoque nimiùm corporis statu; color tritici matures centis σιτόχροος; facies, non vt quibusdam tantùm imperio digna, sed Deo, nec acuta, nec teres, paululùm deorsum versus vergens, ac propria pudoris purpura subrubescens. huiusmodi igitur pulcherrimo Imperatoris nostri simulacro, quoad arte fieri potuit, ad viuum efficto substituere, atque opponere ausus est Iulianus suum, non modò non diuinum, sed humano abiectius, ac fœdum animal præseferens hircum; ridiculum, præsertim hispida barba, atque promissa, digna videlicet, qua in funiculos conuoluta, atque contorta, vt Antiocheni ludificari solebant, detraheretur simulacrum ipsum in terram; sed quod homines non sunt ausi, diuinitus est perfectum: mox enim tantę impietati, atque arrogantiæ inflicta est pœna de cœlo; vibratum repente fulmen in simulacrum incidit, & circa pectus discidit, caputque vnà cũ collo deiectum, & à pectore abruptum in faciem prostrauit; atque id etiam longo post tempore sic mansit, fuliginem etiã fulminis apertè, veluti per inscriptionem columnæ incisam continens. non potuit Iulianus indignationem numinis non agnoscere, sed facilius lapideum simulacrum, quàm ipsius ingenium frangi potuit: quanquam quid hoc mirandum, cum ne Deorum quidem suorum damnis, & ignominijs corrigi vellet? Daphne locus erat nemorosus, & lauro in primis consitus, omnibus naturę, atque artis blandimentis instructus, Græ

corum

Digitized by Google

corum fabulis inclytus de Apolline monſtroſæ laurus auctore: huc cum feriata iuuentus frequens conueniret, & inter illecebras corruptelarũ inceſtè ageret: ſtatuit Gallus Cæſar aliquod inijcere frænũ licentiæ; Daphnitici ſimul Apollinis ſuperſtitionem abolere, & quaſi Augiæ ſtabulum repurgare; itaque ex aduerſo eius fani ſacram ædem excitat; tum ſanctiſſimi olim præſulis Antiocheni Babylæ, qui pro Religione à Numeriano Cæſare necatus fuerat, vrnam in Daphnen tranſtulit; is Babylas iuſſerat ſe vnà cum catenis ſepeliri, tanquam aliquando ſibi vſui futuris: ſtatim atque ſacri cineres cum his vinculis in fano poſiti ſunt, vocalis antea obmutuit Apollo: ita Babylas catenis ſuis nõ modò ipſum quaſi captiuũ colligauerat, ſed fauces, & gutur ei obſtruxerat, & vocem interclauſerat. nihil acerbius tulit Iulianus, qui ſimulacrorum reſponſis ducebatur; præſertim Perſicum bellum mox initurus: igitur innumerabiles mactare victimas, aras excitare plurimas, omnia ſanguine fœdare, exta conſulere, fibras iecinorum inſpicere; cum nullum ederetur oraculum, rogat Apollinem, vti ſaltem ſilentij cauſam edat; edita tandem vox, ſed doloris, & querelæ: impedimento ſibi eſſe mortuorum cineres in fano conditos; ſenſit ſtatim Iulianus, neque enim ei ingenium deerat, aut vafricies, non alios Daphnitico dæmoni infeſtos eſſe cineres, quàm Babylæ triumphales; exhorreſcere illius vincula: itaque ſtatim extrahi iubet è fano, nec tamen auſus eſt diſperdere, aut aliquid inferre probri, veritus, ne qui Apollini Deo tam ægrè facere poſſet, multò facilius, & acrius in ipſum ſæuiret: comitittit igitur vrnam noſtris, vt aſportandam curent: conueniunt cum inſigni pompa tanquam è campo in Capitolinam ædem reportaturi victorem; interim in via pæana canunt, illum videlicet, quem magnus olim Vates cecinit, in quo carmine non ſine iuſtis execrationibus ignominia, ac perpetuo dedecore notat eos, qui exculpta Deorum ſigna venerantur, ijſque ſe iactant. vt reſciuit Imperator hoc epinicion à noſtris accini, quod videbat eludi ſua conſilia; nunquam immaniùs in iram exarduit: nam cum alias ſanguini parcere ſoleret, vtpote inuidus gloriæ occumbentium; hic potius Diocletianum agere conſtituit; ſed impedimento fuit expeditio Perſici belli: eædem Salluſtio mandat, qui tum præfecti magiſtratum gerebat; ille cum multos in vincula cõ-

Digitized by Google

iecisset; ex ijs vnum Theodorum nomine, adolescentem eximiæ, ac generosæ indolis, qui in epinicio canendo, quasi chori præcentor fuerat, producit; eum, præter alios acerbissimos cruciatus, ad stipitem tortorium suspendi iubet; tum corpus eorum acerrimè diuerberari, atque concidi: cum ille, perinde atque non certator, sed spectator eorum, quæ fiebant, ita nullam doloris significationem daret; immò verò idem illud epinicion, cuius causa lacerabatur, multò alacrior, ac lætior, quàm antea, constanter accineret: eum tandem defatigati lictores cruentum, & semineçem derelinquunt: obstupefactus magnitudine animi, ac virtute Sallustius Imperatorem adit, monet, nisi à nostris cruciandis, necandisque desistat, ipsis quidem laudem, & gloriam, sibi non nisi irrisionem, atque ludibrium parari. interrogatus autem à quodam Theodorus adolescens, num eas pœnas citra dolorem sustinuisset, quando tantum præsetulerat alacritatis? respondet, se quidem non sine sensu doloris fuisse, sed vnum è Superis apud ipsum assedisse, qui tenuissimo linteolo sudorem abstergebat; aqua & abluebat, & refrigerabat vulnera; ac præterea vim, ac robur animo sufficiebat, voluptatis quoque plurimum infundebat: ita Iulianus, dum Babylæ vrnam è fano extrahit, vt Apollinis accipiat oracula; & hunc mutum habuit, & aperta ora nostrorum ad triumphale carmen accinendum de superstitione deuicta. sed accessio quoque facta est portenti maioris; & Apollini atrocior calamitas, & Iuliano acerbior dolor inflictus: nam breui, post Babylæ vrnam extractam, repentinus è cœlo ignis illapsus, & tectum omne fani combussit, & ipsum Apollinis simulacrum mira arte effictum non prostrauit modò, sed redegit in cineres; columnæ, quæ fani propylæum, & porticum sustinebant, disiectæ. conati sunt Ethnici reos incendij nostros facere; sed & agricolæ, qui viciniam incolebant, se fulmen de cœlo delapsum vidisse testati sunt; & ab ædituo ipso plurimis cruciamentis extorqueri nulla vox potuit, quæ incendiarij indicaret. hoc videlicet egerũt extracti Babylæ cineres, vt esset Daphnicus Apollo cinis: mirũ, q cum locus esset lauro consitus totus, non pepercit fulmen Apollini, neque laureato: erat hoc simulacrum ornatum suis insignibus, lyra, & arcu, & stipatum choro Musarum: longum verò esset apponere naniam, siue monodiam, quam Libanius sophi-

Digitized by Google

sophista de eius simulacri iactura scripsit, in qua potius est deflenda tam elegantis ingenij, quàm tam impij simulacri iactura, quod id in rem tam indignam impenderit: visũ est & Chrysostomo eam neniam libris suis intexere, cuius partes omnes elegantissimè ipse, vt solet, & acutissimè carpit: dici non potest, quantus Iulianum dolor incenderit ex huius incensi simulacri casu; hinc enim petere solitus erat oracula; quibus tunc maxime se egere putabat, cum esset bellum Persicũ aggressurus: destitutus igitur Apolline Daphnitico, consuluit Delphicum, preter Dodonæum; non modò impiè fecit, sed dementer, ac stultè; nam, vt erat in historia versatus, non ignorare debuit, quàm multos sæpe fraudulentæ illæ vaticinationes illaqueassent: responsum est, ipsum & apud Tigrim fluuium fore victorem; & Deorum, inprimis verò Martis ope iuuandum: carmen id fuit non minus fastu, quàm fallacia plenum.

Dique, Deæque omnes nunc surgite, sumite & arma,
Atque fero certum de flumine ferte trophæum.
Dux ego vester ero Mars sæuus belligerator.

Tigrim fluuium Pythia nominauit Iuliano fatalem, quem fluuium alij à bellua eius nominis, quod rapidissimè feratur; alij à sagitta, quod velocissimè, dictum putant: certè apud ipsum Iulianus in venabula, & tela hostium incidit: tigrides verò ipsas immanitate vicit, etiam hircanas, cum Religionem parentem quasi vnguibus lacerauit: eiusmodi igitur vaticinationibus deceptus miser victoriam somniabat, eaque inani fiducia se ad Persicum bellum contulit: Carras cum exercitu venit: in Iouis templo victimas immolauit, exta consuluit: infausta omnia inuenerunt aruspices. accessit ad hæc vafer quidam, & pernicios impostor, Maximus nomine, qui postea à Valentiniano vt prestigiator sublatus est nece: hoc auctore in animum induxit, se Alexandri magni gloriam vel exequaturum, vel potius superaturum: putauit secundùm Pythagoræ fabulas de migratione animorum ex vno corpore in alterum, Alexandri animum in ipsius corpus immigrasse, immo verò se in altero corpore ipsissimum Alexandrum esse, ac proinde bello insuperabilem fore; barbaras nationes, & vltimos Indorum fines victorijs peragraturum; sed hoc tantùm commune cum Alexandro habuit, quod extinctus febreni, annum

Digitized by Google

num agens duos supra triginta: Carras igitur cum exercitu venit: Iouis templum adijt, aras victimarum sanguine imbuit, exta consuluit, ac cætera huiusmodi superstitiosè peregit: multa in expeditione hac Persica se obtulerunt infausta; & illa ipsa, quibus erat addictus, in omen versa: nam cum hostias Marti pararet Victori, ex tauris decem ad hoc perductis, nondum aris admoti sponte nouem procubuere tristissimè; decimus verò, qui defractis vinculis ægrè reductus est mactatus, ominosa signa monstrauit: obseruari autem solitum à sacrificulis, vt si hostia, quæ ad aras duceretur, fuisset vehementius reluctata, ostendissetque se inuitam altaribus admoueri, amoueretur: quo viso exclamauit indignatus acriter Iulianus, Iouemque testatus est, se nulla deinceps Marti sacra facturum; nec resecrauit, quippe celeri morte præreptus: huc recidit illa de Marte prædicatio, illa cum Marte communio gloriæ; ipsi enim coniunctū pingi se in tabulis, ac militaribus signis iusserat; fassus est tandem nihil posse Deos, quos victimis solùm facilè propitios reddere conabatur. Euphrate quoque transmisso triste illi omen occurrit, exanimum cadauer apparitoris extincti manu carnificis. nec minus illud infaustū putatum: Sole vergente in occasum, & parua nubecula subitò aere obducto, visus amittitur lucis; post crebra tonitrua, & fulgura, Iouianus nomine miles cœlo tactus cum equis duobus concidit, quos potu satiatos à flumine reducebat: accersiti aruspices, interrogatique, id vetare procinctum constanter affirmant; fulmen consiliarium esse mostrantes (ita enim appellabant fulmina, quæ suaderent aliquid fieri, vel contra.) ideoque hoc magis cauendum, quòd miles celsi nominis, Iouianus videlicet, cum bellatoribus equis eo fulmine esset extinctus: quomodo contacta loca nec intueri, nec calcari debere fulgurales pronunciarent libri: quamquam non deerant, qui palpum obtrudentes, incrementa potius Imperatori portendi dicerent gloriæ, quod flammæ proprium sit lumen, & splendor: ita inter curas ancipites iactabatur; quo in genere quies ipsa inquieta illi fuit: noctu enim videre sibi visus est squalentem omnino speciem Genij publici, vt ipse dictitabat, quam aliàs se conspexisse fatebatur; hunc verò per aulæa tristius discedentem. istiusmodi ludificationibus vi communis hostis agitabatur; quamobrem relicto cubili ad sacra depulsoria cō-

fugit;

Digitized by Google

fugit; & superstitiosas preces: cum repente flagrantissimam facem cadenti similem videt, quæ aeris parte sulcata mox euanuit; enimuerò totus horrore perfusus est; existimauitque minax fuisse Martis sidus: erat autem nitor igneus, quem διάστατα Græci appellant: confestim itaque ante lucis primitias Hetruscos aruspices accersiti, cõsulitque, quid astri species portenderet noua: respondent, vitandum esse cautissimè, ne quid tunc tentaretur, ex Tarquinianis libris arcanis id relatum esse demonstrantes, quod face in cælo visa committi prælium, vel simile quicquam non oporteat: nimirum obiecta fax est Iuliano, quòd nihil leoni, quem ille impietate superba imitabatur, infestius sit, quàm proposita fax ante oculos: ac certè coniectores ipsi, quibus fidem habebat, per eam belluã id significatum interpretati sunt; cum enim iter faciens militari cuneo occurrisset; & quid afferret prædæ, scisciatus esset; oblatus est imanissimi corporis leo, qui à militibus multiplici telorum ictu confossus ceciderat; quo cum Imperator velut omine prosperioris spectaculi se efferret, exultantiusque incederet, aliorsum Principis euentus, atque ipsius Iuliani cædem portendi aruspices dixere. accessit & aliud, quod putatum est mortis ostentum: cum emensa nocte, iumentum, quo vehebatur ex vsu, poposcisset; oblatus est equus, Babylonius nomine, qui in ipsius conspectu statim ictu terroris consternatus, dum doloris impetu volutatur, distinctas auro, lapillisque phaleras, ac cætera ornamenta compressit, atque protriuit: at Iulianus hæc dissimulans, in suamque flectens sententiam, significare id sibi ducebat, Babyloniam ornamentis omnibus spoliatam humi procidisse: cum contra sentirent aruspices, licet assentando ipsi subscriberent: Chami etiam cum esset, territus est insomnijs horrificis, quibus ipse sibi præsagiebat interitum: cum enim Lunæ, quæ ibi religiosè colebatur, sacra faceret, Procopio, quicum erat necessitudine coniunctus, paludamentum purpureum ante aras obtulit, mandauitque arripere fidentius principatum, si ipsum interijsse didicisset apud Parthos, ac Persas; agitatus quippe insomnijs, euenturum sibi triste aliquid præsagiebat; quocirca & ipse, & visorum interpres præstitutum diem obseruari debere pronunciabant: verùm, vt compertum est postea, eadem nocte, quam habuit horrificam, & curis æstuosam, Palatini Apollinis

Digitized by Google

nis, quem colebat, templum Romæ conflagrauit: ita illo Lunæ cultu hoc consecutus est, vt noctes, quibus Luna præest, haberet insomnijs graues, & molestas: quanquam hæc contemni poterunt, quia veteris Hetruriæ diuinationibus, & ariolorum, coniectorumque ineptijs nitebantur; illa tamen, quæ nostrorum prædictionibus, ac præsensionibus significata diuinitùs sunt, quantum haberent roboris, res ipsa, & euentus ostendit: erat tum Antiochiæ ludi magister è nostra disciplina vir facilè optimus; ab hoc Libanius, qui id temporis inter doctores primas, inter impios non vltimas tenebat, ac Iuliani victoriã præstolabatur, quæsiuit, ecquid tandem rerum ageret fabri filius? ita *Dei* filium per iocum, & *Iudibrium* appellauit; tum ille diuino planè instinctu: Iuliano, *inquit*, tuo loculum, ac feretrum fabricat: nec multò post allatus est nuncius de illius nece, & cadauer ipsum elatum loculo. Iam à præsensionibus ad rem ipsam gestam veniamus: incredibile dictu est pariter, & horrendum, quantum in hac expeditione Persica Iulianus impietatis ostenderit; armauit se omni scelere, magicis artibus, ac præstigijs: deuouit Erebo se, suosque. spelunca quandã subijt, ac subterraneum locum, vbi quàm immania, quam execranda operatus sit sacra, foribus occlusis, & consignatis, appositaque custodia, tunc dicemus, cum eo interfecto referata sunt. perhorrescit animus id referre, quod Gregorius Nazianzi præsul affirmat: (Duplicem, inquit, Iulianus conscripsit, ac mouit exercitum, alterum militum, cacodæmonum alterũ, à quibus ducebatur, & in quibus maior ipsi fiducia sita erat:) sexaginta quoque millia armatorum hominum delectu habito numerauit, sed hic Stygiorum militum innumerabilis fuit: quò admirabilior, ac præstantior fuit Religionis nostræ triũphus, quæ & draconarios peruicit, & dracones: declarata vis eius est nobili facto. habebat Iulianus ex tartareis illis militibus vnum maximè familiarem, quo vtebatur vt emissario, vt apparitore, atque cursore, immò etiam vt exploratore, quid ageretur apud hostem: in Persidem igitur arma moturus, hunc mittit indagaturum, delaturumque quæ nosset; neque enim cuipiam hominum negotium tantum committi posse videbatur; quippe tã occultè res agi solebat apud *Persas*, vt silentium etiam pro numine haberent: missus igitur tartareus speculator cum ad locum quendam peruenisset, vbi

Digitized by Google

vbi vir quidam Religioſiſſimus verſabatur, Publius nomine, repente ſubſtitit, nec vltrà progredi vel auſus eſt, vel potuit: decem ipſos dies in ea mora conſumpſit: tandem re infecta ad Iulianum redit: cauſam ille ſciſcitatur tam longæ moræ, cum alias volucri curſu cuncta peragere ſoleret: reſpondet, ac fatetur, non modò ſibi moras allatas, ſed re infecta, nec ſine ſummo dedecore reuerſum: incidiſſe videlicet ſe in precantem quendam virum, ac Deo ſupplicem; eum ſibi tanquam murum fuiſſe oppoſitum, ne vltrà procederet; expectaſſe dies plures, dum ille à precibus deſiſteret; ſed pertinaci conſilio perſeueraſſe, atque omninò aditum præcluſiſſe. aderat cum Iuliano vnus è purpuratis, eius conſiliorum particeps, & familiaris; is prorſus obſtupuit, cumque ſe collegiſſet, non modò auguſtali, ſed propriis relictis laribus, atque ampliſſimis opibus in egenos diſtributis, ad Publium ſe confert: ei ſe totum penituſque tradit; eiuſdem diſciplina, & inſtitutis viuere aggreditur: quid enim magis mirandum, quàm ſatellitem Ditis, non modò vafritia, ſed viribus inſignem, immò omni pugilum robore ſuperiorem, & immortalem, vnius hominis inermis virtute ſuperatum? timuiſſe manus non telis inſtructas, ſed in cœlum ſublatas; non ſanguinolentum militem, ſed lacrymantem; repulſum vt inertem, fugatum vt timidum. potuit certè vel hæc vna res tam prodigioſa mouere Iulianum, quæ ipſius purpuratum mouit; ſed quid conſilij cepit? quò ſe vertit perfidus? comminatus eſt, ſe poſt confectum Perſicum bellum, & Publium, & omnes, qui religioſè viuendi genus amplexi in aſceterijs viuerent, perditurum: deuouit Inferis infanda execratione Chriſtianum ſanguinem, ac gentem noſtram ferro. interim quendam è noſtris immolare ſtatuit, Demetriũ nomine, virum incredibili conſtantia præditum, à quo ipſe ſæpe de impietate, de perfidia, de præſtigijs acri ſermone caſtigabatur: addidit eius auditores duos, quos item lapidibus feriri iuſſit: his hoſtijs ſe optimè litaſſe putauit, quòd ſciret Dijs ſuis, nihil gratius noſtrorum cæde; & quoniam Demetrius hic erat ex Perſide, nihil auſpicatius eſſe exiſtimauit, quã ſi Chriſtiano Perſa necato, præluderet neci Perſarum: ſed contra quàm ſibi perſuaſerat, accidit; ac potius iam tum vinci cœpit à Perſa, virtute, atque conſtantia; mox Perſicum hunc ſanguinem pro Perſis pugnantem, ſibique aduerſantem meritò

Digitized by Google

sensit: Euphrate igitur nauali ponte transmisso, ac Tigridi iuncto, ad tutiorem nauium stationem, & commeatum, ecce tibi vnus è gente Persarum veteratorum egregius, quem Zopyrum alterum, aut Sinonem dixeris: hic grauibus quibusdam in Persarum Regem offensionis causis concinnatis, ac fictis, Iuliano sponte se offert, operam pollicetur suam; expeditum, ac promptum victoriæ modum docet: nauticum apparatum valere iubeat, immò prorsus deleat, atque incendat; impressionem fieri posse in hostem faciliore via, ac tutiore, cuius se profitetur Ducem; cum nemo regionem Persidis ita calleat, vt ipse Persa. iam tempus aderat, vt præda in laqueos se indueret: fidem habet hosti, ipse Religioni perfidus classem, & frumentum igni tradit, vt victoriam sine negotio assequatur, & sine pulvere; sed iam tum sibi ipse, ac suis extruxit rogum: circumducitur igitur à Sinone illo per inuia loca, tanquam per compendia viarum; atque vbi Imperatorem cum exercitu, eiusmodi labyrintho implicuit, clàm arripit fugam; tum demum ille animaduertit, se circumuentum fraude: hæsit protinùs inops consilii, & omni spe destitutus: nullum patebat effugium: salutis ratio nulla; miles partim mœrore, partim fame, & siti enectus erat: cùm repentè Persarum acies armis instructa, nec opinantes inuadit, impetum facit; qua re concitus Imperator, oblitus loricæ, scuto vix inter tumultum arrepto, cetcrùm inermis properat vltimis ferre suppetias; sed reuocatur alio motu, dum etiam antesignanos eadem perpeti nunciatur; quæ dum reparare festinat, ex altera parte cataphractorum Parthicus globus centurias adoritur medias, ac sinistro cornu inclinato acriter superfusus densis missilibus certat, ingenti elephantorum strepitu augente terrorem: Iulianus dum incautè, ac temerè, vt erat inermis, sese effundit in pugnam, interim subita acie ferri, incertum primò, cuius opera, perstringitur; hæsit ferrum perfossis costis in ima iecoris fibra, quod dum euellere dextera manu conatur, eius acie digitorum neruos sensit excisos; prouolutus iumento, veloci cursu semianimis refertur in castra; nec verò collineare quisquam rectius poterat, quàm impij hominis ilia transuerberando, & iecur feriendo, tum quia inuido nostræ gloriæ ilia rumpi debuerunt; tum quia superstitiosè victimas etiam humanas immolando, exta, & iecinoris fibras consulebat; meritò, etiam acie ferri digitos sibi ipse excidit, & cruentauit,

Digitized by Google

tauit, quibus videlicet digitis calamum non minus impiè, quã gladium aduersus Religionem scribendo distrinxerat: de auctore necis variè disputatum est; non defuerunt qui Saraceno cuipiam egregiam hanc laudem arrogarint; alij a ridiculo quodam barbaro, ac scurra factum perpetratum dixerunt. quidam ita de eo commemorarunt: Cum in sublimem tumulum ascendisset, vt velut è specula lustraret exercitum, quantusque bello superfuisset, cognosceret; cumque magnas copias perspexisset; ac præuidisset graue sibi esse, ægrèque posse, nec sine magno suo labore multitudinem tantam ad Romanas vsque terras referre, subsistendi consilium apertuisse. ijs verbis inflammatum quendam militem, iraque præcipitem, quasi communis salutis inuido in viscera ferrum intorsisse; hostem certè percussorem non fuisse. vel illud indicium facit, quod è Persarum numero nemo vulneris eius nomine se iactarit, licet rex Sapores per præconem, percussorem eius euocasset, pollicitus ingentia auctori præmia. Callistus, qui Iuliani facta heroico versu complexus est, dubitauit hæc canere; tametsi eum scilicet, vt herum suum honore prosequeretur, a cacodæmone vulneratum occubuisse dicat; ac fortasse id, vt quidam è nostris scripserunt, verum fuit: non paucos enim impiorum Erinnyes ipsæ tædis ardentibus insecutę vlcisci sunt solitæ. At verò quemadmodum verissimũ, & cõstantissimũ vbique obtinuit fama, vindicta diuina Iulianum trucidatum esse constat; percussoresque eius Cælites fuisse hac ratione declaratum est. Quidam ex necessarijs, & familiaribus Imperatoris ad ipsum profectus in Persico hoc bello, appetente nocte, cùm alterius domicilij copiam non haberet, in ædem sacram concessit; atque ibi vigilanti potius, quàm somnianti maius omni admiratione spectaculum datum est; visus est enim adesse in conuentu, choroque Cœlestium, inter quos Religionis princeps Petrus emineret; quem circumsisterent ij, qui purpuram suo sanguine imbuissent, exquibus erant Artemius, & Mercurius: hic in Deciana procella pulchrè ceciderat, ille a Iuliano ipso in eadem Religionis causa cæsus. agebatur in hoc amplissimo Cœlitum Senatu de medendo tot, tantisque vulneribus ab impio paricida inflictis. execrabantur omnes inuisum caput; de contumelijs, ac damnis conquerebantur; cumque dies, noctemque ad eum modum deliberassent, & quid facto opus es-

Digitized by Google

set, quæsissent: consurrexisse visi sunt Artemius, & Mercurius; atque hanc prouinciam sibi depoposcisse, vt vltores tantorum scelerum essent: hæsit ille attonitus, & quia rem penè oculis perspexerat, habuit fidem visis; ab incœpta profectione destitit; tum iterum quasi per quietem oblatus est cœtus ille Cœlestium; eosque, qui antea magno studio properantes abierant, pœnas de Iuliano sumpturi, cum alacritate reuersos more victorum; alijs celerrimè nunciant, desertorem, ac perfidum Iulianum interfectum iam in prælio corruisse, ac deinceps omnia futura trãquilla. Est porrò his, quę dicta sunt, simillimum, quod Basilij magni successor Helladius scripsit, cuidam præstanti pietate viro accidisse: is cum ante tabellam, in qua & magnæ Dei matris Virginis, & Martyris illius inuicti Mercurij effigies depictæ simul erant, mœstus, & flens de impietate Imperatoris expostularet, & iusta quadam iracundia, pœnas deposceret, Mercurio mandatum, vt vltor existeret: quod certè factum non est. ita cursim prætereundum, vt respectando non animaduertere liceat arcanum quiddam: videlicet consultò, & accommodatè satis Iuliani percussorem fuisse Mercurium martyrem: quippe impius hic desertor Religionis, ac perduellis ex toto illo falsorum Deorum numero Mercurium maximè coluit; nam & in militaribus signis, ac tabulis vnà cum illo pingi voluit; & quod superstitionis magnitudinem arguit, intempesta nocte consurgens, occultè Mercurio supplicabat; hunc enim Mundi velociorem sensum esse, ac motum mentium suscitantem putabat: aptè igitur Mercurij cultori Mercurius martyr oppositus est, qui de impio homine pœnas expeteret: at verò Gregorius Nazianzi præsul etiam beatas illas mentes à corporum concretione secretas in Iuliani necem conspirasse scribit: (Omnis, inquit, cœlorum virtus, omnes Angeli testes sint, quorum opera Tyrannus extinctus, atque oppressus est: non exigui illi Amorthæorum, Basanorumque Reges, sed Draco ille, & communis omnium hostis, cum multo furore debacchatus in terris, & multa impiè eiaculatus in cœlum.) & sanè constat sibi Gregorius; nam cum dixisset, à Iuliano duplicem exercitum fuisse conscriptum, alterum bellatorum hominum, alterum magicis artibus cacodæmonum; aduersus hunc certè beatarum mentium inuictas legiones armari oportuit. Quid quod multi ex Ethnicis ipsis

id

Digitized by Google

id sibi persuaserant, non humanis viribus Iulianum occubuisse, sed vltione diuina? narrat enim Hieronymus, se, cum adhuc puer in literario exerceretur ludo, nũciata illius morte, audiuisse ex Ethnicis vnum, scitè, & falsè dicentem: (Ita nè verò Christiani Deum suum patiẽtem mitem, & ἀνεξίκακον faciunt? cum contra nihil esse acerbius, constet, atque atrocius; quippe qui infensum sibi Iulianum in ipso flore ætatis statim è medio sustulit, nec indignationem distulit suam.) Sed quid aliorum testimonijs nitimur, cum ipsemet Iulianus moriens agnouerit Numen iratum? ferunt enim ipsum, simul ac plagã accepit, cauam manum protinùs sanguine impleuisse, oculisque sublatis, tanquam præsentem vindicem cerneret, eum sanguinem in cœlum coniecisse, furenti simile; vsurpatis illis vocibus, summa cũ acerbitate animi editis: (Saturare Nazarene;) itemq; illis (: Vicisti, Galilæe, vicisti:) deinde rabiẽ versus Deos, quibus se totum addixerat, effudit, de eorum perfidia conquestus: Martem bellicosum, ipsi, vt promiserat, auxilium minimè tulisse; Apollinem falsa vaticitatum esse; Iouem fulminantem nõ præstò fuisse. execrabatur frustra à se Numina implorata; deuouebat ingrata, quæ tot fanis ornasset, atque ditasset, quibus tot sacerdotia instituisset, seque ipse pontificẽ initiasset; tot immolasset victimas, hecatombas multiplicasset; quibus pridem de Christianorum cruore nuncupasset vota solemnia; tot denique, tantisque rebus promeritos Deos experiri iam sibi contrarios. enimverò acerbissimè ferebat, Palladem, & Martem ab hostibus stare, victoriam illos sequi: Mercurium cum talaribus anfugisse; Isidem, siue Lunam à se cultam sempiternę noctis horrorem offudisse; publicum ipsum Genium abscessisse; nullum sibi Deorum adesse præter Pallorem, Pauorem, Pœnam, Necessitatem, Violentiam, Inuidiam, Erinnyas, Mortem, & siquæ sunt alia huiusmodi siue nomina, siue monstra, quæ nequicquã ipse depulsor è castris suis auertere, atque abigere tentasset: cum Sole maximè conquestus esse dicitur, iacto in eum cruore vulneris; natalisque horæ suæ præsidem, quem ὡροσκόπον Græci vocant propter astronomicum quendam ambitum, accusasse, quod Persis opem tulisset: ac probè sanè coactus est in Solem iacere non contumeliam modò, sed sanguinem, quem Solem vt sibi conciliaret, Conditori posthabuit, hymno in ipsũ, ac laudatione conscripta, cuius etiã

se

se filium Mercurij sententia declaratum dicebat: hoc tantùm verè, quod curruum imperij malè regens deuio errore est actus in præceps. Ferunt etiam, antea eum in somnis, cum esset Antiochiæ, vidisse iuuenem quendam flauo capillo, qui diceret, ipsi in Phrygia moriendum esse: itaque inuictum se, ac prope immortalem existimabat, quandiu abesset à Phrygia, quæ regio est minoris Asiæ: ictus igitur, cum eos, qui aderant, interrogasset, quod nomen ei esset inditum loco, vbi iacebat, ac responsum fuisset, appellari Phrygiã, exclamauit: (ò Sol, Iulianum perdidisti:) hæc expostulantem, & magno cum furore querẽtem Sol destituit, & eius lucis vsura: ita penè eodem infelici fato defunctus est, quo Herculem furentem produnt, qui apud Oetham montem in loco, qui item Phrygia dicebatur, consumptus est: huc Iulianum deduxere præstigiæ, huc eius in nostros minæ reciderũt; acclamatum est à bonis: (Vicit Deus, & Christus eius:) At verò præterẽdum non est vltimum summæ eius dementiæ argumentum: cum enim execratus esset Deos omnes, eosque mendacij arguisset, Deus ipse haberi voluit, tunc videlicet, cum maximè se mortalem videbat. iacebat in ripa fluminis agens animam, cum hæc agitare cœpit de adsciscenda sibi diuinitate consilia: sciebat nonnullos veterũ, vt humana conditione maiores censerentur, artibus quibusdam ex hominum oculis clàm se subtuliſſe, ac pro Dijs habitos: ea fraude Romulus diuinos sibi honores comparauerat, Empedoclem quoq; in Aetnæ faucés hic ardor sponte coniecit, vt non inuentus putaretur abijsse ad Deos: eiusdem igitur gloriæ cupiditate incensus, & simul quod tali mortis genere interire propter temeritatis ignominiam erubesceret, quid molitur? quid agit? neque enim vna cum vita improbitas extinguitur: in profluentem corpus abijci iubet, ad eamque rem nõnullorũ operã, quos maximè fidos, arcanorumque conscios habebat, adhibere conatur; quod nisi quispiam è spadonibus Imperatorijs id præsentiens, sceleris sui odio, & execratione alijs prodens, huic conatui obstitisset, nouus vtique ex calamitate Deus recordibus populis extitisset Iulianus: sed quantum abesset à Dei natura, post mortem maximè declaratum est, cum de eius furore sublato metu, patuerunt etiam clandestina scelera, & latebræ flagitiorum; quo tempore neque in hominum numero reponendus est visus, qui crudelitate bellua

vicis-

Digitized by Google

vicisset, perhorrescit animus, ac reformidat ea commemorare, quæ pro comperto tradunt: mitia, ac lenia sunt præ ijs, quæ de Busiride, de Scirone, de Procuste vel historiæ, vel fabulæ produnt. apertum est post eius obitum Carris specus, quòd magica sacra facturus intrauerat, cuius fores seris occlusæ erant & consignatæ, apposita etiam custodia: inuenta ibi est muliercula capillis suspensa, extensis manibus, cuius ille viscera per summum scelus, vtero diuecto, rimatus fuisset; victoriam scilicet de Persis suam ex occisione discere cupiens. Antiochiæ item in ipsa regia multæ arculæ inuentæ humanis capitibus plenæ, multique putrei cadaueribus oppleti: nam & innumerabiles prægnantes dissecuerat, vt fibras fœtuum inspectaret; & multos infantes iugulatos ad bases simulacrorum defoderat: magnum alium quoque gregem ratione præditorum animantium diuersarum ætatum varijs mortis generibus sustulerat, Neptuno, ac Dijs manibus sacra facturus; vt etiam si, quod optabat, ipsius cadauer in profluentem proiectum esset, tot, tamque inexpiabiles maculas eluere vnda non posset. cum igitur diris omnibus execrãdam animam exhalaisset, noluerunt Superi expectare, dum fama pernicibus licet alis instructa rem proderet; sed ipsi tanti boni nuncij, ipsi fuere curiores, famamque velocitate præuenerunt. erat tunc Didymus philosophus Alexandriæ in merore maximo positus, quod sub perfido Imperatore tot, ac tanta Religionis damna videret; quapropter & victus parsimonia, & assiduis precibus rem Numini commendabat; post longum squalorem, & sordes, & vim vberem lacrymarum, sopore correptus, videre sibi visus est candidos equos per aerem discurrentes, ac tanquam è recenti victoria redeuntes; tum qui eis insidebant equites, iubere ipsum bono, & læto animo esse, Iulianum ea ipsa nocte cæsum: id ipsum Athanasio significatum; cum enim è pontificia sede deturbatus est, vaticinatus dicitur, eam nubem, ac procellam breui transituram. Nec minus admiranda fuit illa species de Iuliani nece oblata religiosissimo cuidam viro, nomine item Iuliano, cognomento Sabæ, qui cum eodem, quo Imperator est cæsus, tempore ob inflicta ab impio paricida Religioni vulnera in magno luctu esset, repente abalienatus est à sensibus: deinde cum eos iterum collegisset, interrogatus à suis, qui obstupefacti circumsistebant,

Digitized by Google

bant,ecquid accidisset?respondit, diuino monitu certiorem se factum,Iulianum in Persida cecidisse. notatum est tẽpus, compertum est ea ipsa hora rem gestam; ita alterius Iuliani lacrymis factum est,vt alter effunderet sanguinem:ille abstractus à sensibus, hic extractus è vita: habuit opportunè tunc Christiana Religio, quem opponeret furiæ illi, ac pesti. Ac ne à nostris viderentur ista ficta, Ethnicorum ipsorum testimonio confirmata res est:ex ijs vni,qui Antiochiæ versabatur ex Iudicum ordine,cum iuxta prætorium excubaret, miranda quadam specie visa esse dicitur congeries quædam in cœlo stellarum, quæ litteras efformarent in hanc sententiam:(Hodie in Persida Iulianus occiditur:)& rem,& tempus probauit qui consequutus est nuncius: dignum certè prodigium, quò quisque animum aduertat:nam homini iudicia in terris exercenti, ac de tribunali ferre sententias solito aptè indicata est de nequissimi Imperatoris nece sententia; ac ne esset obscurior,illustribus descripta notis,ac prænunciata de cœlo, vnde iustitia est, quam veteres Astræam, siue Nemesin dixere vltricem scelerum,ex alta quadam veluti specula terrena omnia despectantem. porrò ethnicum illum Iudicem ea specie ita commotum ferunt,vt ad nostra signa statim se contulerit. Atqui tam tetram,immanemque belluam,tam turpe monstrum, tot nefarijs vitijs inquinatum,non defuerunt ex Ethnicis, qui fictis encomijs ornarent. in primis Libanius sophista funebrẽ de eo laudationem instituit:sed huic Nazianzi præsul Gregorius orationes opposuit duas, quibus acerrimè in Iulianum inuehitur;extant illę, vt ipsemet orator appellat, tanquam columnæ duæ de illius sceleribus inscriptæ sempiternis ignominiæ notis; easque dicit columnis Herculis longè sublimiores, atque insigniores, propterea quod illæ vno duntaxat in loco sint fixæ,hæ velut agitabiles omnibus,vbique perspicuæ sint:est verò vna ex præcipuis illa cõtumeliæ nota,quã ei meritò inurit,cum exardescẽtẽ ira in nostros similem Aetnæ mõti incendiario facit(:Quẽadmodum,inquit, Aetnæum ignem narrant Aetnæ radicibus cõdi,infernè exundantem,violenterque retentum, atque compressum: siue hoc aliud quippiam sit,siue anhelitus excruciati gigantis,de more quidem horrendum quendam sonum ex ima parte edere,fumumque propinqui mali indicem vertice suo euomere; quod si fortè exube-

ran-

Digitized by Google

rantior fuerit, nec vlla vi retineri queat; tum verò finibus suis æstu vehementi extrusum, sursumque tendentem, ac supet. spiracula sua sese effundentem, nonnullas quoque subiacentis terræ partes incredibili illo, atque horribili flammarum diluuio peruastare: eodem item modo Iulianum considerare licet, aliquantisper quidem ita res nostras incommodis afficientem, vt non omnem expromat iram: cæterum si quando furoris impotentia exuberet, tum animi improbitatem premere, tectamque habere non posse; sed aduersus diuinum ius, disciplinamque nostram aperto Marte grassari, vt enim edicta aduersus ædes sacras, & donariorum depræda tionem non minus ab auaritia, quàm ab impietate manantem, & suppellectilis sacræ direptiones profanis manibus indignè, contumeliosèque tractatæ præteream; vt etiam sileam sacrorum Antistites, iisque subiectos grauissimè affectos; vt omittam columnas nostrorum cruore respersas, horum manibus, atque complexu, dum virgis concideren tur, per vrbem cinctas; vt etiam sagittarios per regiones, & Vrbes discurrentes, atque ipso etiam edictorum auctore acriores, & immaniores (quò nostros videlicet pro Persis, & Scythis, aliisque barbaris subiugaret) vt hæc inquam omnia prætermittã, eccui ignota est Alexandrinorum sæuitia, qui licentia temporis immodicè vsi, præter alia multa nefariè acta, sacrosanctum nostri Numinis templum duplici cruore implerunt, victimarum scilicet, & hominum: quod certè non nisi Imperatorij cuiusdam Philosophi, Pithiodorus hic fuit, ductu, & opera perpetratum scimus; ecquem Heliopolitarum improba conspiratio latuit? ecquem Gazeorum immanis audacia, aut Arethusiorũ furor? has, aliasque Gregorius de Iuliano ignominiæ notas, orationibus illis, quas ipse columnas vocat, inscripsit. Atqui his tot, tantisque sceleribus illam Iulianus adiecit fraudem, vt nostrorum gloriæ inuidens, quæ adhiberet supplicia, alia quauis quã pietatis causa, siue à se, siue à suis ministris ingeri fingerentur: quanquam non ita diu, vt de Aetna dictum est, latentem furoris flammam premere, ac tegere potuit: ad extremum enim bellum Persicum aggressurus, aperta execratione pro victoria deuouit Christianorum sanguinem; quo consilio amphitheatrum Hierosolymis extrui iusserat; vt reuersus à bello, & gratam rẽ Dijs facturus, nostros omnes, in primis verò Basilium,

Digitized by Google

& Gregorium, cæteroſque ſanctiſſimos Præſules famelicis beſtijs obijceret, ſpectaretque laniandos: eam ipſe Vrbem delegerat, vt vnde ortum Religio habuerat, ibi extingueretur, ac deficeret: adeo execrabile, & internecinum illi indixerat bellum paricida nefarius. illud verò quis non miretur? q tam breui tempore, biennium enim imperauit, tot incommoda intulerit; tanta vis exitiorum ab ipſo manarit, quantam vix decennio Deciana tempeſtas attulit: vt etiam in hac ſimillimus Aetnæ fuerit Iulianus, cuius flamma per ſubiectas regiones ſubito impetu latè diffuſa cuncta vaſtauit. indoluiſſe noſtris malis viſa eſt parens ipſa Natura: toto illo biennio ſqualida, & mœſta fuit Mundi facies: nunquam tantus calamitatum concurſus eſt factus: ſiquidem terra ingenti motu concuſſa effecit, vt neque domi homines tutò manere poſſent, neque ſub dio verſari. apud Alexandriam mare tam vehementi æſtu concitum, & vltra fines ſuos progreſſum, vt continentem terram eluuione demerſerit, tamque altè increuerint fluctus, vt in tectorum tegulis ſcaphæ marinæ ſint repertæ; quamobrem Alexandrini ab eo tempore, quo regreſſum eſt mare, edixerũt, vt dies peragerentur feſtus; faces multæ in Vrbe accenderẽtur; carminibuſq; & gratiarũ actionibus irã Numinis ſupplices placarent, anniuerſariamque celebritatem inſigni pietate, ac religione obſeruarent: contra verò aridum, & æreum cœlum negauit imbres; itaque ſiccitate nimia fruges perierunt, acerbiſſima fames immenta, poſtea homines adegit: conſequuta quoque peſtis eſt inmaniſſima, qua interierè quamplurimi: diceres infectum aerem inquinatiſſimo illo Iuliani ſpiritu, nec antea correctum, quàm cum hunc expulit. reliquum igitur eſt, vt aliquid de ſepultura dicamus: ea digna perfido deſertore fuit; deſtitutus enim à ſuis, pollinctores, ac libitinarios nactus eſt, ſcurras ac mimos, qui eum cum omni ſcenica fœditate extulerunt, funuſque proſecuti ſunt tibijs canentes, & ſaltitantes; Religioniſque abiurationem, belli cladem, & mortem ipſam probroſè ei obijcientes; ita qui tantas in nos tragœdias excitarat, ridiculè, & comicè eſt elatus. demum Tharſi conſtiterunt, vt eum tumularent: at ò vim irati Numinis formidãdam, cum humum effodiſſent, vrnaque eũ recõdidiſſent, ſtatim cõmota tellus eſt; execrabile, & abominandum cadauer à ſe excuſſit, reiecit, expuit: ſic exhorruit

etiam

Digitized by Google

etiam examinum: nimirum & serpentem post necatum hominem aiũt à terra nõ recipi; quamobrẽ & nos quoq; auersati eius aspectum, ad alia properemus, quæ & si habent nonnullam feritatis, non tamen tantum potestatis.

PERSECVTIO DONATIANORVM.

MAgno planè malo Religionis accidit imperium Iuliani, cum ob cætera scelera, tum ob reuocatos ab exilio Donati asseclas, quo illos superiores Augusti damnarant. inquietum prorsus, ac turbulentum Christianæ reipublicæ genus hostium redire hos præcepit Iulianus pro suo voto, quos videlicet intelligebat ad omnia permiscenda non sine furore esse venturos: eodem edicto his libertas est reddita, quo patefieri iussa sunt fana Deorum. statim igitur ac Imperatoris præsidio fulti sunt, quàm possunt validissimo in nostros impetu ruunt, grassatorum more, atque prædonum; coniurati vt veram Religionem non modò prauitate doctrinæ violent, sed lacerent ferro, subtiles in fraude, immanes in cæde multos ex optimatibus vel de paternis focis, vel de pontificijs sedibus exturbant; tum conducta manu inuadunt in templa; si quę inueniunt obserata, ascendunt culmina, tecta demudant, propugnatores ararum lapidibus appetunt, contundunt, cruentant, interimunt multos. quid apud Mauritaniæ ciuitates? eò missi Vrbanus quidam, & Felix, verbo quidam ita dicti, reuera alter non solùm inurbanus, sed immanissimus; alter scelere miserrimus: duæ veluti faculæ à furijs incensæ sacra quæuis loca, quibus adhæserint, vastant: honestissimæ matronæ è penetralibus extractæ, infantes è matrum sinu, atque complexu extorti minis, vi, ferro; quod autem est omnium indignissimum, in aram præcipuam sacrilegas manus afferunt, diuinam dapem per summum nefas ex adytis extrahentes, tam famelicis canibus proiiciũt. enimuerò hic iusta Numinis ira se continere non debuit; acerrimè, ac statim vlciscitur; perciti canes rabie in heros ipsos insiliunt, tanquam in ignotos, ac fures la-

An Christi circiter 362.

Digitized by Google

tratu exagitant, vrgent; dente, morsuque dilacerant: neque enim vt heri habendi erant, qui vniuersitatis Dominum non modò abiurarant, sed conculcarant. accessit prodigium alterum sanè illustre: cum sacri chrismatis ampullam per fenestrā abiecissent; non defuerunt Cœlites, qui seruarent: cecidit, sed inter saxa cecidit, nō vt vitrea, sed vt adamantina. ad hæc instrumenta sacrorum diripiunt, comminuunt, dissipant; atque vt profana omnia faciant, aras ferri acie abradunt, parietes delubrorum aquis eluunt, resecrare se rati. pudet verò ea cōmemorare, quæ impudentissimè in Virgines Deo dicatas patrarunt; ingressi enim cum impetu, vel gynæcèa, vel parthenones, mitellas ac flammeum capitibus abstrahunt; & quod detestabilius est, prætigijs quibusdam ea probrosè contaminant; immundo enim conspergunt cinere, solutosque crines salsa ac marina aqua perfundunt; nihil ea contumelia, ignominiaque acerbius visum: vt quę ad immortalem illum pietatis ignem, melius quàm Vestales ad suum, aduigilarent; inficerentur cinere; & quasi pudoris facto naufragio marinis aquis demergerentur. multa alia nefaria, atque immania à Donatianis acta; sed illud in primis, quod non satiati cruore, ac cæde nostrorum, inhumata eorum cadauera alitibus, ferisque proiecerunt; ac tanquam non cum viuentibus solùm certatum fuisset, inexpletum odium neque mors compescuit. quanquam dubium Donatiani quodammodo reliquerunt, vtrùm in nostros, an in seipsos sæuiores extiterint; neque enim quisquam infestissimus hostis tam crudeles de illis pœnas sumere potuisset, quàm prorsus immanes, ac diras sibi ipsi sponte ferali animo intulerunt, inuidiæ videlicet stimulis agitati, quòd viderent nostros, qui constanter, ac piè cecidissent, vadiaru capite insignes fieri aris, atque delubris, eorum memoriam honorificentissimè consecrari, ritè indigetari. vt igitur sibi eadem decora, atque ornamenta compararēt, quid quisque manus, sibi ipsi fabri lictores, in sese afferūt, spōte ruunt in mortē, quæ certè ipsos ob celetum magnitudinem debita putarunt enim Religionem, quæ extingui cruore nostro non potetat, posse suo: itaque alii sibi pectus transuerberant ferro, alij se infelici arbori reste suspendunt; hi in extructum suæ manu rogum insiliunt, alij se præcipites in profluentem, aut in mare deiciunt: his acti intemperijs, quasi ceriti, atque lym-

Digitized by Google

phati furebant: legimus solitas olim Saturno, & alijs quibusdam Dijs humanas mactari hostias, Donatiani sibi ipsi lanij, ac victimarij erant. gregatim hinc atque inde confluebant, & tanquam in amphitheatrum belluarum more se venabulis ingerebant. neque minorem amentiam præseferebant ij, qui nostra æmulantes, mortuis cultum deferebant, aras excitabat: ad eorum sepulcra vota faciebant: cuius simulatione honoris allecti tanto flagrabant moriendi studio, vt viatoribus arma traderent, quorum ictibus vulnerati caderent; omnia circumibant, rusticanos maximè quæritabant, quos ligone, ac rastris armatos hortabantur, immò etiam impellebant ad cædem; quamobrem Circumcelliones, siue Circuitores ad ludibrium vocati: siquis autem impium facinus detestatus, manus ipsorum sanguine inficere detrectaret; cogebatur terrore minarum; inuidiæ arguebant, quod se Martyres esse non sinerent; ita multos interemerunt; qua de causa Biothanati dicti sunt. porrò qui hanc nostrorum lauream sibi vsurpare affectabat, id diu ante cæteris ex eadem disciplina significabat; tum ipsum omni genere officij, tanquam sacrosanctum, ac numini deorum obseruabant: ciborum genere, ac Saliari, vt aiunt, cœna abundè reficiebant, veluti victimam quandam anis destinatam præpascentes: qui cum diuturno tempore inter hæc obsonia, atque pascua lautè, atque opiparè deliciatus esset; tũ demum ebrius, atque lymphatus excurrebat in vias; ijsque, qui sibi occurrabant, gladium subministrabat, quem illi in ipsum ad vulnera distringerent; aut si id agere recusarent, optio dabatur vt aut ferirent, aut perirent. quo in genere rem sanè lepidam narrant: cum enim quidam Donatiani, benè iam adipati in generosũ quẽdã è nostris iuuenẽ incidissent, nudũque ei gladium porrexissent, quo ad ipsorum necem abuteretur, comminati eum à se interfectum iri, nisi imperata faceret: ille vt erat ingenio solers, dixit se vereri, ne aliquo exipsis interfecto, ceteri, qui superessent, pœnitentia ducti, & simul socij nece commoti, pœnas cædis ab ipso repoſcerent; proinde oportere prius vnumquemque ipsorum vinculis adstringi; deinde à se socium ferũ perimum iri: acquieuerunt dicto Donatiani; tum adolescens, vbi eos quasi prædam laqueis induit, ac vinculis irretiuit, virgas expedit, ac singulorum humeros quàm acerbissimè flagris perurit: vbi benè concidit, &

Digitized by Google

contudit; eo dedecore, ignominiaque affectos in via relinquit, prætereuntium ludibrio, ac risui expositos: euadit ipse victor insigni triumpho. Ad Honorium deinde Imperatorem querelæ missę de huiusmodi incommodis, & exitijs. iam autem vsque à Theodosio lex fuerat promulgata, vt ea gens, cui crudelius parci videbatur, quàm ipsa sæuiebat, omnino deleretur; quippe auro tantùm rependebantur damna, quæ ipsi in nostros inferebant ferro. proponebantur igitur Antistites è suis sedibus exturbati, ac multa atrocia, ac dira perpessi; in memoriam reuocabatur indignissima cædes Maximi præsulis Vagiensis, quem ad aras facientem inuadere ausi fuerant fustibus, & id genus telis; deinde immaniter cædere, ac pugione confodere. coerciti igitur sunt ab Imperatore seueris legibus, nec tamen ita domiti, vt subinde non excuterent frænos, ac frangerent. Augustinum ipsum clarissimum Religionis lumen extinguere sunt conati; non semel armati vias obsederunt, insidias tetenderunt; sed diuinitus semper ille subtractus est ferro, & communi Christianæ reipublicæ bono reseruatus: nullum hostium æquè atque hunc illi metuerunt, quippe qui acri ingenio eorum patefaceret fraudes, & doctrinæ clypeo tela repelleret. nempè ausi sunt pronunciare, quod ad aures bonorum sine execratione accidere non potest: præter ipsos, omnes errare: solùm Africam in veritatis luce versari, cæteras regiones caligine opprimi; ac sicut in communi illo naufragio Orbis tertæ ij tantùm euaserunt, quos Noes suo nauigio Dei nutu fabricato exceperat, ita eos, qui à Donati conuentu abessent, salutis iacturam esse facturos: scilicet tam augustis terminis veram Religionem contludebant, quæ tum certè latius quàm vetus. Roma regnabat Oceanum præterueeta. iam illam vitæ magistram; ac ducem nationes omnes, ac populi obuijs vlnis exceperant; iam vltima barbaria mitioribus institutis imbuta manus dederat; cum illam Donatiani quasi magico orbe intra solam Africam circumscriptam tenebant. sed quid mirum ab Africanis tam monstrosa dicta prodijsse? quando vetus prouerbium est, Africam semper aliquid monstri parere.

PER-

Digitized by Google

PERSECVTIO VALENTIS IMPERATORIS QVAEDAM ITEM DE IOVIANO, ET VALENTINIANO IMPERATORE.

NVlla ex Iuliano relicta soboles est, quæ succederet imperio; nam cum Eusebia Constantij coniux sterilis esset, Helenæ Iuliani insidiata est, inuidiaque percita effecit, vt illa per fraudem quæsitum venenum obbiberet incautè, quo, vbi conceperat, immaturum abijciebat partum; & cum in Gallijs marem genuisset infantem, corrupta mercede obstetrix præfecto violentius vmbilico necauit: existimatum autem est à sapientibus, non sine diuino consilio id contigisse, ne vnà cum sobole in Iuliani gremio impiè educata, ipsa quoque propagaretur impietas; malienim corui, vti dicitur, malum ouum renuunciatus est igitur ab exercitu Imperator Iouianus, vir & forma corporis digna imperio, & multò magis pietate animi: is tribunus militum antea fuerat; & cum Iulianus militibus optionem dedisset, vt vel Dijs sacrificarent, vel cingulum militaris dignitatis insigne deponerent: Iouianus discinctus esse maluit, vel hoc dignus, cui diadema cingeret frontem. statim autem, vt acclamatus est Augustus, cum diceret, non posse se, qui esset è Christi disciplina, imperare ijs, q. ab ea essent alieni: (mira uis, & magna parui sermonis,) vna vox omnium audita est, ipsum Christianis imperaturum, hoc vniuersos iam profiteri. cæterùm in rebus dubijs, & asperis à Iuliano relictus, cum rerum necessariarum inopia premeretur, coactus est Persicum bellum pacis conditionibus non admodum dignis Romana virtute transigere; sed in Iulianum culpam contulere sapientes, qui præstigijs, & imprudentia eò rem adduxerat: seges enim, vt vulgò dicitur, satoris potius, quàm messoris est; atque incendium non eius, qui id possit extinguere, sed qui id semel excitarit, existimatur: quodquè apud Herodotum est: calceum quidem istum consuit

An. Christi circiter 367.

Hisli-

Histiæus, induit autem Aristagoras: nihil igitur Iouianus habuit antiquius quàm vt sanctissimis delubris cultum restitueret, sacrorum Antistites exules reuocaret, fana Deorum vel clauderet, vel euerteret, Deos ipsos in subterraneas specus probrosè contruderet, superstitionem omnem aboleret. fanum, quod Hadrianus Imperator in honorem Traiani tanquam inter Deos relati magnificentissimè extruxerat, incendit: ita primo rogo, in quo ille consecratus fuerat apotheosi, opposuit alterum. nonnulla tamè lenius egit, quàm quod Religionis violatæ vltio postulabat; nam & nefarios præstigiatores Iuliani familiares, Maximum, & Priscum vinere passus est; & pepercit cæteris Deorum fanis, præsertim ijs, in quorum adytis cæsas à Iuliano humanas victimas nefario, ac magico ritu reperierat; ac præterea Tarsum ingressus Iuliani tumulum exornandum curauit, cuius scilicet cadauer terra reiecerat; quamobrem diuinum in se concitasse numen putatur Iouianus, vt breui sit vita functus: nam cum illitum recens calce cubiculum ad quietem nactus esset, prunarum vapore, quæ ad exiccandum collocatæ fuerant, spiritu intercepto, manè exanimis est inuentus: vt videretur ob recens exædificatum Iuliano sepulchrum, in recenti ipse ædificio sepultus; etsi eum honorem illi casu potius, & errore quàm consulto exhibuisse dicatur.

Extincto Iouiano Valentinianus sufficitur, vir vt militari scientia, ita religione præstans; eum & Imperatorem futurum, & Christianæ pietatis cultorem eximium, admirabili prodigio præmonstratum est: cum enim quidam ex apparitoribus à Constantio Augusto ad eum accersendum missus esset; vbi cubiculum est ingressus, in quo ille sub noctem quieti se dederat, vidit ex ipsius ore flammam existere, quæ oculos sibi splendore perstrinxit: nempè tantum decus inesse debuit in eius ore, cuius sermo in Religionis causa tuenda inflammato quodam studio versatus erat: quod etiam ante imperium præstitit factis; nam cum esset ordinum dux, & pro munere Iulianum principem à tergo sequeretur, cum ille Fortunæ templum sacrificandi gratia esset ingressus, & in limine hierophanta ipsum frondibus quibusdam aqua madidis superstitiosè lustraret, fortè gutta in Valentiniani vestem incidit; exhorruit hic, execratus est; putauit, se aqua illa non elu-

sed

Digitized by Google

ſed fœdari: tum vidente, & audiente Iuliano ipſo, non dubitauit hierophantam inſigni contumelia proſcindere; & quod maximæ religionis, ac pietatis fuit indicium, partem veſtis, quæ gutta maduerat, gladio diſcidit: promeruit ſanè tam præclara virtus, vt ſciſſam chlamydem auguſtali compenſaret purpura: factus eſt propterea Iuliano infenſior, atque in Armenia exulare iuſſus eſt: noluit innocentem morti addicere, quod eam gloriam noſtris inuideret; ſed à Iouiano poſtea reuocatus, ei ſucceſſit: ita qui Fortunæ cultum tam acriter inſectatus eſt, fortunatiſſimus euaſit: niſi quod in quibuſdam more hominum deliquit, præſertim quod Valentem fratrem, tanti muneris mole preſſus, collegam adſciuit imperij, diſſimillimum ſibi, nempe Arij partes ſecutum; ſæpe à ſe increpitum, ac ſeuerè, ſed fruſtra. initiatus Valens hic fuerat ab Ariano Præſule Eudoxio, quem falſum nomen rectæ, ac bonæ opinionis ornabat: ab eo adſtrictus eſt iureiurando, vt in tradita fide, vel potius perfidia permaneret, ac noſtris inſtitutis acriter aduerſaretur. ſtatim igitur Valens in ſacrorum Antiſites bellum mouet, eos pontificia deturbat è ſede, in tranſmarinas regiones amandat, ſubſtituit Arianos. quin etiam tanta ſæuitia eſt debacchatus in noſtros, vt multos in Orontem amnem deiecerit; ac demerſerit; at non occulta, nec ſera fuit iuſta ira Numinis: nempè dum hæc impiè aguntur, horribilis grando, lapidum inſtar, effuſa, tecta perfregit, agros latè vaſtauit: ad hæc tellus immani concuſſa motu ædificia ſtrauit, nec vno motu; nam primùm Niceæ Bythiniæ, deinde Germæ Helleſponti; & meritò, motis enim indignè è patria ſuiſque delubris optimatibus, conſiſtere quodammodo Natura non potuit. ſed mira in hoc genere hominum peruicacia; tot, tantiſque prodigijs non modò Valens non reſipuit, ſed exarſit in noſtros acrius: nam cum vera Religio ab Arianis indigniſſimè exagitaretur, ac vexaretur, octoginta ex optimatibus Valentem ipſum adiere, velut ad portum, ſic ad auguſtum illud ſolium confugiſſe ſe rati; quos tamen tanquam aliſos ad ſaxa tempeſtas penè demerſit; non modò enim eorum querelas eſt aſpernatus, ſed Modeſto præfecto (indigno certè hoc nomine, qui nihil moderatè ageret, nihil piè,) mandat, vt in ijs excruciandis nullum adhibeat modum, clam tamen, ne, ſi propalàm necem patraret, indignitate rei permo-

Digitized by Google

ta ciuitas reclamaret; itaque fraude agit, in nauim imponit, tanquam in transmarinas regiones relegaturus extorres. interea malleolos, cæteramque ignis materiam comparari iubet: ventum est in sinum maris medium, qui Astratenus vocatur; cum subitò Nautæ imperata faciunt; scapha vecti nauim aggrediuntur, conscendunt, incendiarium fomitem subministrant. vehementius tum subsolanus ventus flabat, quo citius nauis concepit flammam: ardebant in aquis medijs, sed occupauerat omnes antea flamma pietatis. quò ventorum vis maior erat, eò magis gaudebant, quod quàm ocyssimè velificarentur ad gloriam: at non impunè tanta abijt immanitas; sæuissima statim fames consecuta est sitim sanguinis, Phrygiãque totam ita oppressit, vt incolæ deserta patria, proprijsque sedibus longè aliò demigrarint: nullæ enim onerariæ naues, vt fit, sufficere frumentum, ac cæteras fruges, posteaquàm tam frugi homines incensa naui per summam impietatem consumpti sunt. non satis videbatur Valenti expromptum in nostros odium, si tantùm interdixisset igni, & aquæ, nisi etiam edixisset, vt inter aquas medias igni perirent; sed is ignis, vt videbimus, fatalis ipsi Valenti fuit. Iam quis dicendo assequi possit, quot, & quantas hic Imperator tragœdias excitarit? cum Athanasio vita functo, & Petro sanctissimo Præsule ejecto, Alexandriæ gregi præfecit Lucium quendam pastorem, quem Greci verius λύκον dixere, idest lupum: satis à Petro ipso, & Gregorio hæc defleta sunt. illatæ ab Arianis immanissimæ cædes, iniecta vincula, editæ proscriptiones, consequutæ deiectiones ararum, incendia delubrorum. neque verò intra solius Alexandriæ fines se continuit tyrannica ista vexatio, ac lupi illius ingluuies, sed ad Aegyptum vniuersam, atque Thebaidem peruasit; ad ipsa nostrorum ascetarum abdita septa penetrauit: in hos, qui numerum ferè quinque millium attingebant, tanquam in barbaros ille equitatum, & peditatum immisit; quamobrem rebus omnibus spoliati ferarum more vagari, ac victum quæritare coacti sunt; quanquam Melania tunc inter Romanas matronas nobilissima, cuius filius Vrbis præfecturam gerebat, opem profugis admirabili pietate præstitit, atque exhibuit. sed obstupuit in primis Valens, Edessenorum in fide constantiam expertus, cum Arianum Præsulem ei Ciuitati à se datum, vt reciperent, nullis minis, ac terrori-

Digitized by Google

roribus adduci potuerunt: quo tempore cum Religionis veræ cultores turmatim captos impiè necaret, conſternatus dicitur, vbi incredibilem animi fortitudinem in quadam præſertim matrona conſpexit; hæc filiolum ſecum trahens ad mortem concitato gradu: (Eamus, inquit, nate, curramus; optatiſſimus aduenit dies, quo veritatem obſignemus ambo, ego adulto ſanguine, tu recenti;) perculit virilis vox Valentem, pudorem incuſſit, nec tamen quicquam de ſæuitia remiſit. Ille quoque ardor animi, qui in Terentiano duodecim legionum Duce clariſſimo explenduit, omitti non debet: is cum in Armenia ſtrenuè rem geſſiſſet, inſignia victoriæ trophæa erexiſſet, ac manubijs onuſtus ad Valentem reuertiſſet; eo ſuadente, vt debitum virtuti præmium, quod vellet, expoſceret, hoc vnum ſupplici libello tradito petijt, vt ſacra concederet noſtris, Arianis ejectis: quo ex viri ſtudio ſtomachatus Tyrannus libellum lacerauit, ac potiora illum poſtulare iuſſit: at verò Terentianus cum diſciſſas chartulas collegiſſet, (neque enim eas humi iacere paſſus eſt, quæ Cœlitum cauſam continerent) ſatis ſe accepiſſe dixit, Deumque appellans iudicem, & Superos conteſtatus, de Imperatoris perfidia nobiliorem, quàm de Armenorum gente victoriam reportauit. interea Valens præcipuos Religionis magiſtros, atque ipſa lumina aggreditur. Baſilium in primis acrem ὁμοουσίου patronum, & infeſtiſſimum Arij hoſtem: cum igitur in Cappadociã veniſſet, conatus eſt ipſum pontificijs ſpoliare inſulis, ac de ſede deijcere, ſed fruſtra, tuente videlicet Præſulem numine; itaque præfecto Ariano tradit, hunc quaſi leonem nactus, qui ipſum larua, & terriculamento percelleret: ſiſtit ſe Baſilius intrepidè ad tribunal eo vultu, vt ipſe potius iudicaturus, quàm iudicandus videri poſſet: multa cum præfecto vltrò, citròque diſputata; cum ille minas intentaret, Imperatoris iram opponeret, mortem etiam proponeret; hic verò nihil ſibi iucundius eſſe diceret, quàm denotum caput ſecuri ſubijcere; & cum ille iratus minitaretur, ſe Baſilio extracturum ferro iecur, hic autem iecinoris calidioris morbo laboraret, ſatisne, ac lepidè: (Atq, inquit, nihil mihi gratius, & ſalubrius feceris, quàm ſi iecur hoc, quod mihi moleſtiam exhibet, extraxeris; cumquè ille obſtupefactus conſtantia miraretur, ac diceret, ceteros Præſules non ita liberè ſecum loqui; (Nondum, inquit

quit Baſilius, in Præſulem incidiſti:) eos videlicet verè Præſules intelligebat, qui neminem in Religionis cauſa timerent: aderat fortè inter hæc, & alia de vera Religione colloquia, Demoſthenes quidam nomine, Imperatoris opſonator egregius, qui auſus eſt Baſilij dicta reprehendere; quod dum facit, vt erat græci ſermonis non valdè peritus, ac multa effutiret, ſubridens Baſilius, & quaſi demirans: (ὠβιασάμεθα, inquit, Δημοσθένει ἀγράμματον; hoc eſt, vidimus Demoſthenem quoque illiteratum; addiditque non minus ſalsè, ipſum vt opſonatorem bene quidem condire iuſcula eſculenta, non iura diuina; ita inſigni ludibrio irriſus eſt opſodædalus, dum ſe ineptè logodædalum facit. igitur re infecta Præfectus Valentem conuenit, maiorem fatetur eſſe Baſilij virtutem, quàm quæ terroribus expugnari poſſit: quamobrem ira percitus Imperator ipſe rem aggreditur; tota maieſtate armatur Imperij; cum purpuratis, regio comitatu, cum lictorijs faſcibus, ac ſecuribus celeberrimo die Theophaniorum templum adit, vt Baſilium cum ſuis ritè precantem ipſo faſtu percellat, ac turbet; fit ſtatim ex eius aduentu tumultus, perſtrepunt omnia armatorum turba: magnus erat iniectus metus noſtris, ne Valens impotens ſui aliquid in ſanctiſſimum Præſulem moliretur; vbi non longè Imperator abfuit à templi adytis, atque ara, elato ſupercilio Baſilium obtuetur: ſolus hic humi aram verſus defixis oculis ſemper hæſit immotus, intrepidus, ea oris dignitate, ea fronte, quæ decebat Præſulem operantem: dicam rem magnam breui; tam incredibili magnitudine animi ita obſtupefactus eſt Imperator, vt vertigine ſubitò correptus collaberetur in terram, niſi quidam ex primatibus circumplexi ruentem retinuiſſent, tum demum peractis ſacris acceſſit Baſilius, placidè excepit, ac multa de Religione ſapientiſſimè diſſeruit: adeò vnus Antiſtes, ſacrorum rector, etſi non primus, auguſtior eſt viſus Auguſto, & Valente validior. haud quicquã Religioni accidere magnificentius potuit, quàm quod diadematus cedere diſceret infulato. ſedenim non multò poſt idem Valens aduerſariorum calumnijs pemotus de exilio cogitat; & iam nox aderat bonis omnibus luctuoſa, cum repente penè fit etiam luctus in Imperatoris aula; quippe filius nec opinatò lethali occupatur morbo: accerſiti Medici de vita ſpem omnem abijciunt; ipſa quoque Valentis vxor per quietem

hor-

Digitized by Google

horrendis spectris exagitatur: variæ occurrunt larvatæ facies, territantes, ac minaci vultu prohibentes, quò minus Basilio vis iaferatur: ita consternati coniuges ipsum, precibus etiam adhibitis, accersunt, puerum iacentem, atque vltima ferentem studiosè commendant: statim puer recreari visus, atque ad spem salutis erigi; tum ille Valentem monet de vera Religione, quod fas iubet, sentiat, si filio consultum velit: annuit hic, sed in sententia non stetit: Arianos salutis auctores habere maluit; quorum vota non nisi funesta fuerunt, puero videlicet mox extincto. itaque Imperator siue actus in rabiem, siue perfidia obfirmatus, iterum exulare iubet: at (mirum dictu.) dum libello subscribere aggreditur, acceptus calamus denegat operam; res iterum, atque iterum tentata, sed frustra; neque enim aut fas, aut par erat, eum, qui calamo, & egregijs scriptis tantam lucem attulerat Religioni, alterius calamo damnari. illud autem non modò admirationem Imperatori attulit, sed timorem, quod manus in scribendo pertinax, supra quàm credi potest concussa, ac tremebunda penè inutilis reddita est nõ solum calamo tractando, sed sceptro; nec tamen destitit, vt Arij intemperijs agebatur, nouis machinis oppugnare nostros; nam vt eos exarmaret religione, constituit armare ferro: iubet omnes ascetas, qui paterna domo, boniſque relictis Deo se deuouerant, in militiam adscribi: impia verò vox, & edictum omnium acerbissimum: qui se à strepitu, ac tumultu subduxerant, eos cogi inter lituorum, tubarumque clangorem versari: qui se in latebras procul ab arbitris, & in inuias specus abdiderant, eos euocari in campum, in Solem, ac puluerem: è delubris ad castra, ex aris ad tentoria trahi; manus, quas in cœlum tendebant, intendere in hostem. vastas ea tempestate Aegypti solitudines, arenaque diffusas, quas propter sitim, ac sterilitatem, periculosissimamque serpentum copiam, nemo non ante vitauerat, magna inhabitantium ascetarum multitudo compleuerat: tutius enim inter immaniſſimas feras, q̃ cum Ariano Imperatore degere se posse rati sũt: huc statim tribuni, ac milites missi, qui eos per vim abstraherent; quos in complexu ararum, quas deserere nolebant, indigniſſima cæde mactarunt. sed inter has nostrorum lanienas, & carnificinas, Valentem impiè, immaniterque grassantem graue, meritumque supplicium occupauit: qui armatos nostros esse voluit,

Digitized by Google

fuit, barbarorum in se arma concitata repente sensit: siquidem gens Hunnorum diù inaccessis secluſa montibus, subita rabie percita exarsit in Gothos: ijdem hi habiti sunt, qui Getæ, qui transmisso Danubio fugientes, atque à Valente sine vlla fœderis pactione susceptí, ne arma quidem, quò tutius barbaris crederetur, tradidere Romanis: deinde propter mores Maximi Ducis non ferendos, fame, & iniurijs adacti, in arma consurgunt, ac victo Valentis exercitu, omnia cæde, incendijs, rapinis fœdant, ac vastant. itaque primo ipso impetu Getico perturbati Romanorum equitum turmæ nuda peditum destituere præsidia: mox legiones peditum vndique equitatu hostium cinctæ; ac primùm nube sagittarum obrutæ; deinde, cum amentes metu sparsim per deuia cogerentur, funditus exsæ, gladijs insequentium, contisque perierunt; Imperator verò ipse sagitta ictu vulneratur: tum versus in fugam ægrè in cuiusdam villulæ casam deportatur. dum Getæ omnia ferro, ignique deuastant, in tugurium quoque, vbi Valens latebat, quod stipula confertum erat, flamma procurrit; ea vndique obsessus, atque infelicissimè exustus interijt, tam vilem ibi nactus rogum, vbi quærebat perfugium vitæ: fuit hoc indicium sapientum, vt impio Imperatori diuino consilio illata mors putaretur non ab alio hoste, quàm Geta; namque hi per legatos supplices poposcerant à Valente, vt ad ipsos sacrorum Antistites mitteret, à quibus vera Religione erudirentur: misit Valens exitiali prauitate doctores ex Arij disciplina; ab his instituti, & ijsdem erroribus imbuti. itaque Imperatorem vinum incenderunt, & ipsi post mortem vnà cum illo semper arsuri. mihi verò alia quoque succurrit ratio eiusmodi supplicij, vt Valens cõsumptus meritò flamma potius, quàm ferro dicatur: ob parricidium nempe illud, ac scelus tam nefarium, atque impium, cum octoginta optimates è nostris naui inclusos in mari medio subiectis ignibus incendi iussit; ac cineres, ne aris, ac delubris consecrarentur, in vndas proijci, ac dispergi. huc accedit quod de Valentiniano fratre Religionis veræ amantissimo diximus; qui cum puer esset, & quieti se dedisset, visus est ex ore coruscam admodum emittere, ederequè flammam, quod ei fuit, & imperij auspicium, & significatio quædam inflammati studij, quo iura diuina defensurus erat; huius igitur igneo, & ardenti ore Valens sæpe increpi-

tus

eus, cum ab impietate non destitisset, in hostilem ignem meritò incidit ad pernicié, q nõ respuit fraterno ad salutẽ: qua in re, & præfractum eius ingenium, & insignis amentia notanda est: multa enim illi obiecta sunt, quibus præsentire potuit eiusmodi mortem sceleri debitam; nam & in Chalcedonis dirutis muris, in quadrato lapide inuenta nex eius inscriptâ; & eorum, quos crudeliter necarat, vmbræ, ac simulacra terruisse Vrbem; & squalidi Solis exortus ei sempiternam noctem portendisse dicuntur. immò verò Antiocheni vniuersi videntur ei fata quodammodo præcinuisse: nam in consuetudinem iam venerat, vt quisque vim se pati existimans, (Viuus ardeat Valens,) licentius clamitaret; vocesque præconum audiebantur, assiduè mandantium congeri ligna ad Valentini lauacri succensionem, studio ipsius Principis conditi; quæ hunc illi impendere exitum vitæ, modò non apertè loquendo, monstrabant. præterea Valenti, cum se sopori dedisset, oblata species est minitantis viri, atque ipsi dicentis.

Miser, ad Mimanta magnum iter capessito:
Citus hìc ferãte mortis opprimet dolor.

experrectus percontatur, quid sit Mimas? responsum est ei à Doctis, esse montem Asiæ ad mare situm, cuius Homerus in Odyssea meminerit; eius igitur montis accessu vitato, penè se immortalem putabat Valens: sed illusus est; in eo enim loco, in quo exultus est, inuentum est sepulchrum cum hac epigraphe: (Hic Macedo Mimas Imperator est situs:) Verũ inter omnes præsensiones eminet illa Isacij religiosissimi, ac sanctissimi viri: is cum Valentem vnà cum exercitu obequitantem videret, ad eum accessit; tũ admirabili fortitudine animi, atq; constantia inter armatos, ac purpuratos se inserit, manibus frænum equi, in quo ille arduus ferebatur, arripit, sistit voce magna Imperatorem, & increpitans: (Quousque, inquit, in Religionem impiè sæuies? nonne vides, nonne sentis iratum Deum? ille contra te barbarorum excitauit bella, idcò quia indixisti nobis; ille ferrũ hostile in te armauit, quia ferro cruentasti bonos. nisi respueris, haud falsus ero vates: in pugna infelicissimè cum exercitu cades.) non siuit vltrà Valens loquivatem, sed cum exarsisset in iras, mox arsurus igni, comprehendi hominem iubet, & in terrum carcerem detrudi; ac simul addit, se posteà quàm e prælio victor, & spolijs onustus

remea-

Digitized by Google

remearit, de criminoso mẽdacio vlturũ acrius; at verò Isacius in ipso carcere mox de Imperatoris interitu diuinitùs certior factus, ad eos, qui aderant, conuersus, apertè pronunciat; Valentem iam incendio perire, eiusque ambusti nidorem sibi nares percellere. animanuersa die, horaque, postea compertum est verissimè dictum. hoc itaque horum Imperatorum fratrum discrimen fuit in eodem elemento: quòd alteri pio splendẽs in ore ignis decus, & immortalitatem, alteri impio totum obsidens corpus attulerit mortem.

PERSECVTIO IVSTINAE AVGVSTAE ARIANAE.

An. Christi circiter 386.

FOeminas quoque tanquam in orgijs Bacchico furore lymphatas, atque frementes aduersus veram Religionem Arius concitauit: Iustina quippe Augusta Valentiniani senioris vxor, non animi præsentia, aut corporis robore, sed imperij potestate munita in optimates arma mouit, ac bellum intulit. ausa est sacrorum Antistites creare, deponere; Pontificias infulas, ac tiaras conferre, & cui libitum esset, auferre: penes se ius illud esse putauit, quod est Romani hierarchæ. mira in fœmineo pectore sæuities, in mente peruicacia. omitto multa in nostros acerbè, multa pro Ario impiè gesta: pauca perstringã. Cum accepisset Iustina, Simenses ciues in Illyrico carere Præsule, statim eò se confert, vt Arianum hominem ipsa præficiat. aderat ibi Ambrosius, lumen illud Christianæ reipublicæ clarissimum, qui sui muneris esse ratus, vti eo tempore mos erat, Præsules rectè sentientes inaugurare, atque ritè inũgere, pontificio insidebat in throno. Iustina cum cohorte prætoria in sanctissimum delubrum impetum facit: nihil ipsa tunc in Ambrosium ausa moliri; nisi quod vna ex Arianis mulierculis, vt Augustæ rem gratam faceret, tribunal ascendit, sacerdotalem Antistitis trabeam apprehendit, de throno deturbare conatur: sed tantæ impudentiæ pœnam mox diuinitùs persoluit: postridie repentina vi morbi statim extincta est: & quæ pontificiæ sedis gradus violenter ascenderat, aliorum manibus in sepulchum elata

Digitized by Google

elata deſcendit: debuit certè hoc terrere Iuſtinam, quemadmodum & alios terruit: ſed muliebre ingenium tumens imperatorio faſtu expugnari non poteſt: acuit odium, & furorem, ac velut œſtro percita debacchatur: primùm dolo, deinde vi Ambroſium adoritur: conqueritur, ſe fruſtrà Auguſtã dici, quæ vnius Præſulis conſtantia vinceretur; enimuerò id ferri non poſſe, quod nè in vnum quidem delubrum ius ſibi eſſet: exæſtuabat dolore, extabeſcebat inuidia: conſtituit igitur Ambroſium manu militari captum exturbare de ſede, de vrbe: ſollicitat pecunia populum, pollicitationibus magiſtratus: Auxentio facinoroſo homini, quo vtebatur cupiditatum admiſſario, ac ſcelerum adminiſtro rem mandat; extorquet etiam vxoriis precibus à Valentiniano viro edictum aduerſus noſtros de Arianis, hoc eſt improbis recipiendis; de optimatibus vel reijciendis; vel, ſi obſtiterint, iugulandis. Auxentius accepta poteſtate, tanquam arrepto gladio, quid non auderet? alios ferro trucidat, alios vrbe pellit: tum in principis templi adyta irruit: cruentum os noſtris oſtentat, & cruentas manus; Ambroſium maximè petit, vt paricidium patret; ſed mira in eum populi pietas, & obſeruãtia perſpecta eſt; etenim quaſi vallo quodam, ita illum populus circumdat, ac munit: circumfuſi milites armorum crepitu non modò eum non eripuerunt, ſed ne tangere quidem, aut conuicio aliquo laceſſere auſi ſunt. Iuſtina ſe contemni rata, purpuram ſuam Ambroſij cruore tingere conſtituit: clam ſicarium cum telo immittit: in cubiculum hic vſque peruenit, intendit ictum; cum ſubitò dextera obrigeſcit, ac torpet, diſtricto gladio hæret: agnouit facinus, fatetur ab Auguſta ſe miſſum; oris confeſſio medicamentum, & pharmacum fuit, ſtatim conualuit: curatus eſt carnifex, Iuſtina non item; aliter venis vulnus inuidiæ: recrudeſcit perfidiæ morbus; ægreſcit animus, inſanit; vbi vidit carnifices, ac ſicarios nihil agere cõtra potuiſſe, aggreditur ipſa facinus prorſus execrandum, impiũ: magicis artibus, ac præſtigijs Stygios hoſtes ab Inferis euocat, euocatos incitat, impellit in Ambroſij necem: nec mora: adſunt repente fœdiſſima ſpectra, teterrimæ laruę, quaſi ſatellites, ac lictores, conantur tem perficere, ſed re infecta redeunt ad Auguſtam; fatentur ſe non eſſe tantarum virtun, vt cum tam forti athleta luctari poſſint: nihil valere ferrum aduerſus adamantinam loricam, & impenetrabilem ægidem

Digitized by Google

dem eius pectoris, diuinitus ipsum muniri: quippe dum in Antistitis fores irrumpere conantur, subitò flammam erupisse, quæ ipsos fugam inire compulerit; quo quidem ipsorum hostium testimonio haud scio an quicquam possit dici præclarius; scilicet ij, qui sempiternis Erebi ignibus aduruntur, flammam, quæ tuebatur, ac vallabat Ambrosium, extimuerunt; & Furiæ illæ, quæ Iustinæ pectus tædis ardentibus incendebant, noui, atque inusitati ignis splendore perterritæ discesserunt. neque ipsam Augustam diuina iustitia, quæ à veteribus Nemesis est appellata, inultam reliquit: exagitata enim vnà cum Valentiniano viro à Maximo, qui affectabat imperiũ, turpem se conieclet in fugam; & quæ impudens illud os, & plenum audaciæ ostentare, siue obtendere sanctissimo Præsuli ausa est, hosti per summum dedecus terga vertit.

PERSECVTIO.

ATHANARICI GOTHORVM REGIS.

VAlentem Cæsarem in nostros immaniter, ac barbarè sæuientem eodem tempore Gothica est æmulata barbaries: Gothi ijdem habiti, qui Getæ, in duas discesserant factiones; altera Fridigerten, altera sequuta est Athanaricum. Fridigertes auxiliaribus Romanorum copijs à Valente impetratis, cum Athanarico congressus, vi crucis, quam præferebat in vexillis, victoria potitus est; quamobrem vt Valenti rem gratam faceret, eandem, quam ille, Arianam perfidiam vnà cum suis secutus est: Athanaricus ethnicus cum se crucis virtute prostratum videret, incredibili exarsit odio in eos, qui in suo regno nostris institutis imbuti, & initiati essent. simulacrum cuiusdam Barbari numinis effinxit, quod in aureo curru collocauit, ac per Vrbem triumphali pompa deduxit; per eas quoque regiones circumtulit, quæ incolebantur à nostris; iubet diuinos ei honores ab omnibus exhiberi; qui secus faxit, crudeli morte mactari; si quis thus adolere nollet, eum vnà cũ domo exuri; hoc crudelior impio illo Babylonis Rege, qui spretores sui simulacri tantùm coniecit in flammas: nihil igitur

Digitized by Google

tut immanius factum cerneres: non viros modò, ſed fœminas dirum in modum ad ſupplicium rapi; quarum aliæ recens natos fœtus ab vberibus pendentes geſtabant; aliæ infantes, & pueros, qui iam pedibus terram metiri cœperant, ſecum trahebant, vt in capaci templo ſe conderent, quod ſperarent ibi ſe perfugium, atque portum poſſe nanciſci. quo audito Athanaticus per ſummam impietatem edicit, ſarmentis circumdari templum, obſideri flammis: ita tot victimarum vna fit ara, vna vrna tot cinerum. effulſit eò tempore in primis Nicetæ virtus: is genere quidem Gothus, at verò moribus, ac fide non item; præcipuum apud illam gentem honorem nactus, cum propter familiæ ſplendorem; tum propter inſignes animi, & corporis dotes, præſtantem quoque indolem, & in agendo dexteritatem: agreſte genus exculto vincebatur ingenio, & intemperantia Gothica ſtudio virtutis; imbutus autem noſtris inſtitutis erat à Theophilo, qui vnus fuit præſulum Nicæni conuentus; vt autem gentis ſuæ ſaluti erat addictus, etiam Athanarico fremente, veri Dei cultum docebat ignaros: dici non poteſt quanta vis iræ inceſſerit Tyranni pectus; tandem effudit ſe laxatis habenis præceps furor: ipſum è ſuggeſtu verba facientem lictores inuadunt, diſtrahunt, abripiunt, vrgent vt fidem abiuret: cum ille minas irrideret, corpus appetunt ferro, totumque concidunt, & cruentant; demum extructæ pyræ ſubijciunt facem, in ignemque conijciunt: eminebat ille è medio rogo, ſuppliciorum victor, & nomini congruens ſuo, Nicetæ. inter crepitantium flammarum linguas eius lingua de Religione diſſerens vibrabat ardentius: hoc autem ex illo igne conſequutus eſt, vt illuſtri prodigio declarata ſit virtus: cum enim Athanarici iuſſu in ignotum, ac vilem locum proiectum eſſet vſtulatum, atque conciſum Nicetæ corpus; neque ad id humandum accedere quiſquam auderet: iniecta mēs diuinitùs eſt Mariano cuidam viro admodum probato indagandi loci: tum æſtuanti, & multa ſecum agitanti intempeſta nocte nouum ſydus apparet: admonitus eſt vt illud ſequeretur, quò duceretur, ſecutus eſt, donec ibi conſtitit, vbi Nicetę corpus latebat: mira certè dignitas, mirum decus; eodem enim ſeruus honore affectus eſt, quo Dominus: niſi fortè admirabilius videatur huic occidenti aſtrum exoriri, atque accendi, quàm illi orienti. Porrò cum Niceta communionem habet,

Digitized by Google

& gentis,& virtutis, Sabba:non ille Aſcetarum parens, ſed hic Gothus;quem vitum à Sapientia ſic appellarunt: ex illa barbarie, ac fęce hominum tam præclarus heros extitit.litabatur de more gentis ante Deorum aras: edicitur per præconem, ne quis præter Deos patrios alium agnoſcat exterum: cum quidam ex ethnicis iactabundi iureiurando affirmarent,Chriſtianum ſupereſſe iam neminem; ſtatim exilit è medio.Sabbas;ſe ex ijs vnum apertè profitetur: perculit ea vox barbaros: poſt multas contumelias in eum irruunt, nudatum per ſpinas trahunt,ac raptant; tum virgas expediunt, ac diriſſimè humeros ſecant,atque concidunt. hærere omnes ſpectaculo tantæ conſtantiæ;& cum ſeminecem reliquiſſent,ad ſua diuertunt;ſtatim de cœlo medicinæ vis ſuppetijt; itaque diuinitus curatus itē ſe offert attonitis: ſed quis requirat ſenſum aut pietatis, aut humanitatis in barbaris? rabie, ac furore perciti nouum genus ſupplicij excogitant; ſublatum axem ſuper eius humeros imponunt: ad extremas verò axis partes manus ipſius extendunt: pedes ſimiliter ad axem alterum alligant: poſtremò ſuper axem eum proijciunt, vt humi ſupinus iaceat: nec prius eum torquere deſiſtunt,quàm per multam noctem torquendo defeſſi,ſummo mane reſumptis viribus,& feritate renouata, de trabe ſuſpendunt; vnde eminens heros tanquam è ſuggeſtu de Religione diſſeruit.hìc carnificum vnus æneum diſcum in Sabbæ pectus tanto cum impetu conijcit,vt qui aderant, crederent ſtatim interiturum; ſed ille mollioris lanæ vellus in ſe coniectum fatetur: adeò munitum habebat pectus lorica fidei,atque conſtantiæ:denique cum os illud,quod, licet penè iam exangue liberè loquebatur,obſtruere non poſſent; ſtatuerunt ipſum in profluentem proijcere, vt intercluſo ſpiritu interiret:eò cum duceretur,non defuerunt, qui innocentia viri commoti opponerent ſe carnifici,ſed ipſe Tyrāni iuſſa exequi,quàm horum placita maluit.fluuio,quo demerſus eſt,nomen fuit Muſæus: ſcilicet auſpicio quodam celebritatis famæ ſatis idoneo.apud Alexandrum fuiſſe Muſæum celebertimum narrant, quod certè cum hoc æquari non potuit. longè verò præclariorem, caſtioremque materiam de Te Sabbas hic ſcribentibus ſufficit,quàm quæ Muſæo poetæ de inceſtis Leandri, & Herus amoribus eſt propoſita.

PER-

Digitized by Google

PERSECVTIO

ISDEGARDIS PERSARVM REGIS.

IMmortalis ille, falsò sic dictus, Persarum ignis à nostris meritò despectus, atque contemptus, sæpe, ac sæpius causa fuit, vt hi morte affecti verè acquirerent immortalitatem. cōcitata est odij flamma ob spretum à nobis ignem, cuius cultui erat more Persarū Rex Isdegardes addictus. diffusa est fax illa, vt fit in incendijs, cum quodam furoris incremento, & exardescens immanius. proserpsit ad posteros. Quanquam Isdegardes hic tandem temperauit iræ, ac mitius egit. nam Theodosij tutor institutus à Patre, & cum Romanis necessitudinē contraxit, & inter hos, ac Persas ea occasione crebrò, vltrò, citròque legationes factæ; illa præsertim, quà Maruthas Mesopotamiæ Præsul eximia virtute, atque doctrina præstans, functus est. magno is in honore fuit apud Isdegarden Regem: reuerebatur summopere virum; quod conspicati Persarum Magi, vrebantur inuidia, macerabantur, varijsque cogitationibus æstuabant, veriti ne vnà cum familiaritate, ac studio erga Præsulem, eius quoque Religionis fieret studiosus. laborabat Rex acerrimo morbo, atque acerbissimè afflictabatur: adhibita à Magis medicamenta multa, nec sine præstigijs; sed salus frustra tentata; tandem Maruthas accersitur, vt, si quid spei supersit, attentet. ille vero numini nuncupatis votis, atque ope implorata; erigit ad spem iacentem Regis animum; fide corroborat: statim vis morbi conualescit, ac pristinas recipit vires. non fuit ingratus beneficio Rex; factus est in nostros beneuolentia, & familiaritate propensior. ea res in Marutham acrius concitauit inuidiam, & exacuit odium: itaque Regem dolo, ac fraude adoriuntur: accessurus erat Isdegerdes ad fanum, patrio more adoraturus; illi prestigiatorem quendam veteratoriæ artis apprimè peritum apud arā scrobe facta sub terra, recondunt: hunc sic vafrè erudiunt, & instituunt, vt Régi oraculum adeunti è subterranea illa cortina in hanc sententiam responsum det: Egredi Regem oportere de fano, atque facessere, vtpote Dijs infensum, cum hominem Deo-

An. Christi circiter 420.

Digitized by Google

Deorum hoſtem apud ſe in honore haberet: ea vox vt Regis aures perculit, hæſit attonitus; ac ratus eſt, ignem Perſarum Deum ſub terra reconditum, & locutum, & comminatum; itaque ſtatuere cœperat de Marutha à ſe depellendo, abigendoque; neque enim eſt auſus aliquid grauius moliri: ille diuinitus fraudem edoctus Iſdegerden adit, monet, ne tam facile ſibi à Magis, ac pręſtigiatoribus imponi, & illudi ſinat, ac dolo circumueniri; iubeat, ſtatim atque vox eruperit, effodi terram; animaduerſurum, quæ ipſi ludibria obtendantur. ab igne, quan tumuis vibrent linguæ flammantes, murmur tantùm, ac ſtrepitum edi poſſe, verba non item, nec oraculum ſine ore fundi; fabulam iſtam vaferrimè inſtitutam; inuenturum ſub terra latentem nõ Deum, ſed hominem impoſtorem.) habita fides eſt monenti: obſequitur Iſdegardes; rurſus ad aram, vbi ignis colebatur, accedit: eadem vox plena minarum increpuit: ſtatim effodi locum iubet: cum ecce præſtigiator, qui latebat, appareret, penè metu exanimis, & intermortuus: tantùm abfuit, vt igneus ille Deus ſit inuentus, vt potius timore rigens, ac torpens iſte homunculus. exarſit ira Rex, atque ex tota Magorũ gente, quæ decumanos illos odij fluctus aduerſus Præſulem excitarat, decimumquemque interfici iubet: Maruthæ verò liberam dat facultatem extruendi vero numini templa, ac ſuæ gentis initiandæ: ita vera Religio in totius Perſidis finibus breui propagata eſt. nihil acerbius viſum eſt Magis, nihil indignius, quàm vt ignis ille tandiu cultus extingueretur, atque vt eſt id genus hominum omni ex fraude compactum, aliam rem excogitant, vt Regem fallant. hortus erat amœniſſimus floribus conſitus, ac ſuauibus pomis onuſtus, in quo animi cauſa Rex inambulare ſolebat feriatus à curis; hic Magi perſuas præſtigias intolerandam excitant mephitim, odoremque terrimum: tum calumniam confingunt, noſtrorum opera id factum, qui vellent obtrectare Regi, & probrum inferre illi, cui iam perſpecta Magorum erat inuidia, atque fraus, cum auctores eius rei omni ſtudio inquiſiuiſſet, meritis ſupplicijs excruciatos necauit; Marutham verò maiore, quàm antea, honore proſequutus eſt: ita nunquam vera Religio tam grato, atque iucundo famæ odore fragrauit, quàm cum de grauſſimo tetro odore falsò accuſata eſt. Ad hæc alio ſanctiſſimi Præſulis admirabili facto Iſdigerdes adductus eſt, vt rebus noſtris

Digitized by Google

stris faueret: nam cum eius filius arreptitius à communi hoste miserè vexaretur, post supplicationes indictas, & vota concepta, abire iusso, curatus est. sed vt auitas ac patrij mores non ita facilè abolentur præsertim in Principe, qui sibi à suis metuat, ante Rex excessit è vita, quã initiaretur: adeo qui ignem colebat noxium, aquãm timuit salutarem.

PERSECVTIO

GODORANI, SEV VARENAE PERSARVM REGIS.

ISdesgarde extincto, regnum ad Godoranum, seu Varenen filium hæreditario iure deuolutum est, à nostra disciplina prorsus abhorrentem: minus peritè quidam hunc cum Parente confundunt. tum verò ignis ille odij, qui tanquam sub cinere tectus latebat, quasi flagello quodam magicæ impietatis excitatus, acrius in immane erupit incendium, quod per triginta circiter annos exarsit. statim igitur ac Varanes hic regiam tiaram Persico more accepit, non modò fœdus cum Romanis ictum perfidè soluit, sed Christianos, qui in Perside erant, nouis, ac diris suplicijs exagitatos affecit. causa tanti incendij, atque inflammati odij fuit ignis à Persis cultus, à nostris spretus: erat tum in Perside sacrorum antistes Abdas nomine, vir cùm multis virtutum ornamentis illustris, tùm maximè æmulatione quadam, & studio tuendæ Religionis; hoc incensus in ignem ipsum excanduit: sacrum igitur apud Persas focum, quod πυρεῖον Græci vocant, inuadit: disturbat aras; ignem ipsum diripit, dispergit, atque conculcat, hoc vbi Regi nunciatum est, quanquam incredibili furore percitus, nihil tamen primò ausus est aggredi immanius; sed ignem tantùm restauratis aris imponi iubet ipsius Abdæ Præsulis sumptu: cum ille constanter recusaret, nõ propter pecuniæ iacturam, sed Religionis, Varanes nostris templis, atque delubris incendium minitatur: minas ad rem contulit; vltus ignis iniuriam ipso igni; Præsulem verò de medio tolli iubet. suscitabant iram Regis Magi, atque acrius inflammabant: exprimi

Digitized by Google

primi verbis haudquaquam poteſt ſuppliciorum diritas, & genus multiplex, quibus ſæuitum eſt in noſtros: quibuſdam enim manus ambæ ferro reſectæ; multis humeri cruentati cute diuulſa; aliorum capitibus pellis extracta à fronte ad mētum vſque, horribili ſpectaculo feritatis, nec ſine acerbiſſimo ſenſu doloris. ſed illud ominem ſuperat crudelitatis modum; quod quibuſdam corpora tota calamis diriſſimis operta sūt, cuſpidibuſque cum acuminibus infixis; vinculis quoque fortiſſimis à capite ad pedes vſque iectis, atque conſtrictis, magna vi calamum quoque extrahebant, vinculis ipſis altius impreſſis, vt cum ea diſtraherent, corporis partem cuti proximā vnà diuellerent inaudito genere carnificinæ. nec minus acerbum, atque horribile illud inuentum: effoſſa enim tellure ſcrobes inunctas ſepimento vallarunt; tum ſoricum examina multa in eas dimiſere, quibus arrodenda, ac depaſcenda corpora proiiciebant, manibus pedibuſque arctiſſimè colligatis, nè mordaces beſtiolas abigere poſſent: illæ autem fame confectæ turmatim defoſſos aggreſſæ, & pabulum nactę miſerabili morte conficiebant. ſed nunquam in noſtris magnitudo animi defecit, ac virtus: libet ſingillatim quorundam commemorare virtutem. Hormiſdes quidam nomine apud Perſas erat præfecto parente natus, vir admodum illuſtris, & locuples, cuius proſapiam ex priſco Achemenidum genere repetebant. hunc vbi Chriſtianum eſſe Varanes accepit, eum in medium produci iubet; tum Religionem abiurare hortatur. ille ſatis prudenter, & piè reſpondet: (Si Deo omnium Regi, Dominoque fidem fregero, ſuſpicio certè inijci poterit, me multò magis tibi Perſidis Regi fractum fidem, cum diuina Natura infinitè præſtet humana: quod ſi ipſe omnino animaduerteres in iſtiuſmodi perduelles, multò acrius perfidiæ fore vltorem Deum:) conuelli non poterat hæc ratiocinatio; dediſſet Varanes manus, ſi quales Plato Reges optabat, rectè philoſophari voluiſſet: ſed iræ concedere, quàm rationi maluit. paruam ei ſupellectilem diripit; omnia dignitatis aufert inſignia; inſuper nudatum, & ſubligari tantùm præcinctum Camelos agere iubet. perpauci interceſſere dies, cum Rex è ſuperiore porticu proſpectans præclarum illum virum æſtu Solis aduſtum, & puluere opertum, & ſqualore obſitum, ad ſe accerſit: parentis

præ-

Digitized by Google

præfecturam, ſplendorem gentis, & gloriam in mentem reuocat; reducit ad Regiam, & ea, quæ decebat, induit veſte, ratus ita fore propenſiorem ad gratiam ab ſe ineundam: (Age, inquit, tandem muta iſtam mentem; & fabri filium, quem colis, ex animo tuo eijce:) hic ille exardeſcens oblatam veſtem ſtatim conſcindit, abijcit ad pedes Regis, teſtaturque magna voce ſe abieciſſe vnà cum oblata à Varane tunica, ipſius impiè dictum: qua ille conſtantia obſtupefactus, nec contendere auſus, exigit è Regia, à ſeque propellit. acrior fuit lucta cum Beniamino quodam inita: hierodulus hic erat virtute præſtans, totamque operam, ac ſtudium in eo collocarat, vt Perſidem ad veri numinis traduceret cultum; quamobrem in vincula coniectus eſt: ſolutus tandem ad legati Romani preces; ſed iuſſus deinceps de Religione ſilere: negauit ille id poſſe fieri, vt lucem illam, quam diuinitus copiosè hauſerat, cæteris non foeneraret: laxatis igitur vinculis, tanquam è carceribus in eodem ſtadio excurrit ad metam: iterum fit præco diuinitatis: nec mora ſupplicijs. eſt hoc inter multa atrociſſimum, digitis manuum, ac pedum apprehendi iubet; tum arundines in cuſpidē acuminatas vnguibus immitti iubet, crebrò figi, ac refigi: ſed nullum admirabilius ſpectaculum, quàm inter ipſos mobilium arundinum cruciatus firmitas hominis, atque conſtantia. addit genus item immane ſupplicij: virgam craſſiorē offerri præcipit, ex omni parte denſos ramorum vncos prætendentem, eaque perforari caput athletæ, identidem verò attrahi, retrahi, tandiu quoad dolore intolerando confectus occumberet: nec tamen Varanes ſecum reputauit, virgam illam, ſiue ramum maiori illi honori futurum, quàm ſceptrum ſibi; ipſumque virgultum ſacro cruore perfuſum, erupturum in viridiſſimum gloriæ germen. omitto reliqua cruciamenta impiè in noſtros exercita. claudatur hæc hiſtoria Iacobi facto: is cum eſſet è noſtra diſciplina, cum Ideſgarde Rege Varanæ parente familiaritate contracta, à ſignis deſciuerat; tandem cum reſipuiſſet, facinus deteſtatus redijt, adhæſitque firmius, quàm ante. ſtatim adſunt carnifices crudelitatis miniſtri: nihil vnquam horribilius, & immanius factum; conciſus totus membratim eſt ferro; articuli, iuncturæ neruorum, manus, pedeſque vnà cum ſuris reſecti; & cum iam penè nihil aliud haberet reliquum, niſi ſolùm caput, ita conſtanter egit, vt tandem

Digitized by Google

dem ipsum secuti portexerit; quamobrem Intercisi nomen sortitus est, sed tunc maximè visus est integer fide.

PERSECVTIO EVTYCHIANORVM.

An. Christi circiter 452. EVtychiani bonæ Fortunæ nomine falsò ornati in veram Religionem infestissimis odijs exarserunt. negabat Eutyches duas in nostro Liberatore naturas, diuinam simul, & humanam; eumque cœlesti materia corpus sibi effinxisse dicebat; ex vtero verò Virginis tantùm velut ex elice traiecisse. atqui cum vnam fateretur naturam, à veritatis vnitate discessit: illam autem de cœlesti corpore sententiam Inferis Roma deuolut. Nactus est Eutyches Dioscorum quendam in primis suæ causæ patronum; hominem audacissimum. is tumultuarium Præsulum conuentum nō auctoritate, sed vi coegit, quo Eutyches absolutus; qui autem eius sententiæ non subscriberet, damnati. aduersabantur impijs dictis Flauianus, in primis Antistes, Ibas, ac Theodoretus. in Flauianum maximè sæuitum, non modò voce reclamantem, sed scripto libello Romani pontificis potestatem tuentem. itaque Dioscori, & Barsumæ cuiusdā hierophātæ opera sanctissimū Antistitē diuum in modum fustibus, lorisque contundunt; tum in obscurum carcerem detrudunt, denique in exteras terras ablegant, vbi multis & magnis ærumnis confectus interijt. Ad hæc Romani hierarchæ legatos, quod constantissimè reniterentur, iniurioſius acceptos in fugam compellunt. ex ijs qui Eutychianis aduersabatur, vti dictum est, Ibas quidam erat: is longo itinere exagitatus, ac per quadraginta exilii loca distractus errare, ac viginti & amplius carceres commutare coactus est. compescuit horum audaciam Marcianus Imperator, quo erat in veram Religionem studio propensiore; sed eo vita functo rursus compressus aliquandiu furor erupit immanius. in antistitem Alexandrinum Procorium nomine, eximia virtute præditum, ac veræ Religionis propugnatorem acerrimum rabies vertitur. dux improbæ factionis Timo-

thus

Digitized by Google

theus quidam, cognomento Aelurus, turbulentus homo, qui eius honoris insulas affectabat. scimus quàm funestas soleat excitare tragœdias vel hæresis, vel ambitio; sed hoc facinore, haud scio an vllum extiterit crudelius. Antistitem quippe in templo sacris operãtem aggrediuntur, ferro confodiunt, trucidant. tum cruentem corpus per plateas resti tractum, raptatumque circumdederunt; denique quod omnem vel vltimæ barbariæ sæuitiam superat, cum membratim diuisissent, lacertos artus, viscera, iecinoris fibras ori admouent, ac more canum boarij fori, dentibus mandunt, abliguriunt; reliquias cruenti corporis igni, cineres vento tradunt. nemo fuit quin tàm immanis patricidij spectaculo non exhorresceret, quin ingemisceret. exstat sacris Græcorum consignata fastis Proterij huius memoria. sed impij helluones nondum exsaturauerant rabiem. totam Alexandriam, atque Aegyptum percurrunt, & quotquot Eutychetis sententiæ aduersarentur, diris simè afficiunt. eòque tandem progressa est audacia, vt in Romanum hierarcham Leonem Eutychianis strenuè aduersantem anathematis fulmen Timotheus hic intenderit. sed opportunè factum est, vt ipse in alterum Leonem incideret, Imperatorem scilicet eiusdem nominis, qui impium parricidam spoliatum pontificijs insignibus, quæ cruore Proterij infecerat, per Augustalem Ducem exilio mulctandum curauit, & in Chersonesũ ignominijs oneratũ amandauit, ità immanis hæc bellua, ne in prædam cederet, velut in intimam siluam penitus sese abdidit; didicitque iubati Leonis vel aspectum perhorrescere.

PERSECVTIO

ZENONIS, ET BASILISCI IMPERATORVM.

ZEnoni fusus perduellium sanguis purpuram imbuit, & imperium comparauit: in præmium enim deuicti Aspar. An Christi circiter 476. ris, eiusque liberorum imperij proditorum, à Leone Imperatore Ariadnæ filiæ thalamo donatus est. Leonis necessitudine gener, & Religione degener. auctus est ex Ariadna filio, qui

Digitized by Google

decimo menſe perijt, non ſine ſuſpicione paternæ fraudis, vt ipſe potiretur imperio. qui tam impius eſt habitus, vt non parceret innocenti filio, mirum non eſt quod poſtea nec Religioni pepercerit parenti. infantiles nati cruentauit faſcias, vt eo diademate cingeret frontem. ſtatim verò atque adeptus hic Zeno imperium eſt, nactus licentiæ campum, in omne ſe voluptatis genus effudit; mollis in ſeſe, ſæuus in ſuos. ad cumulum ſcelerum acceſſit impietas in Deum: ſtatim ſibi veræ Religionis aduerſarios in familiaritatem adſciuit: Petrum quendam cognomento Fullonem, non maculas eluentem, ſed inficientem potius bonos mores; & omni labe pollutum, Antiochenum Præſulem creat: Timotheum quoque omnibus ſceleribus coopertum, & à Leone in Cherſoneſum ablegatum Alexandrinis inſulis ornat; atque has Zeno primitias imperij obtulit: gemebant boni, affligebantur, Deum iudicem reposcebant; honeſtiſſimæ matronæ de impuriſſimo proco cõquerebantur, ac dolebant Leoni ſuffectum eſſe lenonem, qui faceret lupas: ex iis matronis vna, dum ob filiæ probrum illatum, ante magnæ Dei *Matris* effigiem expoſtulat, dicitur has accepiſſe voces: (Iam diu ſibi in animo eſſe, vt de impuro homine vindictam ſumeret, ſed eius manu prohiberi, quæ effuſa eſſet in pauperes aurum, quod largiebatur, impedimento eſſe, ne in ipſum diſtringeretur ferrum:) ſed nihilominus verè dictum à quodam; lentè procedere iram numinis, ſed compenſare tarditatem grauitate ſupplicij; quod exitus oſtẽdit. Interea dum Timotheus Zenonis patrocinio fultus in Oriente latrocinia exercet, Chriſtianam rempublicam vaſtat; vbique furoris incendia excitat, conflat perditorum manum; & Alexandrinam vrbem, quàm Sacerdotali primùm cruore infecerat, denuò lacerat; Simplicius Romanus Pontifex ad ſe pertinere ratus hæc obligare vulnera, Leonem ſeniò monet, ne tanto ſe ſcelere obſtringat, ne impios patrocinio regio tegat, ac foueat; hortatur vt humana ſpecie velatas belluas edomet; deniq; vt labãti Religioni ſuccurrat Imperator: cum hæc ille monita paruifaceret, diutius diuina vltio contineri non potuit: ſcilicet in ſurdam aſpidem ſæuum Baſiliſcum immittit, hoc erat nomen Verinę Auguſtę fratri: hic cum in Thracia degeret, ſorore, & alijs quibuſdam è ſenatu conſpirantibus, in Zenonem arma mouens, infeſta ſigna con-

ferre

fert: ille, vt ferus, ita timidus vnà cum Ariadna vxore ad Iſauros populares ſuos confugit: Baſiliſcus in Vrbem proficiſcitur, & in campo à militibus Imperator ſalutatur; vxorem ſuam Zenonidem nomine, auguſtali corona ornat, & Marcũ filium Cæſarem appellat: eiectus igitur repente ex imperio Zeno exul vagatur, ac profugus; tum demum cum humanis deſtitueretur, diuina implorat auxilia. viuebat ea tempeſtate inſignis ille virtute, ac fama pietatis celebratus Daniel; qui quoniam columnæ inſiſtebat, quemadmodum alter ille nobilis aſceta Simeon, ſtylites eſt dictus. hunc vbi conuenit, orat, vt iratum ſibi conciliet Deum: ille dum ſupplicem, & abiectũ humi videt, non dedignatur ſolari oraculo: ac primùm quidem dandum tantiſper aliquid iuſtæ numinis iracundiæ dicit: deinde vaticinatur fore, vt reponatur imperio; interim hortatur, Superos placare ne deſiſtat. luit igitur Zeno pœnas impietatis, & latis probroſas luit: ita enim huius Baſiliſci morſus exhorruit, vt deſerta loca hoc genere anguium infeſta incolere maluerit; vbi derelictus ab omnibus in eam egeſtatem redactus eſt, vt interdum, pecudum more, ſolas herbas adhiberet ad paſtum: hìc ſqualore totus, ac pædore obſitus, dum ſuas deflet ærumnas, & veniam à Superis expoſcit, conſpicatus dicitur per quietem ſtrenuam illam, & eximiam Religionis Amazonem Theclam, quæ eum ſolata, pollicita eſt priſtinum dignitatis gradum, & hoſtis interitum; quamobrem poſtea beneficij memor, & Danielem vatem in columna reuiſit, & Theclæ magnificentiſſimum delubrum in Iſauria dedicauit. Inter hæc rerum potitur Baſiliſcus, qui ſtatim impietatis venenum, quo tumebat, euomuit, Zenonide præſertim coniuge virum ſtimulante: itaque Byzantium ſe confert, non alio comitatu quàm perditorum, atque amentium ex Eutichetis ſchola: tum in eos maximè inuehi cœpit, qui Timotheo pontificiæ ſedis inuaſori reſtiterant; qua de cauſa inter cæteros optimates è noſtris, Platonem cubicularium igne cremari iubet; reuocati ſeditioſi omnes, boni extorres facti: non dubitauit & Chalcedonenſis Senatus acta reſcindere: quæ quamuis impiè ageret, atque ſacrilegè, nemo tamen ad venenatum iſtum Baſiliſcum audebat accedere, nemo triſulcæ linguæ ſibila tetra comprimere: conueniunt igitur Danielem vatem in columna ſtantem; orant, vt veræ Religionis tutelam ſuſci-

Digitized by Google

ſuſcipiat, apud Baſiliſcum legatione fungatur: (Non hoc, inquiunt, tempus eſt in columna ſiſtendi, dum Chriſtiana Reſpublica vacillat, ac nutat:) commotus eſt vir ſanctiſſimus omnium gemitu; & quanquam in marmore fixus, mollitus eſt lacrymis: deſcendit igitur Daniel, vt ipſe potius Chriſtianam Rempublicam ab improbis oppugnatam, atque nutantem, quaſi columna confirmet: Byzantium venit, & antequam cominùs hoſtem aggrediatur, eminùs ferit: literas dat libertatis plenas, quibus eum inceſſit: Diocletianum alterum Baſiliſcum appellat: vltoris Dei fulmen intentat. territus Imperator (mira uis probitatis) vrbe excedit, tanquam alijs curis intentus, re autem vera abiecto clypeo congredi non auſus: at non eum vir fortiſſimus impunè dimittit: conſequitur fugientem, & ſingulari certamine laceſſit; cum ecce mirum in itinere ſpectaculum, & quaſi præludium pugnæ. templum aditurum ſerpens immanis è ſpecu progreſſus inuadit: accurrunt ſocij, nec tamen audent afferre opem; ſolus Daniel impauidus alios timoris arguit: ſerpens ad eius pedes conuolutis ſpiris aduoluitur: tum ille imperat, vti ſuas petat latebras, nec quempiam lædat: ille verò perinde ac qui iuſſis obſiſtere nequiret, ſtatim repit ad parietem, & in omnium conſpectu diſrumpitur: accepit vir ſanctiſſimus omen diuinitus datum; intellexit fore, vt qui eius anguis extitiſſet victor, Baſiliſcum quoque perimeret: admirata eſt antiquitas Danielem cum leonibus colludentem, non minus admirata poſteritas Danielem alterum ſerpentes obterentem. Illud verò ſpectaculum iucundiſſimum bonis fuit, cum Imperator viri ſanctitate permotus, ac territus minacibus eius oraculis, occurrit ſupplex, ſeſe ab pedes abiecit veniã ſceleri exposcẽs; at Daniel audẽti vultu, ac libera voce: (Fiat, inquit, agis Baſiliſce, ac ſimulatè: noui quãtum veneni intus lateat, ſed breui tumorem depones:) nec vana comminatio fuit; quippe multis ille eſt iactatus incommodis, multorum incurrit odium: quamobrem admotæ ſunt faces tectis, ac præcipuam Byzantinæ vrbis partem depaſtæ sũt flammæ. eo incendio, ſub imperito videlicet, & veritatis aduerſario Imperatore, magnam fecit iacturam ipſa Sapientia: abſumpta enim ignis eſt ingens bibliotheca, librorum millia centena vicena continens: inter quos libros fuiſſe dicitur inteſtinum Draconis, pedes centum & vigiati longum; cui Homeri

Digitized by Google

ri poema, Ilias, & Odyssèa aureis litteris erat inscripta, cum historia rerum ab heroibus gestarum; & sanè par erat humanã Sapiẽtiã inscriptã in Draconis viscеribus perire, quando etiã diuina in amẽtis Basiliſci corde perierat: quapropter hic adeò infestis omniũ odijs est appetitus, vt vulgo appellaretur communis pernicies, & Vrbis incendium. Zeno igitur ab exilio reuocatur, qui exercitu instructus tyrannum post biennium ex imperio exigit, & in Cappadociam amandat vnà cum Coniuge, ac liberis, edicto addito, ne quis eos, summa licet hyeme, non modò cibo, sed veste iuuaret: itaque vnà sese complexi corporibus, quasi spiris conserti angues miserè perierunt. at Zeno in pristinum gradum restitutus, initiò quidem, siue recentis beneficij memoria, siue potius simulatione quadam, cum nostris facere visus est, sed superinductam pietatis larvã, mox, vbi res stabilitas vidit, exuit: Petrum quendam *Magum* impurum hominem, ac totum ex fraude conflatum in Alexandrinam sedem promouet; qui eò audaciæ progressus est, vt decreta Patrum in Chalcedonensi Senatu firmata non modò antiquaret, sed pontificijs execrationibus denouetet. monitus est Zeno à Felice Romano hierarcha, ne Religionis veræ aduersarios foueret, ac tueretur, neuè in eorũ sententiam iret: & quanquam Felix ipse penè ab Arianis obsessus teneretur, atque captiuus; non dubitauit tamen ea libertate, quæ principem sacrorum, & magistrum veritatis decet, Imperatorem grauibus verbis perstingere: tum Byzantino pseudo episcopo Romæ diem dicit: Petrum quoque Fullonem Antiochiæ intrusum præsulem, perditis moribus hominem, exauctoratum damnat; & Zenonem, vt eius audaciam coerceat, hortatur: despecta est, atque contempta Romani parentis auctoritas accessit impia cędes Pelagij viri patricij, vel nobilitate, vel virtute clarissimi; cui, quòd ipsius Imperatoris perfidiam, & scelera liberè increparet, gulam laqueo fraudi iussit; quem morituru ferunt manibus ad cœlum passis Superos obtestatum, & vltricem scelerum appellasse Iustitiam: non multò post Zeno horribili genere mortis extinguitur. narrant quidam, ei à diuina quadam Potestate fuisse caput abscissum, vt ea res cõspectum hominum fugerit, solaque cute caput cum ceruice coniunctum sit repertum. alij verò ipsum quidem comitiali morbo correptum, adeò vt videretur emortuus; viuentem verò

Digitized by Google

rò fuisse sepulchro conditum ipsius vxoris Augustæ iussu: satellites portò ad custodiam collocatos retulisse, per duas noctes lamentabilem inde vocem auditam, vt liceret viuenti egredi: cum autem illi diceretur, alium iam in imperium suffectum, addidisse, se non imperare velle, sed viuere; non in Regiam reuerti, sed in asceterium aliquod, aut specus abdere; attamen obfirmati custodes, ac suæ magis, quàm illius vitæ consulentes, tum quidem restiterunt: aliquanto verò post aperto sepulchro, spectaculum prorsus horribile patuit: suos iam exanimis Zeno lacertos præ fame ori admouerat, atque momorderat, & caligas, quas gestabat. ita sui ipsius carnifex & lanius tandem fuit, qui Christianam rempublicam improborum diffidijs lacerauerat. curauit deinde Hormisda pontifex maximus, vti per Iustinum Imperatorem Zenonis nomen ex albo piorum Cæsarum expungeretur ad ignominiam sempiternam.

PERSECVTIO.

ANASTASII IMPERATORIS.

An. Christi circiter 502. MOrtuo Zenone Ariadna Augusta Anastasio coronam imponit, qui nondum ad Senatorium ordinem gradum fecerat, sed in schola Silentiariorum erat; sic enim appellabatur in Regia, qui ea curabant arcana, quibus nitebatur Reipublicæ salus: Dignam certè Anastasius egit silentio vitam, si virtutis famam spectes; sed eius factis vera Religio reclamauit: meritò igitur perstringendus acie calami, qui in sanctissimæ parentis latera mucronem adegit: nihil minus ipsi curæ fuit, quàm quod Silentiarijs propositum erat, quies scilicet, atque tranquillitas; qui statim atque Imperator est factus, tantus inter bonos excitauit tumultus. Ariadnæ coniungitur; eius opera coronatur, indignissimus tamen stellifera illa Ariadnæ Corona, quæ fulget in cœlo, quippe qui Cœlites oppugnauit. præsensit Byzantinus Antistes quanta tempestas immineret; statim se opposuit; ac nullo modo passus est eum Augusti appellationem accipere, nisi prius se iureiurando obstrin-

Digitized by Google

stringeret, veræ Religioni pariturum, suspicatus id quod erat, eum nostris institutis infensum, *M*anichæa præsertim matre natum: nec dubitauit admirabili constantia Præsul minis etiã perterrefacere, nisi à nobis faceret, denũcians videlicet exauctorationem imperij; vt resecta coma, & purpura exutus, vilem lacernam sumeret, ac se in asceteriũ aliquod abderet: quæ vox plena dignitatis, & libertatis incredibile est quantum perculerit Anastasium, vt propterea ab aduersariorũ cœtu se tantisper abduxerit, ac rebus nostris fauerit, simulatè tamen, ac vafrè. immortalem verò sibi laudem comparasset ex hac animi magnitudine Euphemius Præsul, nisi illud, quod præferebat, bonæ famæ nomen maculasset, cum contra Felicis, ac Gelasij summorum pontificum edicta Acacium impiè sentientem non expunxit è fastis. Iam Anastasius vt sibi stabiliret imperium, ita pietatis induit laruam, vt simul multas ansas daret, quibus ipsius teneri posset impietas: versabat naturam suam, ac varias inducebat formas; quamobrem alij eum Eutychianum putabant, alij materno vitio Manichæum, multi è numero eorum hæreticorum, qui ob id, quod neutri duarum aduersantium sibi partium adhærerent, nominati sunt Hæsitantes; ijdemque, quod capite carerent, Acephali; quo item factum est, vt Proteus alter *A*nastasius diceretur: Dicorus quoque cognominatus est à discoloribus oculorum pupillis, quas χο'ρας Græci dicunt; dextera quippe ei pupilla nigricans fuit; vt ipsa colorum in oculis varietas varios mentis indicaret affectus, ac sensus. Infaustum quiddam habuit initium eius imperij, & ominosum; statim enim bellum plebeium inter Byzantinos ortum, ægrè ferentes, vt quidam suspicantur, mediocris conditionis homini summum honorem fuisse decretum. præterea consequutum est incendium Vrbis plurima ex parte. in Circum quoque in orbem ducta flamma desæuijt; nec defuerunt ex sapientibus quidam, qui putarunt omen illud fuisse præferendæ furialis ab Anastasio facis, admouendæquè aris, atque delubris Cœlitum. ac primò quidem vafritia vsus attentauit animos præmijs, ac ficta pietate; cœnobiarchas in primis ad suam sententiam adiungere statuit, & asceterij præfectos, quòd experimento didicisset, quanta vis esset huiusmodi viris ad suadendum, quantumque additamenti ex vno Seuero pseudomonacho hæresis accepisset: erat tunc ce-

Digitized by Google

lebre magni Theodori nomen, plurimorum, qui se eius disciplinæ addixerant, parentis. hunc oppugnare aggreditur, concepta vana quadam spe ex nomine, quod alter quidam Theodorus item ascetarum princeps Marciano imperante impiè de diuinitate sensisset; immò etiam armatorum copijs instructus Eutychianæ impietatis arcē defendisset; sed euentus Imperatorem accusauit amentiæ, illusitque consilium; putauit alterum hunc Theodorum expugnari posse auro, quem nō audebat ferro; ac ne sordidè, sed speciosè agi res videretur, id se largiri dixit, vt conuiueret ipse egestati suorum: intellexit statim ille, vt erat alta mente præditus, quò dona spectarent: ingeniosè elusit dictum: nam auri quidem libras triginta in egenorum vsus necessarios minimè respuit, ne se ille contemptum putaret, aut aliquam simultatis suspicionem posset obtendere; sed duplici veteratorem affecit incommodo, eum auro priuans, quem alioquin auarum nouerat; & spem vanam, & inanem esse ostendens, qua ducebatur. dat igitur literas Anastasius ad Theodorum, reddit ille suas breues, sed plenas Christianæ libertatis: ijs declarat (quàm impium sit vetera deserere, stabilita Patrum decretis, confirmata prodigijs; sac pro ijs noua, & pernicioſa sectari; vereri se Deum veritatis præsidem, illum ipsum, quem aduersarij maledictis appeterent; se certè vnà cum suis acrius pro vera Religione, quàm ceteri pro patria solent, dimicaturum; deuota iam esse ferro, vel colla, vel pectora.) enim verò his litteris lectis Anastasius furore debacchari, cum se spe, votoque frustratum videret. interea nostri animis pendere, quò res euaderet; veluti ducis signa in castris expectare, quò tenderent: tum Theodorus contemptis impij Cæsaris minis, animo nunquam magis exaggerato, atque erecto, in suggestum templi ascendit, & frequenti concione declarat, aperitque hostium fraudes, & veram Religionem discernit à falsa: deinde inuicti Ducis instar, finitimas omnes ciuitates obit, tanquam exercitum conscribit, ac lustrat; timorem eximit, excitat ad veritatem tuendam; tesseram dat Dei hominem induentis. immane quantum Anastasius excanduit; ac statim Theodorum, quoniam dirius quicquam agere non audebat, exilio mulctat; breui post ipse non modò ex vrbe, sed ex orbe terrarum, atque è viuis perpetuò exulaturus. Alterius quoque præsulis, cui Oeniandro nomen fuit, captare

ani-

Digitized by Google

animum aggressus Anastasius, similli libertate perstrictus est. hic acerrimus diuinitatis defensor impiam Imperatoris sententiam, quam à Petro quodam hauserat, maledictis liberè proscindebat: aduersarium igitur, quia ferro difficile videbatur opprimere, promissis certè, & blanditijs flectere conatur. ad regiam vocat, familiariter excipit; hortatur vt secum sentiat de vna Liberatoris nostri natura; fateatur, quod summæ pietati tribuebat, diuinitatem ipsam pro mortalibus passam, ac trisagio addat ea verba, quæ suprematam illam naturam cruci affixam, & emortuam ostendant. exarsit ad hæc iusta iracundia Præsul sanctissimus: nec dubitat pro talibus ausis sempiternam comminari pœnam; tum ipsam trabeam augustalem manu apprehendens, atque excutiens à pectore: (Hæc te, inquit, purpura breui tandem deseret:) erubuit Imperator vocis oraculo tum maximè, cum purpuræ iacturam præsensit. Aliorum quoque virtute se victum Anastasius agnouit, in primis Sabbæ inter ascetas nobilissimi: hic iustituta legatione ad Imperatorem ab Elia sacrorum antistite Hierosolymitano, vbi ad augustale peruenit; ab aulicis admissus non est. socij quidem introducti, Sabbas solus à congressu arcetur; propter vilem enim, & contritam tunicam, qua erat indutus, indignus est visus, qui coram Imperatore se sisteret. ille cum legatorum nomina, quæ litteris continebantur, requireret, vnum, qui aberat, Sabbam reposcit: statim ad eum conquirendum quoquò versus itur; latebat vir sanctissimus in angulo regiæ; & sua, quæ ipse confecerat, & magni Regis ac vatis sacra carmina piè succinebat. è vestigio introducitur: ascendebat iam limen, vbi præsidebat, eminebatque Imperator, cum repente mira species, ac prorsus eximia se obtulit, non quod ea dignus esset, sed quò legati digniras appareret: quidam augusto ore, ac mortali maior splendida veste amictus Sabbam modò in orbem ambiebat; modò velut armiger præibat: quo viso Anastasius obstupefactus, & virum verè diuinum animaduertens, ei assurgit, purpuratis, qui circumsistebant, rei nouitate attonitis: non solùm cum eo officiosè, sed verecundè agit: tum legatis sedere iussis, cum reliqui omnes veluti obliti cõmunis causæ Religionis, propter quam venerant, alijs de rebus sermonem sererent, tanquam præludentes, solus Sabbas tacebat: hortatur Imperator vt verba faciat; ille se non nisi

Digitized by Google

pro vera Religione tuenda veniſſe reſpõdet:(Reſipiſceret tandem ipſe Anaſtaſius; iram, qua in ſuum maximè Antiſtitem iniuſtè ardebat, deponeret; ſacras ædes ab impijs occupatas reſtitueret:) denique ita perorauit, ac prudenter egit, vt omnes componeret fluctus: immò ita victoria potitus eſt, vt Imperator ipſe victus vltrò ei opima ſpolia detulerit; magnam enim vim auri obtulit, ſed noluit ab auro vinci, qui auro, gemmatoque diademate ornatum viciſſet. quanquam non ita ille manus dedit, quin iterum ad ſuum rediret ingenium præfractum, & contumax; adduci non potuit, quin perditorum ſententijs acquieſceret. nihil autem abſurdius viſum eſt, quàm vt is, qui ab anaſtaſi, hoc eſt ab immortalitate nomen deductum habuit; diuinitatem mortuam diceret. non ſacrilega abſtinuit voce, ſapiẽtiũ licet, ac bonorũ perculſus monitis; nõ ſummorum Pontificum percuſſus minacibus litteris, Felicis, Hormiſdæ, Symmachi, etiam Anaſtaſij, quem videlicet orbis terræ rectorem, ſacrorumque principem diuina prouidentia alteri huic Anaſtaſio Religionis hoſti opportunè oppoſuit: multa hic egit, multa reſcripſit veteratoriè, ac vafrè, neque enim apertum bellum auſus indicere, ne à bonis deijceretur imperio: ſed ita planè plerumque accidit, vt dominandi libido, quam imprudentes appellant regnandi rationem, ſapientes amentiam, ſibi ipſi perniciem comparet, Deo intimi ſenſus inſpectore, & vltore facinorum: ſic iſti Religionem colere præſeferunt, vt eam priuatis ſuis cupiditatibus ſeruire cogant. ſed diutius non potuit Anaſtaſius continere intra ſe impietatis virus, quin tandem illud euomeret: Romani hierarchæ legatos, quos honorificè excepiſſe videbatur, vbi ad Eutychianam inſaniam, quam ipſe in primis profitebatur, ampliſſimis pollicitationibus, & grandi pecunia numerata allicere non potuit, per poſticum amandat cum militibus adexarmatam nauim; nec modò Byzantium, ſed omnes Orientis vrbes interdicit. amoto igitur ſimulationis ſipario, & patefacta Imperatoris impietate, illicò qui latebant aduerſarij tanquam è luſtris, atque è caueis erumpunt, inuadunt in noſtros; palabundi inſiliunt, eorum bona diripiunt, delubra profanant; incredibili furore perciti omnia perturbant, atque peruertunt: præbuit ſe his impium, & crudelem ducem, armatus ipſo nomine, Seuerus, qui pontificiam Antiochiæ ſedem vio-

Digitized by Google

violentus inuaserat, Acephalorum princeps, hoc est (inauditum sanè monstrum) capite carentium caput: fax ille dictus Orietis, non luce, sed incendio, & quasi bustuarius quidam gladiator, homo omnium scelerum turpitudine notatus, magicis artibus apprimè eruditus, veneficus impostor. per hunc Anastasius stabilire aggreditur quod impiè ipse sentiebat; quem videlicet strenuum sui defensorem sub pollicitatione pontificij honoris iurerando oppignerauerat, exacto per vim Flauiano. Illud quoque ab Anastasio sceleste patratum, quod Mardonio præstanti virtute viro in exilium ejecto, Byzantinæ vrbis pontificio throno Timotheum quendam substituerit, turbulentum hominem, & impium, nec sine magno Christianæ reipublicæ detrimento: in magni enim Liberatoris parentalibus ausi sūt, qui ex ea factione erant, in templum, quod in regia erat, irrumpere; & trisagio, quod ritè canebatur, temerè addere nefaria verba, quibus ostenderent diuinitatem quoque passam. exhorruerunt boni, & strenuè reclamarunt: ex ijs quidam vrbem percurrentes contestantur, tempus adesse, quo sanguis pro vera Religione fundatur: Anastasium Manichæum factum. hic nihil eo die ausus: noctu Præsulem sibi infensum violenter abreptum Chalcedonem ablegat: Timotheum sacris præficit, nempe eum, quem propter indomitas libidines, quibus adhinniebat κολίωα vulgo appellabant, hoc est admissarium equum: reliquos etiam recta sentientes proscriptione bonorum, exilio, alijsque incommodis indignissimè afficit: acta etiam ipsa Chalcedonensis senatus, quæ in arca sanctè seruabantur, per Calepodium quendam, partim sublata rescindit, partim etiam igni tradit; quod quidem tantum scelus digno planè, vt videbimus, supplicio diuinitus luit, igne ipse consumptus. præcipuus verò furoris impetus in sacros ascetas fuit; horum enim maximè pietas, ac religio prauis eius consilijs obsistebat: Imperatoris igitur auctoritate freti impij, coniuratione facta nostros aggrediuntur, ferrum distringunt, occidunt multos, vulnerant plurimos: nonnulli ad aras ipsas victimarum more mactati. missi propterea legati duo ad Anastasium cum querelis, sed ab ipso exturbati sunt, ignominia quoque, ac probris affecti; quo certè se auctorem scelerum, ac velut incendiarium declarauit; ipse verò, vel quod Martyrum inuideret gloriæ, vel quod imperium simulatione Religionis partum nollet in discrimen

Digitized by Google

scrimen adducere, optimates è nostris falsò perduellionis nomine damnat, trucidat; regiam ipsam impiè cruentat. quin etiam Iustinum, & Iustinianum clarissimos viros, quibus imperium parabatur, notauerat, ac designauerat ad cædem; nisi quod deterritus est somno, in quo ei horribili specie quidam se obtulit, comminatus, ne quicquam graue in illos attentare auderet: eo metu penè illi è manibus extortus est gladius. cum igitur tot, ac tanta ab Anastasio, ac ceteris impietatis ducibus veræ Religioni inferrentur incommoda, Natura ipsa quasi immani scelerum mole grauata nutare cœpit: terræmotus ingentes facti, quibus in Dardania regione viginti quatuor castella vno momento collapsa sunt: præcipua verò vrbs funditùs ruit; plurimi totius prouinciæ montes eo terræmotu conscissi, atque diruti, saxa suis euulsa compagibus: crepido per triginta passuum longitudinem patens, atque in duodecim pedum latitudinem dehiscens profundam patefecit voraginem, ac velut aperto ore tellus nefarijs impiorum vocibus reclamauit, qui diuinitatem à pœnis immunem negabant; simulque exorbere contendit, qui suo Cõditori probrosè obtrectarent. præterea vno in castro Canisiæ regionis terra ruptis venis, & ad instar torridæ fornacis exæstuans diutius, altrinsecus feruentem vndam euomuit. talia planè pati in primis Dardani meruerunt, qui sæpe à hierarchis moniti obtemperare noluerunt: fit igitur instabilibus terra mobilis, meritòque deorsum desidet ijs, qui tam abiectè de diuinitate sentiebant. potuit tot, tantisque prodigijs Anastasius commoueri, sed restitit in eadem perfidia, atque amentia, cum humanis diuina confundens: quo factum est, vt nonnulli è nostris sapientibus interpretarentur, ac dicerent, hunc esse illum, quem sacræ literæ describunt aprum immanem vineæ insultantem, atque omnia deuastantem; aut hanc esse belluam illam cornupetam, quæ videbatur agno simillima', ob vafrum scilicet, & versutum eius ingenium. Sed iam pridem ad infelicem eius exitum calamus properat: territus est Anastasius ante mortem insomnijs horrificis planè, ac miris. quidam dormienti specie prorsus immanis, atque adductis supercilijs adstare visus; qui librum manu gestaret cum calamo, & atramento; tum ipsum toruo obtuens vultu; (En, inquit, ob perfidiam istam tuam quatuordecim vitæ annos, qui naturæ debebantur, deleo:) factum videtur

Digitized by Google

tur hoc, contra quam accidit olim pio Hierosolymæ Regi; nã illi quidem lacrymanti per prodigiosum Solis, vmbræque regressum additi, ac producti anni sunt quindecim; Anastasio autem, qui de nostrorum potius lacrymis, ac mœrore gaudebat, adepti sunt, & recisi quatuordecim. Ad hæc cõsternatus quoque dicitur insomnio altero: fœdum animal, ac lutulentum visum est in ipsum irruere grunnitu terribili, tum ipsius purpuram dentibus carpere, Imperatoremque ad terram cum vi prosternere, morsibus etiam lacerare: accersiti sunt statim conjectores, in primis Proclus ille mathematicis artibus eruditus, ac nobilis; hic apertè pronunciat, Anastasium breui è viuis excessurum: expalluit ille, atque obriguit. ac Baldassaris tyranni, vt est in sacris literis, fortasse venit in mentem; nisi quod ille, digitos tantùm vidit in pariete, qui sententiam mortis inscriberent; hic verò scriptoris etiam vultu ipsum horribiliter obtuentis est territus, qui de libro eraderet, quod supererat vitæ. iam exitum spectemus: cum mathematicorum opera libenter Anastasius vteretur, eorumque prædictionibus, ac præsensionibus esset addictus, audiuit igne sibi cœlesti pereundum fore; subterraneam igitur cisternam effodi iubet, multis meatibus patentem, quorum cuique aquæ cadus esset appositus: Tholotum ædificio nomen fuit: ita conatus est fatum eludere; verùm id abs re fuit: excitata enim repente aliquando procella, ac turbine, cum tonitrua horrendum in modum resonarent, & fulgura multa eliderentur, perterritus è cœnaculo in inferiora descendere, alios atque alios thalamos subire, huc illucque diffugere, tanquam non ignoraret suum caput peti. antequam in illud subterraneum ædificium, quod arte construxerat, se reconderet, ictu fulminis exanimatus occubuit: nempe hoc perire telo debuit, qui Romanorum pontificum fulmen non semel in se contortum contempserat; & qui nec eo prodigio, quo ignis è terra eruperat, commotus fuerat, opprimi igni de cœlo tactus; adde quod acta Chalcedonensis curiæ sacrilegè concremauit: adeò frustrà fuga consulitur, cum Numinis vindicta persequitur: & verè dictum illud, quanquã à poeta: (Raro antecedentem scelestum deseruit pede pœna claudo:) nihil Cæsares iuuant, aut fulminatrices appellatæ legiones, aut aquilæ fulminis administræ: nisi illi Religioni pareant, fulmen in proprium recidet caput, etiam laureatum. Iam ne casu videretur hoc

Ana-

Digitized by Google

Anastasio accidisse, ostensum est miris visis, vltorem fuisse Deũ: nam cum Elias Hierosolymitanus antistes ab eo relegatus in Sardiniã, cum ceteris optimatibus esset; & Sabbas, qui vti diximus, ad Imperatorem legatus fuerat missus, ipsum conuenisset: nonis Iulij, Elias in illorum conspectum, hora, qua solebat, minimè venit; tum mirantibus cunctis, & aduentum præstolantibus, intempesta nocte adsuit illacrymans: illis autem, scisitantibus, ecquidnam ei accidisset? Sabbam intuens, hac, inquit, hora miserè obijt Anastasius; me quoque oportet die decimo post eum è viuis excedere, vt causam nostram Iudice Deo ad tribunal agitemus. narrabat autem illa ipsa hora sibi per speciem oblatos fulminis iactus, quibus Imperator appetebatur, ipsumque sibi videre visum per regiam trepidè discurrentem, ac frustrà se condere conantem: vtriusque oraculum confirmauit euentus, nuncio mox de Cæsaris morte delato, & Antistite vita functo. ita magno planè diuinitatis consilio tanta res, tot, tamque insignibus testibus meruit in exemplum punitæ perfidiæ toto terrarum orbe fieri perspicua: enimuerò non hi duo tantùm, sed & Flauianus Antiochiæ Præsul ab eodem Imperatore damnatus, de eius obitu diuinitùs est admonitus: qui cum ab Elia loco disiunctus esset, similiter est afflatus; ambo enim eadem die, hora, momento literas sibi inuicem dederunt his verbis exaratas: (Anastasius hodie mortuus est: eamus ergo, vt adesse iudicio liceat.) itaq; ambo eodem quoque die de vita migrarunt. in hos incidit ille vel testes, vel accusatores etiam mortuus, iterum vt Religionis hostis, ac perduellis magni Iudicis sententia fulminandus.

PERSECVTIO CABADIS PERSARVM REGIS.

An. Christi circiter 502. INtestino hic odio in Christianos excanduit, nempe execrabili illo incensus igni, quem colebat vt Persa; sed ea fax antequam Cœlitum templis adhæresceret, exercitus sui sanguine restincta est. conatus est Cabades hic Iberos in primis, qui Asiam incolunt, ac propè Caspias inhabitant portas, sibi fini-

Digitized by Google

finitimos à Christiana Religione ad Persicam superstitionem omni arte traducere; cuius cõsilij successu fraudatus, Iberorũ Regi Gurgenti cum alia impiè ex patria consuetudine fieri mandat, tum vt Deorum hostes non modò morte afficiat, sed insepultos auibus, canibusque lacerandos, vorandosque proiiciat: ille rei indignitate commotus, à Iustino Imperatore auxiliares petit copias: mittitur pro Religione pugnaturus Anastasij Principis filius, Probus nomine, cuius industria, & robore Cabades ita repressus est, vt expromere odium in nostros, quod conceperat, minimè potuerit. sed quoniam excursionibus bellicis, vt fit, nonnulla deprædatus fuerat, cum Iustinianus imperium suscepisset, statim dirigit ad eum litteras, deposcens quæ sibi iure deberi constaret; quibus à Cabade denegatis, mittit Imperator Belisarium Ducem cum exercitu: inita pugna est in Mesopotamiæ campis, in qua pugna diuina virtus in opprimendis hostibus manifestò cognita est: enim verò immani vi ventorum repente coorta, Persarum spicula, cæteraque missilia in Romanos intorta, ita præpedita sunt, vt inefficacia, & languida prorsus essent; contrà verò quæ Romani vibrabant, ea magno cum impetu, & ventis ipsis deferentibus in Persarum corpora infigebantur. erat dux hostilium copiarum à Cabade constitutus Myrrhanes quidam nomine, vir sanè ventosus, ac tumidus, qui Deorum suorum vano præsidio fretus Belisario responsum dederat, vti sibi mox, ac suis post victoriam balneum, & prandium appararet: appositum quidem est epulum Myrrhanæ, sed pro eius appellatione amarissimum, sui scilicet exercitus internecio, & laniena sæuissima; nec alio incaluit balneo, quàm sanguine suorum. at verò Cabades cum in Iberiam, vti destinauerat, ad extinguendam Religionem, quæ ibi florebat, properare non posset, statuit eã in suo certè regno extinguere, ac delere. itaque cùm alijs multis acerbis supplicijs eius professores exercuit; tùm eo maximè, quò, & poplites concidit; & linguam euulsit: ne videlicet aut in stadio virtutis excurrerent, aut præcones diuinitatis existerent: sed admirabili prorsus prodigio factum est, vt & concisis illi poplitibus recti, citiquè ambularent; & sine lingua vocaliores essent. infregit ea res Cabadis animum, ac tantam vim Christianæ Religionis admiratus obstupuit. accessit alterum, quod barbari mentem perculit: oppidum erat inter

Digitized by Google

Persidem, & Indorum regionem Thundadeer nomine: in eo Cabades grandem pecuniæ vim, ac pellucidos multos magni pretij lapillos clam asseruari audierat ad inferendum Anastasio Imperatori bellum, hosti, & nostrorum, & Cabadis infestissimo; incensus est habendi cupiditate; itaque vt oppido potiretur, nihil intentantum reliquit; sed quò minus assequeretur, quod optabat, impedimento erāt Stygij custodes magicè positi, qui thesauris vigiles excubabāt: exptus est omnes Magorū, ac præstigiatorum artes, euocationes, impostura; sed nihildum egerat; per Iudæos quoque rem expedire aggressus, item vano conatu: tandem per Christianos rem confici posse in spem venit; quod illos aduersus hoc genus hostium magna vi pollere intellexisset: itaque eum, qui apud Persas erat, sacrorum Antistitem, ad se accersit; quid in votis habeat, ostendit; operam eius exposcit; is arbitratus hac via Regem ad nostra instituta posse traduci, non detrectauit iussa: igitur cœtum suorum cogit, supplicationem indicit ad aras Cœlitum, vti omnia Dei nutu agantur: tum locum adit, Stygios hostes, thesauri custodes diris execrationibus vrget, exagitat, exigit, propellit: statim illi se dant in fugam, crucis videlicet exterriti signo: mira vis in ligno, quo & aurum Cabadi est exibitum, & ferrum in nos districtum inhibitum: oppidum, sine armorum strepitu statim in ditionem cedit, thesauro potitur: admiratus veri numinis potestatem dat omnibus facultatem, vti Christiana sacra suscipiant: hierophantas impiè aduersantes auctoritate cōpescit; Iudæos omni honoris gradu, in quo collocati erāt, deijcit; de Manichęis præsertim, quòd eos in Regno noua moliri audisset, ingentem edit stragem; execrabilis Persarum ignis sacro fonte, quo abluti sunt plurimi, extinctus; denique auro p̄ nostros acquisito, beneficio Religionis, aurea succesit ętas.

PERSECVTIO

ALAMVNDARI SARACENORVM PRINCIPIS.

An. Christi circiter 509. ALamundarum in Christianorum antea cæde graſſantem habuit postea vera Religio defensorem; cessit tandem non

non armis, sed prodigijs victus. collectis hic Agarenorum copijs, infectis armis vexabat Arabiam maximè, ac Palæstinam: erat tum hæc regio religiosissimis viris referta; aduersus hos potissimùm intentus erat ille barbaricæ impietatis arcus; ipsæ nemorum latebræ nostros tueri non poterant: tanquam enim venatici canes, etiam vbi hominum vestigia vix extabant, omnia illi odorabantur ad prædam. degebat tum in occulta specu procul ab vrbiũ tumultu Ioannes ille, qui dictus est Silẽtiarius, vir eximię virtutis; quẽ taciturnitas celebriorẽ fecit, nõ Pythagorica superstitione imbutum, sed magisterio pietatis. hunc conueniunt ceteri Patres, monent, vti se imminentium barbarorum furori subducat, qui in ascetas maximè debacchabatur; & vnà cũ ipsis in alias regiones trãsferri patiatur: at ille Dei patrocinio fretus nulla vi precum adduci potest, vt tanquam metu victus de statione decedat. interea barbari Alamundari iussu excursionem facere, incendere oppida; vastare agros, innumerabiles hominum strages edere, multa millia captiuorum abducere; in syluas denique, ac nemora irrumpere, atque in illam ipsam specum, vbi sanctissimus asceta degebat; profundum eius silentium clangore tubarum, strepitu lituorum, hinnitu equorum interturbare: quid tum illi præsidij, aut vnde datum? è cœlo nè missum? immò proximè, ex ipsa videlicet syluâ: mira res; leo immanitatæ magnitudinis, atque aspectu horribiliore, quàm ceteri, accurrit; tugurij aditum suo corpore intercludit, opponit se vnus armatis hostium copijs; nec ante discedit, quàm Barbari iubata ceruice, vibrantibus oculis, atque immani rugitu, ipso quoque obstupefacti prodigio, Ioannem venerati pedem referant: nihil deinde tam celebri sermone iactatum, quàm mira leonis de Silentiario tutela; cuius fama cum ad Alamundari aures accidisset, didicit mirò modo à leone mitescere, feritatemque deponere, immò ipsemet ex leone in agnum euadere. quanquam & alia non minora prodigia barbari Regis animũ perculerunt; nam cũ in Religiosorum hominum asceterium, quibus Sabba vir sanctitate clarissimus præsidebat, impetum Agareni fecissent; ex ijs vnũ, qui maiore audacia in Sabbam ipsum impias manus inferre conabatur, repente terra desidens, atque dehiscens immani labe facta viuentẽ absorbuit; quo portento absterriti socij, venerati diuinos ascetas, desiterunt ab incœpto extremo loco

sit illud, quod in Syriæ depopulatione accidit sanè mirãdum. Non longè ab vrbe Damasco delubrum erat Theodoro fortissimo quodam Christi militi sacrum; hoc ingressi Agareni omnibus illud sordibus, & immunditijs conspurcant, ac fœdant, & tanquam Augiæ stabulum reddunt: deiectis aris harã faciunt, ac iumenta ad stabulandum immittunt; nec dum hac ignominia factũ impietati satis; imagines ipsas Cælitũ sacrilegè inuadunt ferro; inprimis vnus ipsorum in Theodori effigiem intento arcu sagittam dirigit, humerum ferit: mirum dictu: statim inde tanquam ex corpore viuentis, ac spirantis vbertim manare cruor, perque omnes artus decurrere; consequuta mox est vltio diuinitus: non modò enim percussor ipse, sed socij, quotquot resipiscere noluerunt, breui temporis spatio extincti sunt morte: hæc insignia de Theodoro prodigia vidisse se narrat Anastasius Sinaita locuples testis: extabant enim adhuc tantæ rei vestigia, & sagittæ ipsa quasi recenti cruore perfusa; quæ quidem sagitta multò acerbius transuerberauit aduersarios, iconoclastas in primis: quod ipsorum vulnus auctum est alio, cum viderunt Alamundarum principem ad nostra instituta migrantem. quod ægrè ferentes non destiterunt moliri omnia, quò eum ad pristinos errores reuocarent: conatus est hoc præ cæteris Seuerus, hostis veræ Religionis acerrimus, à quo Seueriani profluxerunt; is duos misit ad Regem primarios ex impia disciplina viros, qui ipsum instituerent, docerentque, vnam in Liberatore nostro esse naturam; ac proinde diuinitatem ipsam cruciatus, mortemque sensisse: at Alamundarus, vt erat acri ingenio, & à nostris probè eruditus, lèpidè fabulam huiusmodi commentus est sanè præclaram: finxit se litteras accepisse, quæ cœlestis exercitus principem Michaelem mortuum esse significarent: cum legati negarent id fieri posse, quippe beatæ illæ mentes ab omni corporis concretione secretæ, morti non sunt obnoxiæ, respondit: ipsos igitur insanire, qui duas naturas Christo non tribuant; oportere enim, si congruenter loqui velint, fateri diuinitatem morte perculsam: quò responso tota legatio in ludibrium abijt. tanta vis est, & efficacitas Numinis, vt barbaras ipsos, si se in eorum mentes insinuauerit, etiam nostrorum cruore respersos, non modò veræ Religionis alumnos faciat, sed magistros.

PER-

Digitized by Google

PERSECVTIO
DVNAANI HOMERITARVM REGIS

NEque Iustino Imperante licuit Religioni omni ex parte quiescere, atque ab iniuria feriatam esse. ditione tum tenebat Arabiam felicem, quæ olim quidem Sabba, postea vocata est Homeritis, Dunaanus, inconstans vir ingenio & perfidiæ monstrum: hic abiurata Christi Religione ad Iudæorum instituta transierat: nemo est, qui cum Iudæum factum audiat, non statim, & impium, & Christianorum generi inimicissimum arbitretur: in eam verò adductus est insaniam, vt patrem habere se diceret Mosen, ducem illum Hebræę gentis, ab omni laude nobilissimum, ac dictum Pharaonis Deum, cuius vtinam intellexisset oracula, næ cum nostris feciſſet. Pergit igitur cum exercitu ad Nigram inter Arabiæ ciuitates, cùm opibus, tùm Religione florentissimam; vt ea potitus, incolas, aut Iudaicis ritibus imbuat, aut Ethnicorum superstitione implicet. Vrbem obsidet, machinis oppugnat: eminebat in excelsa turri triumphale vexillum, ac trophæum crucis ipsi inuisæ; nihil adeò Iudęi tyranni acuebat iram, nihil magis animum cruentabat: minitatur ciuibus, & excubijs, nisi signum illud actutùm euerterent, captam vrbem ferro se, flammaque penitùs vastaturum: nimirùm perstingebat, & hebetabat eius oculos fulgor crucis; ingens eius gloria inuidiæ fiebat obnoxia. igitur vt vrbem capiat, omnes aditus indagare, omnes exitus diligenter custodire atque munire; cumque interim Christianos, quotquot in agris erant, atque suburbijs, collegisset, alios quidem crudeliter interimit, alijs pro mancipijs probrosè, nec minus immaniter vtitur. tum ad dolos, fraudesque conuersus petit sibi liberè ingredi ciuitatem ad oblectationem tantùm, vt splendorem ciuium, vt ædificiorum pulchitudinem admiretur: ad hæc interponit seuerè iuramentum; se nihil incommodi, nedum exitij moliturum: habita fides est certè vt Regi; sed hanc ille statim violat vt Iudęus: aperiuntur Vrbis portę; recipitur cum exercitu tanquam in ouile lupus; ac

An. Christi circiter 522.

Digitized by Google

ac primò quidem ille omnia obeundo collustrat oculis, quibus interim bonos designabat, ac notabat ad cædem. laudat figuram, & situm Vrbis, ciuium multitudinem, procerum decus: deinde iubet acciri optimates; quibus in magno conuentu adstantibus larnam deponit, ac perfidiæ virus euomit. Aretam vrbis præfectum, qui canitie, sapientia, morum modestia, præibat cæteris, aggreditur; consilium suum aperit in celebermo conuentu: (Sibi in animo iampridem fuisse Iudaicos ritus penè sepultos excitare; gentem tot, ac tantis à numine beneficijs affectam, tam singularibus prodigijs terra marique illustratam, ad pristinum gloriæ gradum reuocare; viliſſimi verò ligni crucis memoriam abolere:) qua execrabili voce vix edita, exhorrescere Nigranenses, reclamare in primis Aretas, suas partes esse ratus Religionem vel cum capitis periculo tueri, cui & commissa ciuitatis gubernatio esset, & inditum nomen virtutis. huius maximè dicendi libertate perstrictus Dunaanus, & constantia victus, abripi ipsum cum socijs iubet in vincula. interim de Paulo ciuitatis Præsule quærit; vbi eum vita functum cognouit, quid agit? facinus aggreditur detestabile, quod neque Scythiæ tyrannus egisset: sepulchrum effodi iubet; sanctissimi viri cadauer erui, igni subiecto cremari: tum cineres in aerem ventilando huc illucque dispergi. iterũ deinde ingentem accendi rogum; in eũ injici quotquot essent initiati sacris, quotque in asceterio dicati Deo. Virgines ipsas è parthenone extrahi, in communi bonorum busto exuri; quem illæ ignem maiore pietate complexæ sunt, quàm Vestales olim suum: denique omnes confestim, & confertim ad necem optatissimam aduolant; & quod admirandum sanè spectaculum fuit, in primis institutum certamen est inter nuptas, & virgines de occupando supplicio, tanquam de præripienda palma, insignibusquè victoriæ; cum nuptæ dicerent, sibi primas deberi, quòd essent Martyrum matres; Virgines autem secundas ferre nollent, quod virginitas primum obtineat locum, ac nuptijs præstet: at verò pueri primas sibi deposcere videbantur, licet vltimi in lucem editi: præcurrebant igitur matres, & carnifices pronocabãt: obstupefacti hęsere barbari, ac Dunaanus ipse spectaculo; sed vt erat præfracta, ac pertinaci mente, cuiusmodi est Iudæorum natio, quorum susceperat vitæ institutum, sit in dies infestior; excogitat facinus,

quod

Digitized by Google

quod nulla vnquam eſt commenta barbaries: puellas duas ſorores, quas nulla vi à Religione deducere potuerat, cum puderet à tam tenera ætate vinci, dirum in modum lacerari, atque interfici iubet; tum craterem earũ ſanguinis plenum matri propinat: exhorruit Natura prodigioſę crudelitatis inuentę; at non exhorruit mater. mirum, & inauditum conſtantiæ genus: ingerunt carnifices cruoris poculum in os matris; non reſpuit illa, ſed videns filias victimarum more mactatas, tanquam ad aram piè delibat earum ſanguinem: ita nouo ritu litatum eſt Deo: lac, quod ijs immulſerat, in ſe recepit, cum iam rubeſceret in cruorem; deguſtauit, & iam verſum ſenſit in nectar. porrò tanta tyranni immanitate non modò alij Chriſti fidem non abiecerunt, ſed generoſos ſimiliter ſpiritus hauſerunt: altera quippe mater cum puero quinquenni vltrò ſe ſiſtit ad Regem. nihil pueriliter, nihil muliebriter actum: immò nihil non ſtrenuè, non athleticè: ſciebat athletarum eſſe morem, vt in lucta oleo ſe inungerent; hæc cum qui fluebat è Martyrum vulneribus, ſubiecta manu excipit cruorem; eo sè, ac filium oblinit, atque inungit ad pugnam: vicit certè, & agonotheta Deus detulit vtrique coronam: plauſerunt omnes boni pretioſioris inuento muricis, & nouo more victoriam adeptis: ita ambo delibuta ſacro cruore facie, ac rubicunda, oſtenderunt, ſe, nec tyranni purpuram, nec carnificum vereri ſecures.

PERSECVTIO VANDALICA.

EX ijs, qui Chriſtianam rempublicam lacerarunt, non vltimi fuere Vandali populi, circa Mæotidem paludem antea conſidentes, quos indo fames exegit, vt de cæteris regionibus agerent prædas. commiſti igitur Alanis, & cum alijs coniurati barbaris, tranſito Rheno, in Gallias irruperunt, in. eaſque inſultantes non modò immaniter militari ferro, ſed impiè Ariano furore armati miſerabiles edidere de noſtris ſtrages: occuparunt primò quicquid inter Alpes, & Pyrenæũ eſt; *An Chriſti circiter 431. & 534.*

Digitized by Google

est; conspirauere cum eis Quadri, Sarmatæ, Hetnici, Saxones, Burgundiones, Alemanni, Pannonij; horum excursione capta in primis est nobilis ciuitas Moguntina, penitùsque subuersa. nec modò in agris, sed in templis ipsis grassatus est furor, multis hominum millibus contrucidatis: Vangiones longa obsidione deleti; Rhenorum vrbs præpotens, Ambiani, Atrebatæ, extremique olim dicti hominum Morini; Tornacus quoque, Nemete, Argentoratus, aliæquè nonnullæ gentes translatæ in Germaniam, Aquitaniæ, nouemque populorum Lugdunensis, & Narbonensis prouinciæ, præter paucas vrbes, vastata sunt cuncta; sęuijt foris gladius, intus fames. apud Hispanias verò quid egerint, longum est commemorare; quamplurimis partim peremptis gladio, partim obsidione consumptis; adde venales seruos vbique dispersos. de Genserici porrò, qui in Gallæcia regnauit, impietate mox dicemus. Iam vbi se illi per freti Gaditani angustias in Africam more torrentis intulerunt; horribilis planè cõsequuta vastitas est: vidit Aphrica noua, & maiora monstra, quàm quæ parturire solet; vidit florentissimas Vrbes ciuium cæde fœdatas; vidit in tectis flammas, in foro ferrum. nec arbustis pepercere, nec frugibus; nè fortè quod ardua montium, aut prærupta terrarum, aut alia secluſa loca, atque latebræ occultarant, post ipsorum discessum ijs alimenta sufficerent, atque ita ipsorum crudelitatem se effugisse iactarent. quæ verò in sacrorum præsertim Antistites crudeliter, atq; impiè moliti sunt, proscriptionibus, cæde, atque omni sæuitiæ genere, pleni sunt libri; Victoris in primis doctissimi scriptoris paginæ plenæ sunt. Hipponensis autem vrbis obsidio tam grauis fuit, vt Augustinum verę sapientiæ magistrum eximium ipsa expectatio imminentis exitij consenescentem luctu confecerit: præclusit ille oculos, quos lacrymando penè consumpserat, cruentis spectaculis impiorum: enimuerò quid tam miserabile, quàm illa ciuitas Romana vrbis æmula Carthago barbarorum incursione vastata, ornamentis omnibus spoliata, ferro lacerata, in bustum redacta per flammam? quid tã indignum, quàm Hippo à Græcis equitibus condita quasi fatali nomine, deiectis impiè aris, ac templis, in stabulum versa?

PER-

Digitized by Google

PERSECVTIO

GENSERICI VANDALORVM REGIS ARIANI.

IN Vandalica tempestate, præcipuus quidam veluti turbo Rex Genſericus in verã Religionẽ incubuit; q. id ſibi maximè propoſuit agẽdum, vt eã Arij diſciplina inficeret, ac violaret; hoc conſilio ſe regijs illis faſcibus, ac lictorijs ſecuribus armatum eſſe gaudebat; ſed oppoſuit ſe eius furori, atque amentiæ illa ſemper victrix, & Religionis ſtudio ardens Hiſpania; obiecit quatuor in primis viros martios, & inuictos, Arcadium videlicet, Probum, Paſchaſium, & Eutychium, qui apud omnes merito ſapientiæ, & apud Regem ipſum obſequio clari erant. hos cum in impiam ſententiam fruſtrà conatus eſſet adducere, eorum bona proſcribit, deinde in tranſmarinas regiones exules mittit, qui tantùm locum mutauerunt, conſilium non item: itaque acerbiſſimis eos addicit ſupplicijs, in quibus generoſam, & inſuperabilem animam efflarunt: fuerunt hæ primitiæ quædam heroum in bello Vandalico aduerſus noſtros maximè ſuſcepto; ac iure præ cæteris celebrandi laudibus, quippe qui cæteris præiere conſtantia. atque Arcadius quidem anteſignanus ipſorum, affluens opibus, gloria, famaque cõſpicuus, ampliſſimis honoribus functus, clariſſimę familiæ princeps, admirabili ſpectaculo fuit, cum hæc omnia Religioni poſthabuit, pro qua caput quoque deuouit. Carthagine porrò capta, ſanctiſſimiſque delubris vel ſpoliatis, vel incenſis, cæde bonorum miſerabili facta, in ipſum ſacrorum Antiſtitem, Quodvult Deum nomine, eiuſque miniſtros deuoluta procella eſt; eos nauibus fractis, diſſutis, exarmatiſque Genſericus imponit, ac maris fluctibus, ventis, & ſcopulis, ſine velis ſine remigio committit, Punicos homines, at non Punica fide, à qua conuelli nulla vi potuerunt. nauis ipſa, aura numinis afflante, ſecundo, proſperoque curſu Neapolim appulit, inclytam Campaniæ vrbem, hoſpitalem Cœlitum ſedem, Religionis portum, atque perfugium: non vt Sirenum illecebroſis carminibus mulcerent aures, ſed vt conſtantiæ, ac temperan- *An. Chriſti circiter 437.*

Digitized by Google

tiæ afferrent exemplum. pulso autem sanctissimo Carthaginis Præsule cum suis, in principem ædem sacram primò barbarus inuadit, eamque Arianæ perfidiæ mancipat: cetera item templa occupat, in primis duo egregia, & ampla, magno Cypriano dicata; quorum in altero cruorem fuderat, alterum continebat in vrna cineres trumphales. hæc dum impiè, ac sceleste patrabantur; bonis omnibus summo mœrore perculsis, & attonitis tantæ sæuitiæ monstro, ferunt Cyprianum ipsum in somnis se se optimatibus obtulisse, eosque bono animo esse iussisse, vltorem tantorum scelerum se se ipse pollicitus: enimuerò Iustiniano postea imperante, & recepta Africa est, & vniuersa Vandalorum natio profligata. Interea (vt tyrannorum proprium est, vereri omnia, ac semper esse in metu,) infestis odijs ferebatur Genserícus in eos, quos non modò leuis suspicio, sed vana deferret. itaque si quis è sacris litteris ad populum, vt moris est, Pharaonem, Holophernem, aut aliunde quempiam crudelitate, & impietate insignem citasset, obiiciebatur illi, quod in Regis personam oblocutus esset; qua de causa sacrorum maximè Antistites est insectatus; Vrbanum in primis Girbensem, & Crescentium cognomento Ensem, qui certè non modò virtute, sed ipsa armatus appellatione tam acriter cum illo, strenuèque pugnauit, vt par esset nomini incrementum gloriæ, & par cognomento armata veritatis mucrone victoria: ita Genserícus, qui veterum Ducum famam pugnando superare contendit, non solùm Carthagine expugnata, sed Roma; nostrorum virtuti, omni militari apparatu exarmatæ cessit inuitus: quanquam in ipso Romanæ vrbis ingressu cum iam malleolos, ac sarmenta ad incendium comparasset, opportunè in Leonem incidit, summum Christianæ reipublicæ moderatorem, qui ei fatalem illam tædam extorsit è manibus huius vnius sermone perculsus, quod etiam cum Attila actum est, statim barbarus à flamma, ferroque, atque à vastitate abstinuit; & quamuis ille auidè inhiaret prædæ, præcipuis tamen delubris opulentissimis rapaces admouere manus non est ausus. cæterùm nihil Genserico immanius, ac truculentius in multis experta Religio est: testis est Martiniani, ac Saturiani acerbissima cædes: iussit enim inaudito supplicio in modum serrarum validos fasces fieri, qui dilaceratis humeris non solùm ossa confringerent, sed etiam terebrando

peni-

Digitized by Google

penitùs aculeos relinquerent infixos; niſi quod poſt tam immanem carnificinam diuinitùs ita curati ſunt, vt ne veſtigia quidem vulnerum apparerent. potuit his commoueri Genſericus, & debuit, ſed efferatus eſt impendiò magis: lictores immittit, qui eos ligatis pedibus, poſt terga currentium quadrigarum inter ſpinoſa ſiluarum loca raptarent, vt ducta, reductaque dumoſis lignorum acuminibus innocentium corpora carperẽtur: itaq; diſpoſitos adegit, vt pœnã ſuã inuicẽ peruiderent, quod ipſis potius ſummo ſolatio fuit, altero in ipſa morte impertiente ſalutem alteri; qui quidem ambo, cum quadrigis diſtraherentur, de tyranno triumphũ agere ſibi videbantur; nec immeritò poſtea ad eorum tumulum præter alia prodigia hoc fiebat, vt qui lucis vſuram amiſerant, ſtatim reciperent, cum ipſi inter medios cruciatus tanto ſplendore virtutis radiaſſent; ſolùm eo Genſericus cum ſuis præſtrictus eſt. prodigioſæ quidem feritatis fuit, tot, ac tam præclaris prodigijs oſtenſis diuinitùs non mitigari, ſed potius irritari: ſcilicet cæcus amentia, & furore præceps non modò ipſe ſæuire pergit in bonos, ſed aliorum odia ſuſcitat: liberam dat Arianis facultatem necandi noſtros: itaque ipſo Chriſti anaſtaſeos die, dum è ſuggeſtu quidam e hierodulis, vt ritè fit, in hebraicam vocem lætitiæ indicem exultabundus erumpit, ei per ſummam impietatem guttur tranſuerberatur: Neſtorea dulcior fuit illa vox, quæ non manauit melle, ſed ſanguine. multi quoque ante aras ipſas tanquam victimæ iugulati; in primis verò Armogaſtæ nobile certamen præterundum non eſt, qui cum in regia verſaretur, multis, ac magnis honoribus functus, à Genſerici filio iuſſus eſt diriſſimè cruciari omni genere ſuppliciorum præter gladium: inuidia, non lenitate, ne videlicet more *M*artyrum palmam geſtans de ſe hoſte triumphum videretur egiſſe. itaque diu, ac ſæpe tibiæ torquentur, chordis, ac neruis arctiſſimè diſtrictæ: ſed velut aranei muris fila, repente dirupti ſunt: allati ſolidiores, firmioreſque, ſed fruſtra: tum deiecto deorſum capite ad vnum pedem pendere iubetur, ſed illo neruorum cruciatu neruoſior eſt factus ad pugnam, atque validior; ac deorſum inuerſo capite animus erectior. Armogaſten conſequutus eſt alter, nomine Maſculas: hic multis à *R*ege machinis attentatus, quod ferebat omen virtutis in nomine, declarauit re geſta viriliter: itaque damna-

Digitized by Google

tur capitis: ita tamen hostis veterator, ac vafer rem agi iussit, vt si subiecta ceruice securi ille vibrantis ferri aciem pertimesceret, ipsum feriret; sin autem fortem, constantemque perspiceret, vulneri temperaret: vno igitur iussu hostis, & impium se declarauit & pariter inuidum. post hæc fortissimum Christi militem, & genere clarissimum, Saturum nomine, aggreditur, Arianæ disciplinæ prorsus infensum: hunc primò allicit pollicitatione munerum, deinde territat comminatione pœnarum; spoliat bonis omnibus, distrahit seruitia, liberos seruituti addicit, denique vxorem alteri abiectissimo in coniugem tradit: illa hoc affecta probro, virum cum lacrymis exorat, ne sinat tanto cum dedecore se ab ipso seiungi. lactentem item infantem ad pedes abijcit lacrymantem: mammas ipsas lacte turgentes nudat, ostentat; sed ille sanguinis potius sui fundendi, quàm lactis vxoris rationem habuit; damna verò illata, atque supplicia tam auidè hausit omnia, vt ante Tyrannus exsaturatus sit ijs inferendis, quàm Saturus accipiendis.

PERSECVTIO,

HVNERICI VANDALORVM REGIS.

An Christi circiter 463.

GEnserico vita functo, Hunericus maior natu filius impietate non minor, & regno succedit, & moribus: quanquã initio, (vt est vafrum semper, & ad fraudes pronum barbarorum ingeniũ,) visus est paulò mitius, ac temperantius agere: immò verò aduersarios ipsos veræ Religionis exagitare, atque insequi; nam multos è Manetis disciplina captos incẽdit, plurimos distraxit longè nauibus transmarinis: de qua fæce inuentus est vnus tam peruicaci mente, vt Manichæi nomen nouo more inscriptum ferret in fœmore: impietate videlicet tanquam gladio erat accinctus, vt ostenderet se nostris institutis inferre bellum. sed adultus postea Hunericus omne virus, quod incluſum latebat, euomuit: hunc Eudoxia iunior ex Augustorum gente cum accepisset in coniugem, exosa tandem, atque auersata illam Ariani hominis consortionem, qua se infici, ac fœdari putabat, contempto Reginæ fastu, atque insignibus

gnibus, clam fugam init, peregrinari mauult, quàm imperare; magni Liberatoris ſepulchrum antefert regiæ; Hieroſolymam venit, ac piè perluſtrat: quo tempore graſſante huiuſmodi furore Vandalico, Veſuuius mons Campaniæ inteſtinis ignibus æſtuauit; & eum, qui in hoſte furor exardeſcebat, horribili expreſſit incendio: incredibile videri poſſet, quod narrant, cinerem Bytantium vſque fuiſſe diffuſum; ſubſequenti verò anno Tripolim, atque Libyam peruaſiſſe, niſi noſtra tempeſtate, perſpectum eſſet; & ipſa caligine ſubitò offuſa, clariſſima reddita fides hiſtoriæ: nemo fuit, quin illo cinere non ſe tumulandum putarit in patriæ buſto; nemo vel longo interuallo diſtractus, cuius aures ingens illius montis mugitus, fragorque non perculerit: complexus ſum illud incendium decem libris cum commemoratione ſuperiorum incendiorum; & ephemeride vltimi. Sed vt ad Hunerici in noſtros odij flammam redeam; hic hæreditario non magis regno, quàm impietate à Genſerico parente accepta, poſt multa edicta impia, atque nefaria, edicit etiam, vti noſtrorum nemini liceat militari balteo cingi, aut vlla bellicę diſciplinæ inſignia capere, aut magiſtratum exercere, niſi cum Ario faciat: ingens igitur numerus optimatium admirabili conſtantia eiuſmodi honoribus ſponte ſe abdicauit, quos deinde è proprijs eiicijt laribus; nec modò exarmatos, ſed bonis omnibus ſpoliatos in vltimas inſulas ablegat. incredibile eſt quanta feritate egerit: quatuor millia nongenta ſeptuaginta, & amplius cum hierodulis, & hierarchis, quos è ſãctiſſimis delubris, & aris exegerat, in uaſtas ſolitudines, ac deſerta loca rerum omnium egena per ſummam impietatẽ adegit; in quorũ numero Felix Abderitanus antiſtes fuit, qui cũ ſenio confectus, paralyſis morbo laboraret, ac propterea quidã à *Rege* poſtularent, vti properè morituro parceret, præſertim cum iumento ferri non poſſet: ille barbarè prorſus, & impiè: (Si iumento, inquit, inſidere nõ poteſt, iungantur boues indomiti, qui eum innexis funibus trahant, atque in abdita loca deuoluant:) aſportatus eſt igitur Præſul ille magnus bonorum humeris quaſi quidam ligni trũcus, ſed nunquam amiſſurus viriditatem animi, floremque virtutis. Mira in illo exulum itinere ſpectacula ſunt data cõſtantiæ, etiam ab infantibus, quorum alios genitrices materna pietate conſecutæ gaudebant ſe *Martyres* peperiſſe; aliæ con-

Digitized by Google

contra impio amore, à Religione morituros conabantur auertere: neminem tamen blandimenta vicerunt, sed materni lactis obliti recentem suum sanguinem profundere gestiebant; detrusi deinde sunt in tetertimum carcerem, & angustissimũ, vbi confertim constipati velut agmina locustarum alter alteri cohærebant, situ, pedore, sordibus miserè affecti: vniuersa pœnarum genera carcer hic horrore, atque incommodis superauit: in luti gurgite penè demersi iacebant; subinde fustibus acerrimè cædebantur; præclusus erat cæteris aditus, ne eos non modò alimentis, sed sermone leuarent. postea inde educti, vt ad exilij loca pergerent, cum vix gressus firmare possent, hærebãt lãguore cõsũpti: agitabãtur igitur cõtis, ac stimulis, hastilibus etiam ferreis pueri ipsi, ac senes, vt maturarent gressus; & quod non modò visu, sed auditu horrendum est, & execrabile, qui progredi nõ possent, ij alligatis pedibus, vi quadã per loca dumis obsita, & saxis aspera distrahebantur: natabãt cruore viæ, cum alijs per mucrones acutos contererentur capita, alijs foderentur latera, & reliqua carperentur membra: quibus confecti cruciamentis quamplurimi inter trahentium manus spiritum exhalabant; ijs autem, qui superfuerunt, non alius datus est cibus, quàm hordeum quasi iumentis, quod ipsum hordeum parcè tributum est, ac postea denegatum: quanquam id hordeum compensatum fortissimis militibus abundanter est de more, scilicet adorea quasi stipendio virtutis. in eo exilio mirum in modum spectata vis numinis, & tutela: nam cum in desertis illis locis magna esset venenatorum animalium copia, quæ solo afflatu pestem infunderent, ferunt è nostris læsum certè neminem: depositerunt sæuitiam bellua ipsæ, & angues, sed eam in se recepit Hunericus; receperunt Ariani, qui non destiterunt eos excruciare vngulis, flamma, ferrique mucronibus. Octauianus è hierodulis primus, ac multa virorum, ac mulierum millia interempta. Lætus præsul Leptensis neci addictus, quam ille sui memor nominis ea fronte accepit, vt nunquam lætior sit visus: fuit hic postea Gothicæ immanitatis vindex; nam centum ferè post annos tulit sepe quietem Iustiniano Imperatori, eundemque excitauit, vt sumptis armis exercitum ad recipiendam Africam mitteret, omnia prosperè successura promittens, quod re præstitit. Sed in neminem sæuitum est magis impiè, quàm in Eugenium, etiam.

Digitized by Google

etiam si non occiderit; siquidem hic capite damnatus ea fraude est, vt si veram Religionem abiuraret, lictor ceruices securi frangeret, atque ipsum Erebo deuoueret victimam; sin in sententia persisteret, suspenderet ferrum, ne Martyrum lauream, quam nostris inuidebat, adipisceretur: itaque constans inuentus, tantùm multatus exilio est, atque in abditas solitudines amandatus: Deinde cum Vindemialem de medio sustulisset; in Frumētios quoque duos inuadit; id videlicet sibi proposuisse videbatur, vt prouentum omnem Religionis auferret; sed contra accidit, nam neque vnquam vindemia lætior fuit, quàm cum Vindemialis cruor sub prælo supliciorum expressus abundè est; neque messis vberior, quàm cum duo Frumentij ferro quasi falce demessi. Illa verò Mauritæ hieroduli vis animi, ac libertas indicta abire non debet: hic crudelem quendam barbarum Helpiodorum nomine molliuerat, & sacris aquis initiauerat, sua manu ritè lauerat, & quasi renatum fascijs obligauerat: abiurauit deinde ille Religionem, & aduersus nostros pristinum instaurauit bellum; ac spe, quam nomine præferebat, bonos fraudauit: eo tyrannus vsus administro, multos è nostris excruciandos dedit; oblatus est in primis Mauritta ipse: tum illo pro tribunali sedente, ac fremēte, nec sanctissimum parentem verito, supplicijs mactandus lictori traditur; expoliatur, extenditur: tum nec opinanti fasciam, qua eum sacro fonte ablutum ritè constrinxerat, profert: eam què aduersus impium Religionis perduellem obtendens, ac ventilans: (habere apud se clamat linteum illud quasi perfidiæ ipsius iudicem; se verò apud Deum aliquando accusatorem fore acerrimum violati fœderis, ac sacramenti, veluti militari chlamyde, balteoque abiecto.) deinde humeros vnà cum alijs ad lictorias vertit virgas, ac securibus subijcit: rubuit hic decoro sanguine, sed non minus erubuit ille obiecto dedecore. Porrò horum certamini aptè subiūgi potest fratrum septem, qui ex asceterio extracti, tetro addicti sunt carceri, & onerati ferro; sed cum ingentium pondera catenarum alacriter tanquam suspensa collo monilia gestarent, tyrannus eorum gaudium sibi probro ducens, ira æstuans, immani prorsus edicto, nauim imperat lignorum aridorum fascibus impleri, colligari omnes, atque igne suppositio in medio pelago concremari. nemo fuit, quin monstrosum crudelitatis genus detestaretur,

præ-

Digitized by Google

præter ipsos, qui exurendi erant: incedebant alacres, Liberato qui asceterio præerat, duce, & quasi omine ipso tanti nominis læti: inter hos is præsertim maximè oculos tenebat, qui minimus natu erat, spectaculo admirabili constantiæ: nam cũ ipsum lictores suppliciorum atrocitate proposita, quibus impar esset viribus, deterrerent, ac vi abstrahere à socijs vellent, nullo modo potuerunt: concitato gradu eos assequutus est, ac sĩ minus paribus passibus, pari certè virtute. vbi verò ventum est ad nauale supplicium, sarmentis in ignem iectis, statim diuino nutu, nautis obstupefactis, prorsus extinctus est; & cum sæpe, ac sæpius renouaretur subiecto aridiore fomite, euanescebant illico globi flammarum: tantùm Hunericus abijt in flammas: exarsit videlicet ira, & erubuit; tum, proh barbaricũ scelus, iubet eos remorum ictibus à nautis verberari, atque contundi; sed nihil ipsis optabilius fuit, quàm ad veræ salutis portum remis, vt dicitur, velisque contendere; ac nequa pars feritatis vacaret, ad extremum in imum gurgitem cruenta proiecit corpora; nisi quod statim mirè lictori reddita sunt. Contemplati sumus in vno puero, & admirati constantiam singularem, eadem in duodecim adolescentibus spectaculo fuit: hi cum cæteris optimatibus in deserta loca abire iussi erant. sed quia mulices arte, & vocis canore præstabant; Ariani cuiusdam ludi magistri suffragio exempti sunt, non sine spe flectendi consilij in molli ætate. adducti sunt Carthaginem: ibi dum blanditijs agitur, superiores inueniuntur annis: non modò non capiuntur illecebris, & crepundijs, sed lenocinantes increpitant: blanditijs succedunt minæ, sed tanquam ad scopulos illisæ franguntur: itaque fustibus eos aggrediuntur; addunt verberibus vulnera; at nunquam cecinere duloius, quã inter sonitum, crepitumque plagarum; ac modulari ipsi sibi visi sunt pęana victorię: diceres choreas instituisse, & tanquam in odeò versari; cum interea tyrannus infremeret. Nec adolescentium tantùm, sed puellarum, ac mulierum varijs in certaminibus spectata virtus est: nullum Hunericus non lapidem mouit, vt Celleritæ regis vxorem quà promissis, quà supplicijs à vera Religione abduceret: iam antea illa de Genserico in multis id genus prælijs victrix extiterat; iterum cum acriore hoste conflixit: subiecit Regina delicatos humeros barbaris fascibus, parata etiam subijcere securi ceruices: sed veritus est

Hune-

Digitized by Google

Hunericus, ne dibapham faceret purpuram: tantùm è regia exturbat, in vltimas regiones ablegat, & inter aſpera ſaxa degere iubet: cum cuncti reclamarent edicto impio, ac libertas daretur mitioris exilij; ſummis ipſa precibus contendit, ne à delicijs ſuis, ſic duriſſimam ſtationem vocabat, abſtraheretur. Quid Dionyſia matrona, omnibus animi, corporiſque dotibus præſtans? hæc per ſummum opprobrium nudata, atquè ſuſpenſa, inter lanienam, & ignominiam, nihil in vita ſibi accidiſſe, vel iucundius, vel glorioſius clamitabat. tum cernēs tenera ętate filiolum inter lictorum manus trepidantem, modò illum verberare nutibus oculorum, increpare auctoritate materna; modò confirmare verbis, ac blanda voce ſolari, quo vſq; ſtabilitum martyrē fieri alacriter vidit; amplectens verò hoſtiam ſuā, grates immortales egit Superis pro morte filii, eumque domi ſuæ in vrna condidit, & cunabula mutauit in ſacrarium: lætior eum apud ſe habuit cruentum, quàm pridē lactentem. In altera quoque matrona in ſimili genere egregia vis animi enituit: hæc, cum de gremio liberi per vim auellerentur, ac virum ſuum ea de cauſa lacrymantem videret, viriliter increpuit, quod prole gaudente de nece propria, pater mœreret: ita coniux viro facta eſt magiſtra conſtantiæ: tum ſeiuncti, & ad tribunal Iudicis ſeorſum ducti; & vt facile matrem caperet, ſubtexuit Iudex mendacium, cum diceret, eius virum iam Arianum factum; quamobrem hortabatur, vt & ipſa eandem cum illo ſententiam ſequeretur: exarſit hæc non minus iuſta iracundia, quàm dolore; & cum poſtulaſſet ſe ſe ad virum introduci rem exploraturā; vbi ad ipſum acceſſit, præſente Iudice, fauces apprehendit, vt penè ſpiritum intercluderet; atque acerrimis verbis inſultans: (nullam eſſe coniugii fidem aiebat, ſi vir Religioni perfidus eſſet; nuptiales illas faces infauſtas ſibi fuiſſe, ſi tædis furiarum ardentibus vir ageretur in præceps:) vix potuit hic oppreſſis penè faucibus vocem elicere, qua oſtendit confictum eſſe crimen illud, ac ſe vnà cum ipſa paratum caput deuouere: ita in vtroque coniuge tum pietas ardens in Deum, tum mutui amoris fides declarata eſt, atque perſpecta; & veteratores Ariani deluſi. In ciuitate verò Coluſitana clariſſimi triumphi ſpectaculū dedit Victoria heroina, quæ in magno certamine oſtendit nominis omen ſui non fruſtra tuliſſe: hæc cum in frequentiſſimo thea-

Digitized by Google

tro continenti suspendio cremaretur, & circumstantes haberet liberos, ab impio viro rogabatur, vt à Religione desciscere: prolem lacrymantem eius oculis obtendebat: connubij fidem, quæ inter ambos dudum obsignatis, conscriptisque tabellis erat, in mentem reuocabat; suppliciorum acerbitatem exaggerabat: cum interim illa tanquam conditione mortali maior, ad ista nihil attenderet, & si iam laceris artubus tota diffluueret sanguine, & conuulsis distracta humeris; quam ideò tandem carnifices reliquerunt, & quia cruciando defatigati, & quia putarunt emortuam: hæc postea affirmauit, inter dira illa supplicia adstitisse insigni specie Virginē, quæ ipsam contactu solo statim miro modo curauit. porrò cum Victoria affinitatem habet non modò nominis, sed fortitudinis Victorianus Admorentinæ Vrbis ciuis honestissimus, qui tum Proconsulem agebat; hunc per omnes penè honorum gradus virtus meritò prouexerat; & cùm impio ipso Rege familiariter, amanterque coniunxerat: sed cum ipse Arij sententiam detestaretur, primùm inuitatus ab Hunerico promissis amplissimis; deinde cum ille non modò rem fœdam execraretur, sed se paratum liberè diceret ad ferrum, ad flammam, ad extrema omnia: tot tamque diris affectus est supplicijs, vt qui eius acta scripserunt, historia complecti cuncta diffiderint. Præter hæc Tarabaiensis quoque ciuitas pulcherrimum exhibuit, & dignum prædicatione spectaculum: ibi duo germani fratres inter se non minus natura, quàm Religione deuincti, iureiurando se obstrinxerunt, nullo terrore pœnarum à proposito deiectum iri: tum à tortoribus contenderunt prece, vt ambos ijsdem, paribusque supplicijs, eodemque mortis gradu conficerent: satis voto factum: vterque suspenditur; molibus lapidum pedes distenduntur; toto die cruciantur: cum alter grauitate supplicij pressus petit se deponi, inducias tantisper cōcedi sibi, non vitam: tum alter pœnæ suæ oblitus, veritus, ne victus frater manus daret, de suspendio clamare, reposcere obligatam iureiurando fidem, fœderis iura repetere, diem ei dicere vltimam, videlicet, qua ad magni Iudicis tribunal communis omniū actitāda est causa: quo sermone ita ille roboratus est, vt non modò deponi noluerit, sed tortores lacessseret, atque alia quoque genera suppliciorum sibi inferri optaret: itaque ambo ignitis laminis adusti, ambo vngulis exarati,

Digitized by Google

rati, ferro lacerati ad carnificis ſtuporem ſunt; præſertim cum ſtatim eos diuinitùs curatos ſine vllis pœnarum veſtigijs cerneret. omitto certamina cæterorum; illud tamen vnum ſilentio præteriri non poteſt, quia prodigium continet exſectarum ſingulare linguarum. in Typanẽſi quippe ſuperioris Mauritaniæ ciuitate, cum optimates ab Ariano Præſule, à quo ad perfidiam vocabantur, fugiſſent; ac relicta patria, domoque, mari tranſmiſſo, aliò ſe recepiſſent: Hunericus magiſtratum eò dirigit, qui iubeat, eos aut cum Ario facere, & idem ore fateri, aut linguam ferro ſubijcere: nulla mora, ſtatim ſinguli exertant linguam. quid tum res ſanè inauditi plena prodigij: triduo poſt, diuinæ videlicet Triados eandem in perſonis tribus gloriam, naturamque tuebantur; qui erant elingues, in integras, & liquidas voces ora ſoluerunt, tum maximè facundi atque diſerti: hoc egit ferrum, vt aureum ſermonem velut è fodina oris effoderet; hoc cruor, vt melle dulcior manaret oratio. narrat Gregorius Magnus, accepiſſe ſe à probato Scne, qui diceret, ſe intuitum ipſorum ora linguis deſtituta, & quoddam relaxato in imo gurgite veluti barathrum, cum tamen verba ſine vlla hæſitatione planè erumperent: vni ex ijs Reparatus nomen fuit, quodã quaſi reparandæ vocis auſpicio. cõtra verò quod alteri accidit, omitti non debet æquè mirũ: qui cũ turpiter inceſto Cupidini ceſſiſſet, eo munere ſtatim orbatus eſt: nẽpe vbi nefariè cœpit agere, mirè effari deſijt. ſed illud & Marcellinus ſe & audiuiſſe, & vidiſſe teſtatur, omnem admirationem ſuperat; adoleſcentem videlicet ex eo numero fuiſſe, qui quanq̃ non carebat lingua, ab ipſo tamẽ ortu eius vſu carebat omnino mutus. hic, cum ei ob veræ Religionis confeſſionem euulſa radicitus lingua eſſet, tum primùm loqui cœpit, vel quaſi curata, vel recepta: nobiliſſimus planè præco diuinitatis effectus, ita ut ferrum ei potius abſtuliſſe videretur linguæ impedimenta, quàm linguam; legimus quidem Crœſi filium loquẽdi vſu deſertum, ad protegendum patris caput miniſterio nouæ vocis, quaſi beneficio pietatis inſtructum fuiſſe; captis enim è Cyro Sardibus, cum vnus è numero Perſarum ignarus in cædem eius concitato impetu ferretur, impetu ipſo pietatis, perrupto linguæ vinculo; μὴ κτείνῃς, inquit, κροῖσον. qua voce immo clamore penè iam impreſſum iugulo mucronem reuocauit: at ille inſtrumentum

Digitized by Google

certè ferebat, tametsi impeditum, loquendi; hic autem tum loqui cœpit, cum eo resecto destitutus est; ita qui à natura habuit, vt esset mutus, à tyranno vt elinguis, in Religionis periculo vocalis euasit: nimirum huiùsmodi præcones diuinitatis habere debuit Christiana respublica, qui diuino potius, quàm humano more loquerentur; vt de ijs verè quodammodo dici potuerit, quod arroganter de impio Rege dictum olim est: Non hominis, sed Dei voces: cœpit tum Africa non sua iam monstra, quorum parens est; sed hęc diuinitus obtenta mirari: vidit hoc, & scriptum reliquit in primis vir doctissimus Aeneas Gazæus è schola Platonis: hic in libro de immortalitate animi, & corporis anastasi, ita horum meminit, vt hos verè Theophrastos dicendos esse ostendat, à loquendi diuinitate appellatione suscepta; ac primò quidem satis eleganter, ac luculenter à Gazæo Hunericus, cum Tereo illo fabulis inclyto confertur, quod eius factum imitatus quodammodo sit: nã & Tereus cum Virgini vim intulisset, vt accusationem sceleris declinaret, ei etiam linguam exsecuit: hoc tamen discrimine; quod Virgo facinus peplo intexuit, & explicauit arte, quod iam voce non poterat: his autem non opus fuit pepli textura, sed tacitè implorato conditore naturæ, prodigiosè sine linguę adminiculo sunt elocuti. exploratam à se rem, penitùsque perspectam philosophus hic affirmat, ac se planè miratum non minus, quàm si tibicen sine tibijs artis suæ specimẽ daret, aut cytharœdus fidibus destitutus, aut plectro lyristes, musicen exerceret: haud aliter ille sine linguæ plectro diuinitatis canerent epinicion. pro magno quidem munere ab Assertore nostro promissum est, vt qui veram Religionem amplectentur, linguis loquerentur nouis, sed plus tributum est, quàm promissum: nempe vt linguis loquerentur nullis. Cũ igitur per omnia supplicioꝝ genera frustra decursum esset; atque aduersarij apertè cernerent, è nostrorum vulneribus plus gloriæ manare, quàm sanguinis; victi iam, & spe abalienandæ à proposito mentis abiecta; ad fraudem se, dolumque conuertunt. inter cætera impia Arianorum instituta hoc erat, vt non semel initiarentur, sed rursus sacra eluerentur aqua: ad id nostros adigere studebant; quod cum illi execrarentur, constituerunt, quando Arianos eos facere non poterant animo, fingere certè corpore: nescias vtrùm magis dete-

Digitized by Google

deteſtere, impietatem nè, an amentiam? Tababunenis vrbis Antiſtitem virum ſanctiſſimum aggrediuntur minis, ad ſua ſigna traducere conantur, re ſemper infecta; at ne ſuperati conſtantia viderentur, conſtringunt reticulis manus, pedeſq; tum compreſſo ore ne reclamaret, aquam corpori infundunt, quaſi iterato ritè lauacro: tum læti exiliunt, iactantque Præſulem Arianum factum; cum ille interim infuſis ſibi inuito aquis opponeret, quando aliud non poterat, lacrymas ſuas. Nec leuius illud inſaniæ argumentum: intempeſta nocte clam cum armatorum manu vicos, & oppida circumuolant; ſacram vt ipſi, ſtygiam vt noſtri vocabant, aquam, gladiumque geſtantes; tum noſtros, qui iam ſe quieti dederant, alto ſopore preſſos aqua illa tacitè aſpergunt: experrectis verò gratulantur inſigni ludibrio, Arianos factos: exhorreſcere illi, ac deteſtari rem indigniſſimam: quanquam prudentibus viris ea res irriſione potius, quàm gemitu digna viſa eſt, cum ſcirent nihis obeſſe poſſe quod nolentibus, aut dormientibus ingeratur: plurimi tamen vanam ipſam, & vmbratilem ſuperſtitionis imaginem auerſati, vt dolorem ſignificarent ex nefaria ſpecie conceptum etſi non ſuo vitio, ſtatim ac factum audierunt, cinerem corporibus ſuis iniecerunt, vel vt profanam exſiccarent aquam, vel vt luctum indicarent, vel vt ſuperſtitionem ipſam buſtuariæ gentis quodammodo tumularent; alij ſe cilicino inuoluère ſacco, nonnulli cœno, ac luto ſe obleuère; vt ſic ſordidati maiores ſordes elueretur. hæc ab Hunerico rege, eiuſque ſcelerum adminiſtris impiè, nefarièque agebantur; quam ob cauſam vniuerſa penè Natura rerum commota in vltionem armari viſa eſt: facta eſt enim incredibilis fames, quæ totam occupauit Africam; nec mirabitur famem factam, qui ſecum reputet ab hoc Rege de medio ſublatos ex Chriſti diſciplina Frumentios duos. nullus imber, ne gutta quidem de cœlo defluxit, ne videlicet elueret noſtrorum ſanguinem, qui innocenter fuſus, Deum compellabat vltorem; & meritò cœleſtibus caruerunt aquis, qui noſtris affunderent ſtygias. adhæc lurida terræ facies ſqualebat omnis; vites non modò vuis vacuæ, ſed etiam pampinis ſpoliatæ: quæ item pœna meritò videtur inflicta, ſublato videlicet per ferrum impiè Vindemiali ſanctiſſimo viro. denique peſtis immanis corrupto aeris tractu Libyam omnem cum ingenti clade per-

Digitized by Google

peruaſit: Sol ipſe aliquandiu ſqualleus, ac teter apparuit. præcipua verò harum calamitatum pars Hunerico, vt par erat, obtigit: commemorari ſine horrore non poteſt eius interitus: diro morbo correptus cœpit totus ebullire vermibus, adeò vt non tam putre extabuiſſe corpus, quàm partes, & reliquiæ conſumpti corporis viderentur eſſe ſepultæ: tum qui bonorũ ſe cæde exſaturauerat, & ſanguine expleuerat, ſe ipſum appetere dentibus, lacerare morſibus; donec effuſis viſceribus eodem, quo Arius, cuius inſtituta impia ſectatus fuerat, ſupplicio miſerè affectus interijt.

PERSECVTIO

TRASAMVNDI VANDALORVM REGIS ARIANI

An Chriſti circiter 427.

TRaſamundus præſtanti indole doctrinæ, ingenij, fortitudinis, maiorem laudem conſecutus eſſet, niſi minorem parente Deo filium feciſſet; hoc etiam minus ſapienter, ac prudenter agere viſus eſt, quod præclariſſimos eius temporis viros eſt inſectatus, Victorem maximè primatem Byzantinum, & Fulgentium Ruſpenſis vrbis antiſtitem; quid enim imprudentius, quàm aut audere congredi cum Victore, aut conari inobſcurare Fulgentium? conſtituerat Traſamundus ſine ferro, ac ſanguine Religionem veram extinguere, non quod eam non odiſſet impenſius, ſed quod laureis Martyrum inuideret: conſilio igitur, atque arte rem aggreditur: edicto cauet, ne eorum, qui è viuis excederent, Præſulum piorum ſedibus alij ſubſtituantur, vt ea ratione orbum paſtoribus gregem facili negotio lupini furoris prædam faciat; ac ſapientiæ magiſtris extinctis paratiſſimus detur errori locus: prorſus indigna viſa res eſt optimatibus, præſertim Victori primati, quem obloquentem, & reclamantem Rex ad ſe adduci iubet: ille nihil veritus regias minas, in ipſo itinere Fulgentium renitentem inungit, atque inaugurat Præſulem, vt ſe oſtenderet re, quod nomine præferebat, inuictum: quo audito Traſamundus actus in rabiem, Fulgentium ſtatim in Sardiniam ablegat; quò alios quoque Africanos Præſules plurimos barbaro-

Digitized by Google

barorum regum impietas amandarat: hoc eſt ducentos viginti, & amplius. in hac temporum caligine opportunè Fulgentium diuina prouidentia obtulit: hunc omnes admirabantur, cum ſapientiæ, tum pietatis prærogatiua præſtantem. quicquid in ſanctiſſimo illo Patrum ſenatu decernebatur, huius ſtylo committebatur. cum primùm autem acti ſunt in exilium, vt haberent aliquod ſolatium vitæ, occultè ſecum in Africam aſportarunt pro magna ſuppellectile, ac theſauro, corpus magni Præſulis Auguſtini Hipponenſis antiſtitis; ſimulque eiuſdem ornamenta ſacra, tiaram videlicet, & litum pontificium: quemadmodum enim Ethnici in excidio ciuitatum fuga ipſi conſueuerunt ſecum ferre Penates, ac patrios Deos; ita illi ex Africa, atque è ſuis eiecti ſedibus, ſacrum hoc pignus adduxere; dignam planè tam nobilibus vectoribus ſarcinam: videbantur ſibi non exanimem, ſed viuum, ac ſpirãtem habere eximium illum Religionis defenſorem, atque omnis virtutis exemplar: inde magnitudinem animi, atque conſtantiam haurire ſe poſſe cenſebant. fuit quoque in eo exilio non modò ſolatio, ſed adiumentò Symmachus hierarcha Romanus, quaſi Dux, & Imperator exercitus, qui ſuum eſſe putauit, & ſufficere ea, quæ ſummam egeſtatem leuarent, & datis litteris ad pugnam excitare: eæ exaratæ ſunt in hanc ferè ſententiam: (Nequicquam hoſtem furere, cum non deſint inuicti milites, à quibus infringi poſſit audacia: nihil eſſe, quod metuant barbarum Regem ij, qui pro diuinitatis regno propugnent; nunc eſſe tempus, quo animi robur expromant: triumphales laureas non niſi bello parari: non eſſe dolendum, quod pontificiæ infulæ capiti ſint ablatæ; præſtantius eſſe velut infulatas cadere hoſtias ad aram conſtantiæ; honorem nõ eſſe metiendum capitis tiara, ſed mente: cæterùm non eſſe opus inter trophæa iam poſitos attolli laudibus, qui iam ſine monitore vicerunt.) his illi ſummi Parentis litteris, & ſimul præſentis Fulgentij voce, conſuetudine, exilij quantumuis tetra incommoda ſuperabant. Traſamundus igitur vbi accepit, noſtros in afflictis rebus, ac perditis animo nunquam magis erecto eſſe, & conſtanti, ratus ſe fruſtra minis pugnare, ſtatuit nouo more non Regem agere, ſed Theologum; vt quos ſceptro terrere non poterat, vinceret ſtylo: impugnare ſcriptis cœpit ipſe noſtram de diuinitate ſententiam, multas propo-

nit

Digitized by Google

nit tendiculas quęstionum, quibus, vt ipse iactabat, nemo facere posset satis. nostri Fulgentium strenuum pugilem opponunt, quem & natura ingenio; & Religio virtute muniera t: igitur Carthaginem reuocatur; fit omnium gratulatio; in spem veniunt, fore vt Fulgentij luce perstricta Tyranni acies mentis hebescat: non est ausus Trasamundus coram agere, nè regia maiestas præ illius oris dignitate vilescceret; sed ne videatur nihil agere, dictat quædam plena veneni, plena perfidiæ, & responsionem sibi flagitat reddi: suscepit prouinciam sapientissimus Præsul, & longissimis eius disputationis ineptijs, per obiectorum capita dirigens, responsiones subijcit breues, veritate stabiles, argumentatione necessarias, auctoritate testium graues, & totius rationis lumine radiantes; quas cum doctis viris diù, multumque collatas Regi expectatione suspenso inferendas tradit: obstupuit ille, admiratus acumen mentis, magnitudinemque doctrinæ; pudet tamen se victum manus dare; alijs eum vrget quæstionibus, ijsque ex tempore satisfieri iubet, nulla interiecta mora, ac meditandi spatio negato; putabat enim, fore, vt aliquid ex Fulgentio excideret minus firmum; atque ita cum imparato, exarmatoque hoste cōgressus reportaret victoriam: pupugit ea res Antistitis animum; sed nè videretur succubuisse pugnæ, nocturna quiete sibi subtracta, diuino implorato numine, tres libellos statim elucubrauit, in quibus excellens eius doctrina cum singulari modestia coniuncta luculenter apparet; hos ad Regem dirigit. initum deinde certamen cum Arianis doctoribus, sed debellata perfidia est; & decretus veritati triumphus: itaque cum Trasamundus Fulgentij reditum ad Religionem potius confirmandam valuisse cerneret, quàm ad labefactandam; iterum illum in Sardiniam ablegat; ac nequa reclamantis populi seditio oriatur, clam intempesta nocte ad nauim abducitur: vix hæc è portu soluerat, cum subitò venti insurgere, mare intumescere, conuoluti fluctus nauim ad littus impellere. diù in littore moratus; ac populum cum sermone hortatus, tum vaticinatione solatus est, fore, vt aliquando Religio à calamitate respiraret, ac procella omnis detonaret: inde composito mari, de Ariani Regis impietate iam victor, laureatam conscendit nauim, atque in Sardiniam reuertit ad suos.

PER

Digitized by Google

PERSECVTIO

EVARICI GOTHORVM REGIS ARIANI.

ERumpat nunc ex Gotica barbarie Euaricus, indicturus Religioni bellum. hic vbi potestate regia munitus, atque firmatus est, accingitur statim ad prædã, Cæsaraugustam inuadit; totam Hispaniam armorum fragore complet; vrbes, oppida deprędatur: in primis verò hoc sibi proponit, vt impiam Arij sententiam, ac uenenum, potius populis propinaret; & quia Gallia maximè id semper respuit, Modahario quodam ciue Gotho vsus scelerum administro, hierodulos carceri addicit, ac sacrorum insignibus spoliatos partim trucidat, partim facit extorres. nouo etiam inuento Religioni insultat: templorum aditus spinis obstrui iubet, vt asperitate deterriti Nostri succedere non auderent, atque ita solitudo esset, & à cultu diuino cessatio; nec aduertit homo insanus, fore vt in ijs ipsis spinis Religio efflorescceret: admirandum pietatis spectaculum fuit, cernere non modò viros, sed puellas, & pueros, in medios illos vepres se constanter inferre, ac toto corpore cruento, & acuminibus lacero subire templa, ariseque se sistere, victimarum more sanguine diffluentium. spoliatis delubris hæc fuerunt ornamenta suffecta: magnitudo animi, pietas, tolerantia. Illud quoque ab impio rege nefariè excogitatum: edicto cauit, ne vita functis hierodulis, aut hierarchis alij id muneris obirent: putauit enim hac ratione non modò sacrorum disciplinam, sed etiam memoriam breui perituram: cum enim nulli quasi hæredes succedunt in Christiana republica, sacerdotium moriatur oportet; neque verò spes vlla victoriæ supereſt, vbi duces, ac milites defecerunt, nec alij sufficiuntur ad pugnam. at Euaricus nè mortem quidem Antistitum expectare voluit, sed impatiens moræ è sedibus pontificijs exturbatos in transmarinas regiones amandat; Simplicium in primis, quem cum in tetrum carcerem conieciſſet, ac diuinitùs inde euasisse audisset, non modò non est prodigio commotus, sed excandescens ira, igni, & aqua interdicit;

An. Christi circiter 475.

Digitized by Google

dicit. in tantis tamen reipublicæ Christianæ malis opportunè datus est solatio Lugdunensis præsul, Patiens nomine, exemplar inuictæ tolerantiæ; hunc certè Euaricus ipse admiratus est; factumque est magno quodam miraculo, vt superbissimus Rex, qui cum Romano Imperatore fœdus inire detrectauerat, se Patienti subijceret. hic deuastatis Gothico furore Gallijs, & sermone subuenit, & factis: post enim segetes incendio absumptas, tabescentibus fame populis tantum frumenti cõtulit, vt commercij esset species illa, non muneris; ac no uus visus sit Triptolemus, quem ob repertum frumentum, & pastum, Græcia non modò in cœlum retulit, sed imaginibus, ac signis ornauit in terris, insuper donauit aris, ac templis; vel, vt Achaica Eleusinæ superstitionis exempla mittantur, Iosephus alter est habitus, hoc etiam maior, quod quanquam Regis somnio non admonitus, abundè subuenerit. victa est etiã Euarici barbaries miro modo Epiphanij pietate, ac lenitate, qui cũ legatus ab Imperatore missus esset, cuius litteras sæpè neglexerat, ita molliuit tyranni animum, vt se ipse miraretur potuisse molliri; fertur enim gentile nescio quid murmuris infringens interpretem allocutus in hãc sententiã: (Se, licet trilici indutum lorica pectus haberet, & innexam clypeo manũ, & gladio munitum latus, inueniisse tamen hominem, à quo vel inermi expugnaretur; facturum se quicquid Epiphanius iubeat, quando grandior, atque augustior inuenta sit apud se legati persona, quàm potestas Imperatoris.) verùm Euaricus, vt barbarus, cum ad mores reuertisset suos, & vt Arianę sententiæ patronus ac tutor, sæuiret adhùc in nostros; diuina tãdem vltione, vt Gregorius narrat, morbo consumptus interijt; ac spinis illis, quibus obsepserat templorum aditus, sæuissimos dolorum aculeos rependit in morte.

PERSECVTIO.

ALARICI GOTHORVM REGIS.

An Christi circiter 480. DE Alarico Ariano, Euarici filio vera vox est paræmiæ, mali corui malum quum: admiratus est aliquando virtutem

tutem noſtrorum; obſeruauit Remigium in primis, cuius du-
ctu ſi vitæ curſum tenere voluiſſet, in Scylleo illo perfidiæ fre-
to miſerè non perijſſet: mitior, & pacatior tantiſper eſt viſus,
ſed tandem inſana regnandi libido, quod erat in pectore in-
cluſum perfidiæ virus exprompſit. ſacrorũ Antiſtites de ſede
deiecit, duobus præcipuis luminibus Gallias orbauit, Cæſa-
rio videlicet Arelatenſi, & Quinctiano Rhutenſi. erat Cæſarij
anagnoſtes Licumannus quidam, qui inſignem nequitiam
vultu obtegebat: armatur hic eodem ſcelere, quo Liberatoris
noſtri proditor; ſuggerit Alarico regi, Cęſarium, vtpote è Gal
lijs genus ducentem, totis in id viribus incumbere, vt dedi-
tionem faciat, & vrbem Arelatenſem Burgundionibus pro-
dat; cum ille contra nihil tam impensè à Superis expoſceret
quàm gentium pacem, ac temporum tranquillitatem. accep-
pit libenter Alaricus criminationem; & vt homo ex Arij di-
ſciplina, & infenſus noſtræ, ſine alio teſte, ſine actione, actu-
tùm ignem, & aquam ſanctiſſimo Præſuli interdicit: declara-
uit eius innocentiam Deus inſigni prodigio. vix ira Regis ex-
ardeſcens in impium exilij edictum eruperat, cum repente
intempeſta nocte Vrbis partem flamma corripuit, agitatum-
què vento adoleſcebat incendium: conſternati metu ciues
Cæſarium adeunt, opem implorant: commiſeratus ille; vt erat
natura mitiſſimus, accurrit ad buſtum Vrbis; occurrit flam-
mæ, ardentibus votis igneos comprimit globos, & lacrymis
extinguit. poſt hęc Alaricus Quinctianum Rhutenorum præ-
ſulem ſacris infulis ſpoliatum facit extorrem, quod Arianum
hominem præeſſe Gallijs conqueſtus eſſet: ſed mox Alaricum
debita conſecuta vltio eſt; vt qui optimates de patria exce-
dere cogeret, decederet ipſe de vita: armauit in hunc diuina
iuſtitia Clodeuèum regem, qui ab Ariano Galliarum partem
occupari, atque impijs inſtitutis infici non eſt paſſus: itaque
comparato exercitu non ante hoſtem Religionis aggreditur,
quàm ſe diuinis præſidijs muniat: à Remigio, qui ipſum ini-
tiauerat, veniam ex poſcit, à quo etiam victoriæ promiſſum
accepit: Alaricum igitur obſeſſum à Clodoneo, cum congre-
di non auderet, antequam auxiliares copiæ aduenirent, mili-
tes affecti belli tædio, contumelijs, & probris inceſſere, ſegni-
tiem criminari, affirmare ſatis ſibi eſſe virium, atque roboris
ad bellum conficiendum: itaque ſuorum importunis queri-

Digitized by Google

monijs adactus in aciem prodit; congreditur Clodouèus: primo impetu superior factus, Visigothorum copijs partim fugatis, partim cęsis, Alaricum obtruncat; tum Gallijs latius potitus, Carchasonem vrbem obsidione cingit, in qua abditas esse regias opes acceperat, quas Alaricus quondam senior, cum Romam cepisset, abstulerat. in his ferunt sapientissimi olim Palęstinæ regis Salomonis fuisse pretiosissimam supellectilem gemmis ornatam, quàm Romani ex Hierosolymitana prœda in Vrbem aduexerant. his opimis spolijs Clodonèus rex onustus de Ariano rege triumphum duxit amplissimum.

PERSECVTIO

THEODORICI GOTHORVM REGIS ARIANI.

An Christi circiter 562.

THeodorici Amali Gothorum regis ingenium varium fuit: ex Arij quidem grege, non tamen semper nostris infensus extitit, aliquādo ēt addictus. pugnās hic pro Zenone Imperatore, cum debellasset perduelles imperij, multis adeò est auctus honoribus, & in filium adoptatus: hac aura velificans aspirauit etiam ad Orientis imperium, sed ea spe frustatus conuertitur in Italiam; multis prælijs Odoacrem aggressus; init tandem cum eo fœdus, quod mox perfidè frangit, & incautum necat, atque vniuersa potitur Italia: in Regni administratione nihil aliud requisitum est, nisi de vera Religione sententia; cæterùm omnia moderatus est prudenter, ac nauiter, nimirum opera, consilijsque nostrorum vsus, in primis Cassiodori, viri & sapientia, & pietate præstantis. rem bellicam egit feliciter; vicit Bulgaros, & Pannoniam iunxit Italiæ. post hæc conuersus est rerum orbis: noua meditatur, acuit in Romanam Religionem gladium, quem in vagina reconditum habebat: Ioannem Romanum hierarcham cogit legationem ad Iustinianum Imperatorem suscipere, qua honorificè functum, non dubitat mancipare carceri, constringere vinculis, vbi ille omnibus afflictatus incommodis vita migrauit. patratum est impium à Rege facinus non alio nomine, nisi

quod

Digitized by Google

quod templa, quæ Ariani ſacrilegè occupauerant, reddiderit noſtris: quo ferè tempore, tanto facinori relamante Natura, dira hæretici pertulere: Antiochenam enim ciuitatem ab ipſis iam diù proſtitutam repente inter prandentium ora meridie ingens terræmotus inuaſit, ac magnam eius partem ſiniſtris mox ventis vndique bacchantibus, flammaſque caminorum pro tempore æſtuantes in ædificia caduca miſcentibus, immani oppreſſit exitio; atque Euphaſium eiuſdem ciuitatis præſidem impium, dempto eius capite, ruina obruit, ac ſepulchrali condidit buſto. dilata eſt Theodorico pœna, non ablata: qui extincto Ioanne, tantum ſibi ſumpſit audaciæ, vt ſe pontificijs quoque comitijs inſereret, & ſacrorum moderatorem nominaret Felicem; ſed quod, inter alias, cauſæ fuit, vt ipſe tandem infeliciter interiret. Iam in aliorum quoque optimatium cæde Theodoricus impiè graſſatus eſt: Seuerinum enim *Boetium* primò poſt diuturnum carcerem, quo eum Ticini detinuit, deinde ipſius quoque ſocerum Symmachum à perfidis, qui ipſorum gloriæ inuidebant, falsò delatos, quod *Romanam* rempublicam in priſtinum ſtatum reuocare tentaſſent, nulla tanta de re exactiore accuſationis peruestigatione, damnauit, & capite truncauit, patricios ambos, & exconſules, generis nobilitate, ſapientia, ac moderatione animi, cæteriſque virtutibus inter Romanos, & Senatorios viros facilè principes. tantum facinus in Ariano rege, inaudito, & prodigioſo mortis genere vltus eſt Deus: coenanti quippè ipſi cum miræ magnitudinis piſcis decoctum caput eſſet appoſitũ, illud Symmachi nuper occiſi caput eſt viſum, præfixis videlicet, & extantibus inferiore in labro dentibus, & toruè intuentibus oculis, furibundè ipſi, & acerbè commminari: ea monſtri nouitate deterritus, membriſque protinus tremebundis obrigeſcens, in proximum cubiculum concitato gradu ſecedit, & inſania morbi correptus execratione parricidij, quod admiſerat barbarè, occubuit: ea vis eſt conſceleratæ conſcientiæ, vt noua pariat monſtra pœnarum, terra, marique concepta: ſcilicet inter regia pocula laruatum timuit vultum eius, cuius ſitierat ſanguinem; & quem damnauerat criminationibus non veris, exhorruit fictum: in piſce captus eſt hamo is, qui tetenderat inſidias innocentibus. Sed illa multò acerbior vindicta Nnmiuis, quæ per ſpeciem oblata eſt aſcetæ

cui-

Digitized by Google

cuidam notæ virtutis: hic cum in insula Lipari remotus ab arbitris secessisset in specum, sanctè affirmabat, visum à se inter Ioannem hierarcham, & Symmachum, Theodoricum purpura exutum, squalentem, ac sordidatum, vinctis post terga manibus quasi venale mācipium in vicinū Vulcani caminum, vnde perpetuò ignis erumpit, à sæuissimis ministris inijci, atque detrudi: nempe ingenti, atque horribili pyra cremari debuit Christianæ reipublicæ incendiarius: in hunc potius, quàm in Vesuuij rogum, qui eo regnante horrendum in modum exarsit, iniectus est, nè Ciuitas integerrimæ fidei Neapolis Religionis hostem vel emortuum tanquam in fatali quadam vrna, vel potius busto repositum propè se haberet.

PERSECVTIO.

HABDALAE SARACENORVM REGIS.

An. Christi circiter 541.

HAbuit non modò Romana, sed Christiana respublica Piraticum bellum, quod strenuè, feliciterque confecit. Saraceni inuaserant maria, sublatisque commercijs, rupto fœdere generis humani, sic maria latrocinijs, quasi tempestate, præcluserant, audaciam perditis, furiosisque latronibus dabat Manucha nobilis archipirata, qui cum leues, & fugaces myoparones comparasset, omnes æquoris portus, sinus, latebras, recessus, promontoria, freta, peninsulas obsidebat: Christianis maximè infensus, quos non modò bonis, sed, nisi Christi nomen abiurarent, spoliabat etiam vita. Agebantur hæc iubente Abdala rege, qui tunc Hispaniam inuaserat, & Christianum nomen acerbissimis odijs insequebatur: classem hic centum nauium instruxerat, quam duce Manucha Agareno contra Romanum Imperium dirigit: mandat vti sacris ædibus, ac delubris solo æquatis, cunctos Christi cultores ad Luciferi sideris venerationem impellat: (hoc enim sidus ob eximiam pulchritudinem admirabantur;) recusantes acerbissimis supplicijs diuexet, ac mactet: nihil impio Duci gratius accidere hoc mandato potuit: statim se accingit ad facinus; ingentem vbique nostrorum stragem edit; occupat tandem Messanę

por-

Digitized by Google

portum, vbi nobile aſceterium erat è Benedicti magni parētis diſciplina: eminebat hìc inter cæteros pietate, ac religione Placidus, Tertullo patre natus, viro facilè præſtantiſſimo, qui propter egregia merita pater patriæ nuncupabatur; ac poſt Auguſtum nulli ſecundus habebatur: eluxit in primis eius in Deum pietas, cum Placidum ſeptennem filium, ſpem familiæ, quem præcipuis aulæ honoribus ornare potuiſſet, Benedicti palæſtræ addixit. hoc igitur aſceterium cum Manucha obſediſſet, ſumma vi effractis foribus aſcetas inuadit, omnia tumultu, & furore permiſcet: Donam deuexa iam ætate virum obtruncat; Placidum verò, vnàque fratres, & ſororem, ac ſocios triginta catenis vinctos ad ſe adduci iubet; quos cum à vera Religione fruſtra conatus eſſet abducere, nudatos fuſtibus acerrimè cædendos lorarijs ſeruis tradit: tum poſt carceris ſqualloreм, & ſordes, ac poſt diuturnam famem, pedibus ex alto ſuſpenſis, tetro fumo ſubiecto vexati, & flagris iterum ſecti, & laniati: iam emortuis penè ceteris membris, ſola lingua ſuperſtes extabat Religionis buccinatrix: itaque os ijs frangitur ſaxo, & lingua ferro præciditur; ſed habet vocem ſuam innocentium ſanguis, immò clamitat, & os elingue de Religione ſermonem vocalius habet: (Errare dicebant, eos, qui erratico ſideri diuinitatem tribuerent. Phoſphorum rectè eundem dici Heſperum, qui videlicet tenebras offundat non oculis modò, ſed menti; vel eo nomine ſidus illud non eſſe colendum, quod diceretur Venus:) hærēt primò attoniti hoſtes cùm conſtantia propoſiti, tùm exectæ, ſed vocalis prodigio linguæ, nec tamen quicquam, vt eſt Agarenorum natio peruicax, & truculenta, de feritate remittunt: excogitantur adhuc inaudita ſupplicia; & anchoræ immani pondere, Placidi, ſociorumque tibijs imponuntur; ſed hoc illis omen fuit ſtabilitatis, atque conſtantiæ, tanquam in tuta ſtatione firmatis; præſertim cum ex ipſis vnus, Firmatus nomine idem faceret auſpicium firmiter inter fluctus conſiſtendi. poſtremò iam defatigata barbarie in ſupplicijs inferendis; edicit Archipirata, vti apud Meſſanæ portum cunctis ceruices frangantur; quod ipſum fuit omen felicitatis, vt poſt vitæ curſum in littore, portuque conquieſcerent. ſecus accidit paricidis; vix enim poſt hoc facinus è portu ſoluerant; cum repente ventorum agmina tanquam in hoſtes fremere; mare efferueſcere, fluctus attollere, pœnas

de

Digitized by Google

de impietate repetere videbatur. vniuersa classis iactata, atque diffracta ventis, ac pelago ludibrio fuit: naues centum facto naufragio absorptæ: ita qui Placidum vnà cum socijs crudeliter oppressérant, implacida in se, atque infesta elementa senserunt; & cultores Veneris, ibi interitum, ac sepulchrum inuenerunt, vbi illa dicitur nacta cunabula.

PERSECVTIO.

LONGOBARDORVM.

An. Christi circiter 567.

INcubuit inter cæteras tẽpestates, & procellas in Christianæ Reipublicæ damna, quidam quasi turbo, natio Longobardorum; quæ antequam in Italiæ vastitate sæuiret, vt fieri solitum est in maximis ærumnis, præmonstrata diuinitus est: narrabat Gregorio Redemptus, sanctissimus præsul Ferentinas, sibi, cum apud præclari martyris Eutychij sepulchrum oraculis inclytum obdormisset, obiectam eius speciem, ac ter miserabili voce proclamasse: instare supremum humani generis interitum, atque exitium; tum statim euanuisse. ea vaticinatione Redemptus exterritus, & è somno excitus examinare secum ipse verborum pondera cœpit: consequuntur statim horrẽda, ac tetra prodigia; igneæ in cœlo acies visę discurrere, hastati milites, cataphracti equites inire pugnam, inter se se concurrere, omnia permiscere, atque confundere: hoc videbatur ardentior pugna; quod & qui pugnabant igneum præseferebant vultum; & cœlum ipsum, qui quasi militaris campus erat, ardebat, vnde intentabatur tanti fax belli, proposita communi spectaculo: iniectus .s. est omnibus metus, ne *M*undus in se se collapsus vltimò rueret: cum ecce tibi colluuies Longobardorum, (siue ità dicti sint, quod longis bardis vterentur, siue quod ex Lingonibus Germaniæ populis, & Bardis Galliæ commixti,) more torrentis, inundat: depopulatæ vrbes, euersa castra, concremata delubra, violata, ac profanata gynecæa, parthenones, asceteria; desolata ab hominibus oppida, agri ab omni cultura destituti, vrbes in solitudinem versæ: ita vaticinatio non abfuit ab euentu; quippe Occidentis Imperium corruit

Digitized by Google

ruit, quod non ante Carolum magnum restitutum, & tamen in Gallias translatum; atque vt torrentes ex aquarum colluuie hinc inde confluentium lapsu incrementum accipiunt, ita hæc natio ex alijs conflata uim cepit. Alboinus enim, qui apud ipsos regnabat, Clotorindam Clotarij Francorum regis filiam in vxorem duxerat, ac proinde fratres item reges cognatione attingebat. præterea cum Hunnorum gente fœdus inierat: accedebant auxiliares copiæ Saxonum, ac gentium aliarum, quarum singulæ negotium facessere Italiæ possent: acuebant itē Longobardos ad rapinas, ac cædes flagitiosissimi mores: partim enim prauis Arij institutis imbuti erant, partim Ethnicorum more viuebant: quorum hæc erat præcipua superstitio: caprę, quod animal fœditate insigni est, caput Numinis loco habebant: huius pecudis capiti proni demittebant sua: tum circa illud in orbem cursitare, choreas agere, carmina concinere. multi è nostris, quod ad sacrilegum illum ritum adduci noluissent, acerbissimè trucidantur. ex hoc duplici fonte, ex Ariana videlicet perfidia, & inani superstitione simulacrorum, immane illud odium: hinc cædes piorum, excidia delubrorum, euersiones ararum, effossio sepulchrorum; quæ omnia demoliti verterunt in stabula. tametsi sæpè prodigijs inusitatis, ac magnis diuinitùs sunt exterriti: dum enim Samnium depopulantur, & omnes recessus, & nemora ipsa scrutantur, in specus incidunt, in quod asceta quidam virtute præstans, Menas nomine, se abdiderat, à tumultu barbarico remotus. latebram ingrediuntur ad prædam; nihil quod prædentur inueniunt præter mellis fauum: hunc vnus ex ipsis dum rapere aggreditur, statim à Stygio hoste corripitur, in terram affligitur, vexatur, excruciatur: ita qui apiarium diripere conabatur, in fucos incidit, & mellis rapinam amarissimo supplicio compensauit. accessit aliud prodigium, quod Longobardos perterrefecit, ac perculit: Arianus quidam apud ipsos præsul suo ritu execranda facturus sacra, delubrum à nostris depoposcerat, quod cum ei denegatum esset, magnam vim militum cōparat; tum eò se confert, vt clausas fores effringat. vix accesserat, cum repentè fit fragor ingens; concussæ diuinitùs fores nutante delubro; abiectæ longius seræ, nemine id agente; claustra patescunt. tum immenso desuper lumine diffuso lychni, qui extincti erant, accenduntur; qua luce perstrictus Arianus

Digitized by Google

antistes, quasi fulgure percussus obstupuit, & hebetatus lucem amisit oculorum: iam quò tenderet, minimè videbat; alienis igitur manibus extractus didicit, quanta esset cæcitas etiam mentis. Sed illud in primis illustre; cum Longobardi vnũ è nostris hierodulis ad necem destinassent, quidam Sanctulus nomine, & re vera sanctissimus, petijt eum sibi in custodiam tradi, vademque se spondet; tum ei efficaciter persuadet, vt fugam ineat, sibi satis esse præsidij nequid ab hoste patiatur: cum igitur hierodulus repeteretur, nec adesset, pereiti rabie, fidei iussorem deuouent morti: conueniunt omnes, vt pascant oculos carnificinæ spectaculo: eligitur lictor immani mole corporis, ore teterrimus, robore lacertorum validissimus, qui possit vnico ictu ceruices frangere; demittit ille libenter; attollit altè brachium lictor, intentat securim, sed hæret statim, manus obtorpescit, & tanquam colligata in aere pendet; admirari omnes non mediocrem Sanctuli sanctimoniam, & veræ Religionis potentiam eximiam; pro lictoris salute deprecari; hanc non ante impetrarunt, quàm ille iureiurando se obstringeret, pollicitus fore, vt deinceps à nostrorum in primis cæde abstineret; nec iterum illud distringeret ferrum, quod in se ictu, & cruore vacauerat. Addere libet in simili genere illustre prodigium. Gallias inuaserant Longobardi, omnia deuastabant; fortè ad locum perueniunt, vbi asceta singulari virtute præditus latebat, Hospitius nomine: præceperat hic animo Longobardorum aduentum; ac mortales sæpè monuerat, vti Deum iratum sibi conciliarent supplicibus votis: id ipse aggressus exemplo pietatis, in paruam specum se contulerat tanquam in carcerem: ibi cilicino adopertus sacco, ferreis catenis se ipse constrinxerat more reorum. ingressi milites putarunt, facinorosum aliquem magistratuum iussu coniectum in vincula; interrogant, ecquid criminis admiserit? ille vt erat incredibili animi demissione, reum se fateri multorũ scelerum, & supplicijs obnoxium: ita locutus est, vt id sibi persuaderent: tum ex ijs vnus arbitratus se rem gratam Numini facturum, si piaculum ferro sustulisset, nudatum vagina gladium vibrat; sed obriguit dextera, nec reuocari potuit; neque enim fas esse videbatur, vt nomen illud Hospitij, iure gentium verendum, ac sanctum, violaretur: itaque veniam deposcit, ac non corpore solùm, sed mente conualuit; castrisque relictis in

eodem

Digitized by Google

eodem aſceterio cum Hoſpitio deinceps religiosè, caſtèque vixit. Nec modò in his, quos commemorauimus ferro barbarico diuinitùs ereptos; ſed in ijs etiam, quos neci tradiderunt, vim veræ Religionis Longobardi experti ſunt: Sabinum eximium aſcetarum parentem aggrediuntur: aurum depoſcunt; negat ille apud ſe, ſuoſque, qui bona omnia in egenos partiti eſſent, quicquam horum reperiri. quid tum barbari? rependunt pro auro ferrum: Sabinum in media ſylua collocatum diſtricto gladio, impactoque ceruicibus necant: vbi caput abſciſſum terram attigit; ſilua tota nutantibus arboribus contremiſcere, tellus crebro motu concuti, mons proximus quaſi radicitùs conuelli, omnia ſupremum hoſtibus exitium minitari. oſtenſum eſt eo motu concuſſæ telluris, quàm graue eſſet illud parricidij pondus. hoc horroris plenum, illud voluptatis, quo huius gentis hiſtoriam claudam, aſcetas duos Longobardi Religionis odio incitati è ramis vnius arboris in ſilua ſuſpenderāt, & guttur laqueo fregerant; ita vita functos relinquunt, & ad rapinas de more abeunt: veſpere eòdem regreſſi, audiunt illos canoris vocibus ſacra carmina pronunciantes: ſine ſpiritu vox edebatur: minus mirum videtur, quod de Orphei tumulo narrant, apud quem luſciniæ vocaliores quàm cæteræ canerent: quantò admirabilius, homines vita functos in viuas luſcinias verti, & in ramis arborum oppreſſo gutture ſuauiſſimè modulari? cygni ante mortem dulcius canere dicuntur, at hi poſt mortem. Supereſt, vt immanis, & impiæ gentis exitus deſcribatur; expediam paucis. de Alboino Rege in Italiæ vaſtitate graſſante vxor ipſa Roſimunda pœnas ſumpſit. Cencrem, qui Alboino ſuffectus eſt, ſeruus interemit. ſub Ducibus etiam dira paſſi; nam cum iterum Gallias tentare auderent, Eumius quidam, ſiue Numaiolus dux fortiſſimus accerſitus à Rege Guntheramno, cum Burgundionibus eos conſecutus eſt, & per diuortia ſiluarum, vbi tanquam feræ delitescebant, venabulis adortus, miſerrima clade confecit, prædamque opimam ad regem miſit. ita nemoroſus locus noſtris in muſicum odèum ceſſit, aduerſarijs in lugubrem ſcænam.

Digitized by Google

PERSECVTIO ATTILAE HVNNORVM REGIS.

An Christi circiter 452.

HVnni, Scythicum genus hominum, sedes initio habuere Riphæis montibus propinquas; inde latius euagati in regiones varias prorupere. gẽs dira, humanique cruoris sitiens: in prælijs aut vincere ássueta, aut in vestigio mori. his Attila vt regia potestate, ita naturæ immanitate superior imperabat; ad vastationem vrbium, ad depopulationem regnorum, ad Orbis terræ exitium natus. subiecerat sibi Gipedarum, & Gothorum Reges: militabant illi ferociſſimæ gentes, Marcomanni, Sueui, Quadi, Heruli, Turcilingi, siue Rugi, cum suis quique regulis ac dynastis, præter innumerabiles alios, præsertim qui apud Septentriones degebant: numeroſiſſimo igitur pollens exercitu, instar fulminis aut torrentis obuia quæque deijcere, omnia sacra profanaquè promiscuè peruertere, ædificia cum inquilinis diriſſima clade vastare. quin etiam nouo, & horribili cognomento, non modò lorarium se appellauit, sed lorum: Dei flagrũ se dixit flagitioſiſſimus parricida; nec tam mastigophorus, quàm homo mastigeus: scilicet regium sceptrum lictoriã mutauit in virgam, insulas capitis in compedes miserorum. ferendus fuiſſet si tantùm in facinoroſos, ac reos, nõ etiam in bonos, ac Religionis primates ferrum impiè distrinxiſſet. immiſſo exercitu disturbabat aras, demoliebatur Cœlitum templa; obsequio numinis addictos, ac sacrorum Antistites crudeliter obtruncabat. in primis Nemorium inter hierodulos præcipuum, eximia sanctitate virum vnà cum socijs crudeliter neci tradidit, quorum memoria fastis consignata, & immortalitati consecrata inter Indigetes laureatos est ritè reposita. Hanc verò tam tetram immanemque belluam Leo, qui tum Romæ hierarcham agebat, edomuit, atque peruicit: quippe ad Vrbis direptionem cum exercitu aduentanti, incredibili magnitudine animi occurrit, armatus non vnguium feritate, sed oris maiestate; non ceruice iubata horridus, sed pontificio decorus amictu; non aspero rugitu, sed blando sermone. nihil illum circumfusæ armatorum copiæ, nihil barbararum gentium truculenti vultus, nihil denique Tyranni os illud immane, ac sagittæ Scythico

Digitized by Google

thico arcu, quem geſtabat, intentæ mouerunt. certè ipſe habitus, ac lineamenta corporis Attilæ eiuſmodi fuiſſe dicuntur; vt vel nequitiam, vel ſæuitiam indicarent. minus procerus ſtatura fuit, ſed eminebat è fronte animi elatio: patenti, latoque pectore, & capite grandiore, videlicet ad praua conſilia, & machinamenta ſatis capaci; minutis oculis, ſed acribus, & cruentis, quibus maximos populos notabat ad cædem, eos huc illuc toruè circumferens; ſimo naſo, ſed ad odorandam prædam ſagaciſſimus; rarus barba, ſed fœdus hiſpida; teter color vt Scythæ, & qui intuentes metu decolores faceret. inceſſu ſuperbus; extabatq; in ipſo corporis motu temerè exultans audacia. moribus haud diſſimilis Achilli, qui dicitur, Impiger, iracundus, inexorabilis, acer. Atqui hic Leonis aſpectu perculſus feritatem omnem ſtupentibus barbaris actutùm exuit. minus eſt quod olim Hieroſolyma vidit, Alexandrum ſummi Sacerdotis ore permotum vrbi peperciſſe: aliud quippe eſt Macedonem Regem ad humanitatem propenſum, & ſummi philoſophi diſciplina excultum id agere, aliud barbarum Scythiæ tyrānum. operæ pretium autem eſt inſignem eius in hoc genere arrogantiam noſſe: nam cum depictos vidiſſet Romanorum Imperatores, aureis ſolijs inſidentes; Scythas verò, hoc eſt genus ſuum, captiuorum more ad eorum pedes abiectos, ac iacentes, opprobrium vltus eſt hoc ludibrio: ſe pingi iuſſit ex aureo throno iura dantem; Romanorum autem Imperatores, ac Cæſares ſaccos humeris baiulantes onuſtos auro, quod aurum ad ipſius Attilæ pedes proni abijcerent. quid igitur admirabilius, quàm tam tumidi ſpiritus tyrannum penè ſe abijcere ad hierarchę Romani pedes? veneratus eſt accedentem, audiuit arguentem, paruit imperanti. tam facilis eſt vel exarmatæ virtuti triumphus de hoſte. Porrò quod Leoni accidit communi Religionis parenti, hoc etiam ſub idem fermè tempus, Trecenſis vrbis Antiſtiti ſanctiſſimo, cui Lupo nomen erat, diuerſo conſilio, ſed eodē euentu contigit. Imminebat Attila eius vrbis excidio, & iam ad mœnia cum exercitu propinquauerat. ille ſupplicatione indicta (hoc .n. genus armorū præſentiſſimū ratus, ac tutiſſimū) infulatus occurrit; interrogat liberè, ecqua tandem mente ad vrbiū excidia, ad immaniſſimas mortaliū ſtrages properet? reſpondet ille diſtricto ſupercilio, ſe Dei flagtū eſſe, ac vindicē ſcelerū; tum Antiſtes:

Quan-

Digitized by Google

Quando, inquit, Dei flagrũ es, & eius nutũ exequeris, ingredere, patẽt portę, subijcimus terga verberibus: cęde, seca, dilania: nos ferientis manũ attendimus, nõ te flagrũ. hęsit Rex attonitus dicto; & vel emollitus, vel, vt perhibent, subita cæcitate percussus, abscessit innoxius. vox inuitantis Antistitis omniũ bonorũ iudicio intra laudẽ fuit. vidit ea ætas mirũ, inauditũquè spectaculũ, Leonẽ, & Lupum, ambos amantissimos gregis, custodesq; peruigiles: quorũ alter p̃donẽ procul à grege dimisit, alter intra gregẽ admittere nõ dubitauit: vterq; sanè laudandus: hic, quia Dei iustitiæ cessit vltrici, ille quia eiusdẽ clementiã adsciuit patronã. Iã de Attilæ morte, hoc tantũ constanti fama fertur, eum infeliciter obijsse; de mortis genere minus cõstat: siue, vt quidã narrãt, probrosè fœminea manu cõfossus à scorro, q̃ deperibat, interierit; siue, vt alij, subita reiectione sanguinis, intercluso spiritu suffocatus: nẽpè is, qui tantum humani sanguinis hauserat, vt eum intra venas, ac viscera continere non posset. eadem verò nocte apud Byzantium Marciano Imperatori Religionis amantissimo per quietem diuinitùs ostensus est Scythicus Attilæ arcus confractus, iaculis comminutis. Ita qui se Dei flagrum iactanter dixerat, Deo vindice diristimè vapulauit.

PERSECVTIO TOTILAE GOTHORVM REGIS.

An. Christi circiter 545. TOtilæ barbara, immanisq; natura nõ potuit itẽ esse nõ impia. insectatus est Christianæ reipublicæ optimates; sanctissimos viros, ac p̃sules aut affecit incõmodis, aut infecit opprobrijs. bacchabatur vbiq; eius furor ingenti cũ strage mortaliũ; quamobrẽ Fulgẽtiũ in primis Vtricensem præsulem sibi aduersantem, & reclamantem impensè oderat: ad eius Vrbis prædam cum exercitu Totilas contento studio properabat: curauit Antistes pro pietate erga ciues, barbarum Regem xenijs mitigandum; ille, vt erat animo prorsus abalienato, hæc non modò contempsit, sed Fulgentium comprehendi iubet, arctèque constringi: statim lictores eum circumsistunt, ac nouo genere supplicij vexant: quasi magicum virga circulum in puluere describunt, atque designant, extra quem pedem ponere

Digitized by Google

nere nullo modo auderet: fiebat hoc ſub dio in maximo æſtu, ſub Sole flagrantiſſimo: æſtuabat ille inter anguſtias loci, totus ſudore perfuſus: illudebant ei barbari, obtrectabant: cum repente cœlum nubibus offundi, coruſcare fulgura, reboare tonitrua, iaci fulmina, omnia permiſceri, ac magna vis pluuiæ erumpere. exhorreſcere barbari, nec vbi ſe conderent, habere: interim Fulgentium intra circulum mirantur hilariter, ac placidè quieſcentem: nimirum totus ille orbis, quem circumſcripſerat, ne gutta quidem madebat, atque in ſtationem tutiſſimam ceſſerat: attoniti ſatellites rem Totilæ narrant; hæſit ille prodigio, & Fulgentium venerari cœpit, pro quo natura, atque elementa pugnabant; ſed mox ad immaniora progreſſus. horrendum eſt, atque teterrimum crudelitatis genus, quod in vrbe Peruſio exercuit; vbi cum infinitam ſtragem edidiſſet, interrogatus à miniſtris, ecquid de eius Vrbis antiſtite, Herculanus is erat, ſumma religione, ac ſanctimonia præditus, agi iuberet? totus in rabiem verſus, iubet, illi ſuper Vrbis muros, vt omnibus perſpectum immane ſpectaculum eſſet, primùm frangi ceruices; deinde iam emortui cutem vſque ad talos incidi, vt inde caligæ confici poſſent; in quo viſus eſt Totilas ſuperare iminamitate Caligulam; immò verò Procuſten, aut Scironem, monſtra illa celebrata carminibus. at verò pro Hercule, nobiliorem antegoniſtam ſubſtituit Religio Herculanũ; neq; n. ideo victus, quia cecidit, hoc enim ipſi veræ vitæ fuit initium: quod admirabili ſanè prodigio declaratum eſt: ſiquidem cum à nonnullis inſigni pietate viris Herculani corpus quadrageſimo poſt die è terra eſſet erutum, non modò incorruptum ſine tabe eſt inuentum, ſed prorſus integrum: caput abſciſſum reliquo corpori ita coaluerat, vt ne veſtigium quidem vulneris appareret; & cum totum oculis colluſtraretur, quod cruentum fuerat humarum, & exutum cute; nulla omnino nota inciſionis ſe obtulit; perinde ac ferri acies ipſum non attigiſſet: ſpiranti ſimilis videbatur. nemo non vidit, quanta is fuiſſet integritate vitæ, cui poſt illam lanienam corpus integrum perſtitiſſet. ſed vt Herculani perſpecta ſanctitas eſt, ita Totilæ feritas, vt cum maximè. ille reſumpſit propriam formam, hic proprios mores. ergo alterum aggreditur paricidium: Populoniam vrbem ad cædem, & vaſtitatem vocat. eius antiſtes Cerbonius ciuium

cala-

Digitized by Google

calamitatẽ, vt par erat, miſeratus, nonnullorũ, quos poterat, vitam tueri ſtatuit, immemor ſuæ: clàm intra latebras occludit, quos Gothico ſubtrahat ferro: cognita res eſt, ac Totilæ nunciata: efferatus eſt, ac Cerbonium obijci feris iubet in amphitheatri ſpectaculo. conſedit ipſe ſtipatus exercitu: producitur in medium Antiſtes: immaniſſimus vrſus exquiritur, qui dum illius membra crudeliter carperet, barbari regis animũ ſatiaret. extemplò bellua erumpit è cauea, Cerbonium petit; cum ſubitò ſuæ feritatis oblita deflectere ceruicem, ſubmittere caput, lambere Antiſtitis pedes: mirum datum eſt ſpectaculum, vbi ferina corda viſa ſunt hominum, humana feratum. potuit vt ferus homo ab vrſo diſcere humanitatem; didicit certè tantiſper, ſed mox dedidicit, atque exuit: Hiſpalenſem præſulem, virum omni genere virtutis eximium, Laurianum nomine, acerbiſſimè necandum curauit, quod ipſum crudelitatis argueret: Pannonius hic erat gente; à Totila quæſitus ad necem in Hiſpaniæ latebras ſe abdiderat; ſed cum virtutum præſtantia eum latere non ſiuiſſet, ab Hiſpalenſibus magno in honore habitus, & pontificijs ornatus eſt infulis; certior ea de re factus Totilas ad Theudem regem gentilem ſuum, & moribus ſimilem litteras dat, vti Lauriano necem inferat: ille diuino monitu fuga elapſus Romam ſe confert, vbi à Romano hierarcha honorificè exceptus, in Hiſpaniam rediturus, peruenit in Gallias: iam omne iter barbari inſidiantes obſederant, explorabant mira ſagacitate omnia, ac veſtigia ipſa, tanquam venatici canes odorabantur; repertus igitur apud Maſſiliam Laurianus Ariano gladio perimitur. luerunt mox ambo pœnas, & Theudes, & Totilas in bello necati. non modò impiè, ſed ſtultè fecerunt, qui Laurianum, hoc eſt laureatum antiſtitẽ vincere ſe poſſe ſperarunt. porrò quid mirũ, eos cũ hoſtibus infeliciter pugnaſſe, cum laureã de medio ſuſtuliſſent? ac Totilas quidem tumentes tyrannico faſtu ceruices Narſetis ſecuribus frangendas dedit; qui dum Rubiconem fluuium ab hoſtibus cuſtoditum, occiſo Gothorum duce, trajicit, illum cum ingenti exercitu occurrentem adoritur, collatis ſignis turpiter in fugam vertit, vniuerſoque exercitu trucidato, Totilam ipſum conficit ferro: huc omnis illa execrabilis feritas recidit, vt qui neminem virorum, vel fortiſſimũ timeret, à Narſete Eunucho, hoc eſt à ſemiuiro necaretur.

PER-

Digitized by Google

PERSECVTIO.

IVSTINIANI SENIORIS IMPER.

HAeret calamus in Iustiniano; scilicet in ius vocatur iuris auctor,& reus iniuriarum in veram Religionem accersitur conditor legum: variè loquitur fama, vt est ore multiplex. quoquo modo se res habeat,dissimulari certè non possunt querelæ,quæ à nonnullis Sapientum,ac piorum aduersus ipsum deferuntur. Iustinianum,inquiunt,ob multa vtiliter, & præclarè acta laude dignum,illaudabilem tandem,ac probrosum fecit audacia. mirum dictu:non modò hic litteris, præsertim diuinis nulla ex parte fuisse fertur imbutus, sed quia prima ipsa discendi elementa non nouerat,analphabetus est appellatus; nam in iure scribendo vsus dicitur opera Tribonii, nomomathæ præclarissimi; ausus est tamen ipse illiteratus de veræ Religionis controuersijs ferre sententiam; & qui humana iura,legesque rectè digessit,contra ius, fasque diuinũ impiè se gessit.fuisset Christianę reipublicę equissimus Imperator,nisi fuisset Sacrorum iniquissimus iudex: in ea quippe hæresi fuit, quæ Incorruptibilium dicta est,cum nihil fuerit illa corruptius. putabant, qui ex ea disciplina erant, nostræ salutis Assertorem eandem habuisse conditionem corporis,dum viueret, quam habuit postea quàm reuixit; omnis fuisse affectionis prorsus expertem, neque in ipsum cadere potuisse irã quantumuis iustam,& sponte susceptam,aut dolorem vllum; quem tamen & doluisse legimus,& fleuisse,& minas improbis intentasse; moderator quidem erat huiusmodi affectionum, quæ non nisi cum libitum ipsi esset, commouerentur. contra cum illi sentirent,detrahebant potius de Dei filij singulari pietate in hominum genus, cum ea,quæ humana sunt, suscepisse negabant;neque enim nostræ conditionis infirmitas ipsi ignominiam, sen decus contulit. Iustinianus igitur cum in acta quoque Chalcedonensis senatus iudicium suum interponere ausus esset,nostrorum sententię non acquieuit, improborum perfidiam secutus; si quos verò, prę sertim Antistitum nactus

An. Christi circiter

Digitized by Google

esset dissentientes, protinus eos è patriæ sinu abstractos faciebat extorres, quod etiam publico firmauit edicto. gemebant interea boni, vim lacrymarum profudebant; sed inter horum lacrymas Vrbs subitò incendio conflagrauit; statim enim atque è pontificia sede deturbati optimates sunt; excandescente ira numinis, magnam Vrbis partem flamma corripuit, atque vastauit. multa Iustinianus inconsulto Romano hierarcha molitus est; nec cogitauit non aliunde quàm ex Vaticana cortina petenda esse oracula; indignumque esse Augusti nomine, qui Romanum tribunal, quo nihil augustius, aspernaretur: arrogabat sibi ille temerè iura sacrorum; arbitrabatur omnia sibi pro imperij potestate licere; denique eò prorupit audaciæ, vt sacrorum principem Vigilium suis consilijs repugnantem de medio tollere decreuerit; itaque cum antea multa minitatus esset, demum Sicario mandat, vt clam eum adoriatur cum telo; effugit ille prudenter, ac præuenit insidias: subtraxit se neci, sed exilium euadere minimè licuit. immane, & impium spectaculum fuit, quo Christianæ reipublicæ moderator, & rector à lorarijs cæsus, ac funibus collo insertis extractus ab Vrbe est, atque in alienas terras expulsus; & quamuis eum postea Narsetis strenuissimi Ducis precibus Iustinianus reuocarit, tamen impunè non abijt, vel consilium intentatæ necis, vel incommodum imperati exilij. multis certè ærumnis obnoxium imperium habuit: nam præterquam quod Artabanes vnà cum Arsace in ipsum conspirarunt; excursione Hunnorum latè sunt Vrbes, agrique vastati; ac penè in ipsum Augustale irrupissent, nisi auro penso, & annui tributi promisso se continuissent: cum Iustinianus interea vectigal imperij, ac pecuniã belli robur in theatrales ludos, quibus impensius delectabatur, impenderet: nam vt erat circa Religionem ingenio factiosus, ita deditus erat factionibus aurigarum; quippe Circenses maximè ludos celebrare solitus: in his quatuor erant factiones pro totidem anni temporibus: factio veneta dicta, quæ cærulea; prasina, qua viridis; alba etiam erat, & rosea. ac viridis quidem color vernum tempus referebat, æstatem roseus, hiemem venetus, albus autumnum. per singula versicolore panno decertabatur: in his spectantium fauor, & aura popularis, gratia, studium ad victoriam multum loci dabat: Circus omnis clamore, ac plausibus personabat: quæ spectacula tanti

Digitized by Google

tanti fecerunt, vt non populus modò, sed principes, ac Cęsares quoque hoc factionum studio contenderent. his ineptijs Iustinianus penè insanire visus est: prasinæ maximè studuit; venetam contra tam acerbè insectabatur, vt victoribus prasinæ in ipsos hostiliter agendi ius dederit. imitatus est in hoc Cæsares duos, vtrumque impium, ac nefarium, Caligulam videlicet, & Neronem, qui prasinam adamarunt. Inter hæc igitur ludicra Iustinianus de Religione scilicet causas agitabat, de rebus pontificijs decernebat, iura sacrorum dabat. dedit tandem pœnas non modò inertiæ, sed audaciæ; nam dum ei, qui erat à libellis, nomina dictat eorum Antistitũ, qui sibi praua sentienti reclamabant, Anastasij in primis Antiocheni, vt è pontificia sede deiecti alias sibi quererent terras; subitò morbo correptus interijt: ita dum optimates mutare solum cogit, vitam commutauit ipse cum morte. Nec plura contrà Iustinianum: ægrè enim adducor, vt legum conditor habeatur exlex, & consultricis Sapientiæ auctor arguatur iniciæ: neque Nemesin illam, quam ferunt iustitiæ præsidem, & vltricem iniuriæ, quodammodo irritare fas est, quod acerrimum ipsius propugnatorem, æquitatis patronum iniquè faciam & impium, & indoctum. an ille dum elementa fontibus interdicebat, elementorum, quibus sententiam subscriberet, esset ignarus? an verò orbi terrarum potuisset esse tam frugifer, si literas exarare, ac veluti sulcos facere minimè nosset? cum eadem fuisse dicatur inuentrix & frugum; & legum? sed quod præcipuum est, cum Solon, qui Athenienſibus, hoc est vni populo leges tulit, vnus ex septem Sapientibus habitus sit: hic, qui vniuersis populis, ac nationibus dedit, vnus è multis insipientibus habeatur? quin potius de hominum genere optimè merito, iurisperitorum parenti, vitiorum expulsori vtramque maculam & imperitiæ, & impietatis grati abstergeamus.

PERSECVTIO.

THEODORAE AVGVSTAE.

THeodora quoque Augusta, altera post Iustinam furia, *An. Christi circiter 563.*

Digitized by Google

Chriſtianam rempublicam perturbauit. hæc Iuſtinianum virum multa ſanctè, pièque conſtituentem, à rectis inſtitutis abalienatum odio inflammauit in noſtros. hanc quidam Megæram dixere, ſerpentinis nexibus implicatam, perfidiæ venena fundentem, ab Inferis excitatam; damna, exilia, cædes, optimatibus minitantem: adeò nihil eſt, quod non audeat muliebris inſania, cum ſe lictorijs faſcibus armauit. in ipſos ſacrorũ Antiſtites tantum ſibi ſumpſit audaciæ, vt eos exagitarit, vexarit, expulerit: Anthimum quendam nefarium hominem, & praua ſentientem omni patrocinio tegere, ac tueri cœpit. cum propter Eutychianam hæreſim, qua contra ſui nominis notionem, pulcherrimum Religionis florem conabatur infringere, ſummorum Pontificum edicta execrationibus, ac diris ritè deuouerant; ipſa exauguratum reſtituere in priſtinam ſedem omninò contendit; quapropter eiuſdem ſententiæ afflata eſt fulmine à hierarcha Vigilio: nihil hic Theodoræ minas, nihil Beliſarij ducis inſidias pertimuit; & quanquam ipſius Theodoræ opera ad illum dignitatis gradum penè per vim aſcenderat; tamen vbi conſedit ad gubernacula, tunc primùm verè vigilare cœpit, & rectè moderari omnia: nullis aduerſis terreri ventis, aut procellis; in Religionis cauſa omne abiecit collocati beneficij ſtudium: nec gratificari de ſe optimè meritæ voluit, quando ipſa de Chriſtiana republica malè mereri vellet. Neque verò vnius tantùm ſummi Pontificijs Vigilij decretis obſtitit Theodora, ſed Agapeti quoque acta reſcindere auſa eſt, eumque minacibus litteris perterrere: Siluerium autem ſanctiſſimum hierarcham è throno deijcere, in vltimas regiones expellere; vbi ille plurimis affectus incommodis exceſſit è vita. nihil illa ætas vidit indignius, quàm ad vnius mulierculæ nutum inexpiabile paricidium perpetrari: relegatus eſt Siluerius in Pontianam inſulam, ſiue in proximam, Palmariam nomine contra Circèum montem: accepit omen victoriæ vir præclariſſimus, vt triumphales palmas ex illa inſula reportaret, quò eum Theodora, quaſi Circèo quodam poculo in immanem belluam commutata compulerat: vſa eſt illa huius ſceleris adminiſtro Beliſario fortiſſimo Duce, qui tandem pœnitens facti, ac paricidium execratus, ſacram ædem ſuo ſumptu excitauit, in cuius fronte teſtatum eſſe voluit cum epigraphe, ſe expiandi criminis cauſa id egiſſe; orabatque

ſub-

Digitized by Google

subeuntes, vti veniam ipsi à numine exposcerent. sed vt apertè constaret, quanto se scelere obstringat, qui in summum Parentem manus afferre audet, acerbissimas Belisarius pependit pœnas; cum enim in coniurationis suspicionem esset adductus, à Iustiniano non modò militari balteo discinctus, & omni honore spoliatus est; sed effossi sunt illi, & exculpti oculi, qui videlicet Christianæ reipublicæ lumen Siluerium sustulisset; eòque calamitatis, atque inopiæ redactus dicitur, vt ligneum porrigens vasculum, stipem à plebe cum lacrymis peteret. Theodorę verò exitus omni ex parte infelicissimus fuit; neque enim labem, qua purpuram infecerat, fletu absterfit, sed in eadem semper est amentia, audaciaque versata; cum igitur ad bonorum cladem tota esset intenta, ac propterea à Vigilio sacro iaculo percussa, haud diù post furialem animã exhalauit.

PERSECVTIO

FREDEGVNDIS REGINAE SVESS.

ALia quoque funesta fax non sine magno Christianæ reipublicæ incommodo, præter Iustinam, & Theodoram Augustas, intentata est: Fredegundis importunæ audaciæ fœmina Chilperico Suessionensium regi coniuncta, multa immaniter, & impiè gessit; sed illud maximè, quod Sigebertum regem, viri sui germanum, religione præstantem per insidias necarit. erat Sigebertus singulari pietate propensus in bonos: Nicetam præsulem sanctissimum à Clotario parente per vim eiectum reuocauerat; erat idem bellica laude præclarus; nuper cum Theodoberto, qui regnum affectauerat, strenuè congressus victoriam reportauerat: onustus igitur opimis spolijs, triumphantis more in villam auspicato nomine Victoriacum concesserat; nullum ratus pro Capitolio magis idoneum locum, quàm qui ipsum victorem posset ostendere: excipitur ab exercitu magno cum plausu; ac more gentis illius, super clypeum imponitur, Rex acclamatur: aderant à Fredegunde collocati duo cum cultris, quos clam reconditos habebant, ve-

An. Christi circiter

neno

neno infectos, & magicis execrationibus in Sigeberti necem deuotos. repente aulici in regem insiliunt, eumque inter acclamationes, & plausus cultris inuadunt, latera hinc inde confodiunt, configunt, cruentant, interimunt; clypeum, cuius vsus ad munimentum, ac tutelam est, in ferale pheretrum mutant; eo elatus in sepulchrum est. non fuit, quin paricidium execraretur, quin casum illum deploraret victoris Regis fœminea fraude interempti. Ex hoc scelere gradum Fridegundis ad alterum facit; præsidebat Rhotomagensium sacris Prætextatus antistes sanctissimus, qui pontificia libertate Reginam multa nefariè, atque improbè audentem increpare non desistebat: itaque sæpe illũ Regina minis exagitatum à se repulerat, exilioque mulctarat: demum furiis acta Sicarium mittit, qui vitam eripiat: erat tum Prætextatus in templo; ad aram cum suis ritè operabatur infulatus: lictor vt erat ad immanitatem factus, ad audaciam expeditus, ac promptus, aram ascendit, extrahit è balteo telum, orantem Antistitem transuerberat, atque configit. ille aspersas suo cruore manus in cœlum attollens, numini grates agit, quod sibi mori tam præclarè liceat pro Religione deuoto: simul vaticinatur Fredegundis interitum: paulò post inter suorum lacrymas expirauit. omitto reliqua, neque enim hic finis facinorum; quippe eadem nouercali odio in priuignum Clodoueum concitata, cum detrusisset in carcerem, gladio feriri præcepit, fraude quoque confecta, tanquam se ipse obnoxium morti sponte necasset: meruit cruenta tot cædibus Fredegundis, vt à Prætextato altera Iezabel diceretur: ex quo illud deduci potest, posteaquam ipsius Prætextati indignissima cædes accessit, aliud ei nomen deberi, Iezabele tetrius, ac truculentius. haud scio an magis idoneũ reperire possis, quàm si appelles Alecto, vnã ex Furijs.

PERSECVTIO.

CHOSROAE SENIORIS REGIS.

An. Christi circiter 544.

CHosroæ Persarum Regis in nostros impetum non humana vis, sed diuina compescuit, ac repressit. Sergiopolim vrbem

vrbem obsederat ingentibus copijs. suppeditatæ sunt ciuibus auxiliares non aliunde quàm è Sergij præclarissimi Martyris tumulo. eò eum accutrissent, orarentquè, vt Vrbem ipsius nomine insignitam tueretur, repente hosti innumerabilis exercitus armis instructus diuinitùs se obiecit. ardebant militum oculi, minas spirabant, aspectuque ipso terrebant. sensit barbarus se cũ Cœlitibus frustra pugnare, aliòque arma conuertit: ita Sergij cineri cessit puluis campi; declaratumque est, quanta vis esset in Superis Vrbium patronis, atque apotropeis. Neque verò semel fracta diuinitus est audacia Chosroæ; sed iterum cum Edessam oppugnaret. audierat in ea Vrbe seruari nostri Liberatoris effigiem non hominis manu factã; quippe ferunt, ad Abagarum Regem percupidum eius videndi, linteo vultui admoto mirè impressam ab ipso missam. erat autem hoc quasi Palladium quoddam; persuasumque ciuibus quandiù illam apud se heberent, insuperabiles hosti esse: irridebat scilicet hæc Chosroes, comparatoque exercitu totis viribus in Edessam incumbit. circa mœnia balistas, arietes, turres, ac ceteras machinas bellicas magno artificio extruit. aduersus has Edesseni artificiosos admouent ignes, sed frustra; ita enim affabrè omnia extructa erant, vt ignem concipere non possent: quid tum illi? quò se verterẽt? nouũ, & inauditum consilium ineunt. per hierophantas tutelarem illam imaginem è sacratio extrahunt, aqua perluunt; ex aqua hostiles machinas ligneas aspergunt. mirum dictu: quod pice, resina, sulphure ignito non effecerant, hoc aqua illa effecere: conceperunt enim machinæ statim flammas, exarsit incendium. conatus est Chosroes effossis aquæ ductibus, eoque penè fluuijs immissis ignem obruere, sed vehementius irritauit: tanquam enim oleum immisisset, ita breui omnem molem illam trabalem depastus est ignis; itaque re infecta summo cum opprobrio delusus abscessit. In maiore verò Armenia maiores hic Chosroes admouit machinas Christi cultoribus: vt eius Religionem abiurarent, omnibus vexabat incommodis, dirum in modum excruciabat; donec à Iustino Imperatore coercitus, & à Tiberio victus, mœrore confectus obijt. ferunt tamẽ prodigijs illis ingentibus, quæ commemorauimus, territum, & eruditum ad extremum resipuisse, ac Persicum ignem, quẽ impiè colebat, cum salutari aqua piè, ac ritè initiatum commutasse.

PER-

Digitized by Google

PERSECVTIO.

CHOSROAE IVNIORIS PERSARVM REGIS.

An Christi circiter

CHosroen superioris Chosroæ nepotem quod Religio infensum habuerit, haud sanè mirum, quippe qui paricidaci scelere Hormisdam sustulerat; cruentas manus parentis cæde nostrorũ quoq; infecit sanguine. non est omittendum facinus, vt illius impietas intelligi melius possit. pugnauerat cum Romanis Persarum dux ab Hormisda rege constitutus, Varanes nomine; & vt varij sunt euentus belli, infeliciter gesta res est cum ingenti clade Persarum; quamobrem Rex iratus & præfectura eum exuit, & mittit ad ipsum ignominiæ causa muliebrem vestem, quam induat vt ignauus, & imbellis. Veranes, cum ad dolorem cladis acceptæ hic etiam accessisset; milites in Regem commouet, Hormisdam de solio deturbat, oculos ei exculpit; Chosroen filium insignibus regni ornat: hunc pater suspicatus æmulum, & coniurationis auctorem, probris, & conuicijs onerat. enimuerò mirum in modum excanduit ira filius, & inaudita crudelitate parentem lictoribus circumseptum virgis, ac fustibus vsque eò cædi iubet, donec spiritum exhalet. His igitur furijs concitatus impius paricida, regios illos fasces paterno sanguine respersos exercere cœpit in nostros; multa crudeliter egit, illud maximè, quod Anastasiũ sanctissimũ ascetã impiè, atq; acerbè morte sustulerit: præuidit hic necem illustri sanè, ac præclaro viso; cum enim nihil tam auidè, atque ardenter optaret, quàm in causa Religionis mortem oppetere; per quietem visus est sibi, in montem insigni celsitudine ascendere, in cuius vertice considenti vir quidam præstanti ore, atque habitu poculum aureum affabrè cælatum, ac gemmis ornatum porrigeret, plenum mero nè, an nectare? experrectus intellexit, visum illud ad sitim suam de nece sibi exoptatissima pertinere: itaque grates agit numini, seque ad certamen accingit; mox in nonnullos Persarum Magos præstigijs intentos incidit; increpare ipsorum insaniam, artem planè stygiam exagitare, omnibus eam

Digitized by Google

eam execrationibus, ac diris detestari: irritauit ea res Magos, atque apprehensum ad Marzabanæ tribunal rapiunt, reum dicunt violatæ, atque contemptæ Persarum Religionis, & cultus; ilicet damnatur ad latomias, iussusque immania saxorum pondera gestare, ferreis onerari catenis: accepit inde Anastasius omen soliditatis, atque constantiæ, vt esset saxis ipsis firmior, quæ gestabat; deinde post vincula, post tetrum carcerem, post fustuarium acerbissimum, ad Chosroen regem mittitur: eminebat hic in throno mitratus, eumque purpuratorum corona cingebat: accusatur Anastasius vt hostis Deorum, ignis maximè, quem sanctum, quem immortalem habebant: rursus acerrimè cæditur, eius tibiæ lignis intermedijs arctissimè comprimuntur, quo supplicio nihil ea gens habet immanius: deinde ex altera manu suspendunt, & grauissimi ponderis lapide appositio, ex altero pede alligant, diuulsisque membris dirissimè, ac diù torquent; quæ omnia ille cum incredibili non modò constantia, sed alacritate, ita pertulit, vt purpurati monerent Regem, ne cum insuperabili antagonista certaret; ne pergeret de eius animi viribus pericula facere, quo victore, regia maiestas, ac dignitas probro esset; proinde eum de medio tollat, & si qui sint eiusdem consilij socij: igitur Anastasio caput abscinditur. multi, hoc est septuaginta numero, qui dudum Christianæ Religionis causa constricti vinculis detinebantur, in profluentem deiecti: libenter hoc genus mortis amplexi sunt, quod accommodatum maximè videretur ad ignē illum apud Persas impiè cultum extinguendum. de Anastasio verò triumphale extat elogium in Nicęno conuentu pronunciatum, cuius effigie capitis obiecta Stygij hostes exterriti ex humanis corporibus, quæ obsederant, protinùs abibant. Iam quæ Chosroes hic in Hierosolyma deuastanda egerit, horret animus commemorare: nihil illi religiosum fuit; nullum delubrum, quod non solo æquatum; nulla ara, quæ non euersa. cum autem nō ignoraret, Iudæos in Christianos inflammato odio ferri, venales ipsis tradit, omnemque dat potestatem explendæ crudelitatis: statim illi in nostrorum cæde bacchari cœperunt: narrant nonaginta millia impiè trucidata. illud autem omnem audaciam superat, quod trophæum Liberatoris nostri, ac vexillum nobile, Crucem, inquam, ausus est Chosroes, tāquam in triumpho ferre captiuam; sed spolium triumphale permagno

Digitized by Google

sictit, cum & ipse spoliatus sit vita, & illud honorificè restitutum Iam Chosroes cum Syriam deuastasset, cum multis cladibus Romanum affecisset imperium, ita elatus est, ac tam audax effectus, vt oblatas ab Heraclio Augusto cõditiones pacis aspernaretur, atque respueret; & Crucem rursus petitam denegaret, nisi Augustus ipse vnà cum omnibus, qui subessent imperio, & Mithram, hoc est Solem colerent, & Nestorianæ sententiæ se subscriberent: exulcerauit bonorum animos execrabile Regis dictum, & impia conditio; neque enim hoc erat de Nestoris poculo, cuius os melle manare dixerunt, sed de venenato Nestorij cratere haurire; Solem autem colere quid erat, nisi menti noctem offundere? his, aliisque iniurijs affectus, atque exagitatus Heraclius comparato ingenti exercitu infestis armis Chosroen acerrimè insequitur, arcet, atque in eas compellit angustias, vt fugam inire cogatur: in Seuleciam igitur Vrbem munitissimam se abdidit, ibi diro modo oppressus, minorem natu filium è Syria dilecta coniuge declarat hæredem. concitauit ea res Syroen maiorem natu filium: iraque incensus, auxiliaribus Romanorum copijs septus, atque munitus, ægrum parentem aggreditur; ferrum collo, manibus, pedibus iniecit, atque in carcerem à Chosroe ipso exædificatum, quem ob horribilem squalorem, ac loci fœditatem, tenebrarum domum nominauit, intrudit; vbi neque splendor Imperij, neque lumen illius ignis, quem immortalem vocabant, neque Sol ipse fons lucis, quem colebat, præsto fuit, vt aut tenebras expelleret, aut mortem effugeret: demum qui Hormisdæ parricidio se inquinauerat, meritò in filij cruentas manus incidit: acerbissimo autem cruciatu confectus est, acubus videlicet toti corpori infixis, atque impressis. Ad hæc Heraclius Gazocoten vrbem opulentissimam capit: ea in vrbe præter cetera opima spolia, ac thesaurum Crœsi Lydorum regis effossum, repertum est ipsius Chosroæ simulacrum mira arte perfectum: considebat ipse intra crystallinũ orbem ingentem, referente palatij tholo tanquam Iouem in cœlo regnantem, ac iura dantem. circumsistebant ipsum Sol, atque Luna; apparebat omnis astrorum ordo, ac ratio: circumuallabant sceptrigeri Cœlites; machinæ porrò paratæ erant, quæ ex eo loco guttas instar imbris emitterent, fragoremque tonitruis similem referrent: eo fastu elatus diuinitatem affectabat: at

cum

Digitized by Google

eum in illo crystallino orbe se finxit, cogitare debuit se vitream, vt veterum more loquar, habere fortunam.

PERSECVTIO

LEVIGILDI VVISIGOT. REGIS ARIANI.

ARiani, ne martium illud nomen auctoris frustra præseferre viderentur, nunquam aduersus Christianam Rempublicam arma fabricari, ac tela cudere destiterunt: scilicet more Cyclopum altero carebant oculo, cum filium parenti Deo maiestate parem, numine æqualem minimè viderent. nihil autem vetus mortalium hostis, ac vafer tàm accommodatum fieri posse putauit, quàm si Hispanam gentem, quam occupauerant Gothi, martialem, & bellicosam, tanquam militari Arij disciplina, ac prauis eius institutis in veram Religionem armaret; nec aduertit nihil ea gente ad pietatem propensius fore, nihil tam alienum à perfidia: vendicant sibi hoc quasi proprium Hispaniæ reges, vt ab omni hæresum labe purgatum imperium habeant, ac nullum genus hostium sit ipsis infensius. quid enim sibi volunt acres ad explorandum quæsitores, sacrum tribunal, curia, tormenta, ardentes pyræ, cæteraque cum seuera, tum probrosa supplicia? quid illi perpetui bellorum sumptus in Belgio, nisi vt vitæ libertas, prauèque doctrinæ licentia reprimatur, ac Religionis seruetur integritas? laborauit aliquando Ariana peste Hispania sub Leuigildo rege impio, & crudeli vim passa. acre ille in bonos bellum indixit, spoliauit aras, templa deiecit; Antistites plurimos fecit extorres; reditus, ac priuilegia sacrorum abstulit. Dux horum scelerum Goisuintha fuit, audax fœmina, quæ post Athanagildi Regis connubium Leuigildo adhæsit, & ad Arij insaniam vxorijs traxit illecebris; nec tamen inultam abire passus est Deus. nam vnum oculum nube alba contegens, lumen, quod mens non habebat, repulit à palpebris. erant Leuilgido ex alia vxore liberi duo, Hermenegildus, & Riccardus: illi Sigeberti Regis, huic Chilperici item Regis filiam coniugem destinauerat. egregia in Hermenegildi sponsa Ingulde perspecta virtus

An. Christi circiter 583

Digitized by Google

eſt,& in vera Religione conſtantia: nam cum ab Goiſuintha, iuxta Arij inſtituta, iterum initiari cogeretur, & ſacro ablui fonte, reſtitit ſemper; licet illa furore percita apprehenſam per comam in terram collideret, huc illucque diſtraheret, ac diù calcibus vulneratam, pugniſque contunderet; in piſcinam etiam immergeret, iuxta quod ſacrum lauacrum, quo ſemel primigeniam eluerat labem, repetere nollet: his præclaris auſpicijs fidei, atq; conſtantiæ nupta Inguldis Hermenegildo eſt. nihil autem illa habuit antiquius, quàm vt ſponſum à paternis, hoc eſt ab Arianis inſtitutis abſtraheret, atque ad noſtra traduceret: ille, vt erat natura minimè peruicaci, immò animo ad pietatem propenſo, commotus etiam Leandri Hiſpalenſis Antiſtitis ſingulari doctrina, & ſanctimonia præditi auctoritate, facile dat manus. Arianam hæreſim abiurat, ac diris omnibus exſecratur. iam crebeſcente fama res ad parentem delata eſt, quippe Hermenegildo filio aliam ditionis partem conceſſerat, vbi ſeorſum regnaret. datis igitur litteris, eum ad ſe accerſit; interponit etiam iuramentum, fore vt nihil in ipſum aſperius moliatur: obtemperat ille, conuenit parentem regem, excipitur benignè, ac regiè. multa primò de regni adminiſtratione interrogat; deinde de Religione quærit, verus nè rumor afflauerit de mutata? cum Hermenegildus annueret, ac rectè facti rationes proferret: agitur initio paternis blandimentis, ac monitis; quæ vbi nihil apud illum virium habere comperit, enimuerò acribus exagitare verbis, terrere minis, vt omnino ab incœpto deſiſtat. cũ eum nihilominus in ſuſcepto conſilio firmum eſſet expertus, inſigni periurio contra filium, cum fides vel in hoſte ſeruanda ſit, ſpoliatum rebus omnibus exuit, etiam regno: perſtat tamen ille inmotus in ſententia. itaque in arctam cuſtodiam includit; catenis collum onerat; ac manus illas aureo ſceptro aſſuetas comprimit ferro. dies iam agebatur anaſtaſeos noſtri Vindicis, quo die diuina dape refici ritè iubemur. mittit pater Arianum Antiſtitem, qui eam faciat, ac filio tradat. abominatus eſt ille pſeudomyſtæ impium os, & ſacrilegas manus; & quamuis conſtrictus vinculis, qua potuit vocis libertate, ipſum ab ſe reiecit. re cognita Leuigildus infremere, in rabiem agi; denique naturam paternam exuit, induit ferinam: quanquam feræ quantumuis immanes diligunt fœtus ſuos. lictori mandat pater, vt

filio

Digitized by Google

filio ceruices frangat: scilicet cum fregisset antea iurisiurandi fidem. perculit ea vox omnium animos: etiam barbarorum. vigilabat intempesta nocte Hermenegildus, & sacra carmina concinebat; cum lictor irrumpit, paternum denunciat imperium. nihil illo nuncio iucundius accepit. euulsum est à cruicibus caput; nunquam pulchrius fulsit purpura, quàm cum imbuta cruore sacro facta est dibapha. narrat Gregorius præclara, quæ ipsius necem sunt consecuta prodigia: nocturno quippe tempore supra carnificinæ locum accensæ diuinitùs visæ sunt faces, quibus cœlũ ipsum illi quodammodo parentaret. ad hæc circa cruentum corpus auditi Cœlestes symphoniaci, ac phonasci, qui non tàm funebres nænias, & epicedia, quã epinicia concinuerunt. commotus dicitur tandem nece filij pater; sed mox recrudescere furor cœpit, & quidem acerbius: quippe animaduertit, hisce prodigijs Arianam infringi perfidiam. itaque sæuire acrius perrexit in nostros: Antistites, qui contra sentirent; è pontificio throno deturbat, Leandrum inprimis Hispalensem, & Fulgentium fratres; Matsonam quoque Emeritensem præsulem, & Lucianum Carthaginensem & Ioannem Gerundensem, Seuerum denique Malecitanum. sed nihil est cuiquam de constantia & firmitate detractum; immò ex his nonnulli, vt Leander, & Seuerus, in illo exilio nacti plusculum otij, eruditissimos conscripserunt libros, ac styli acumine Arianam impietatem acerrimè confoderunt. posthęc Leuigildus cum Sueuos debellasset, & eorum Regẽ exauguraſſet, rerum potitus, omni ope contendit, vt ab Ario starent. denique moriturus hæreditarium non modò regnum, sed perfidiæ crimen alteri filio Riccharedo reliquit. at ille Leandri monitis, disciplinaque probè instructus, similior esse sanctissimo fratri, q̃ impio patri maluit. ille qdẽ amplificandæ ditioni, hic religioni studuit; ille cupidus bellicæ laudis, hic tranquillitatis, & otij; ille auuctus militiæ spolijs, hic fidei trophæo inclytus. delectatus pace, ostendit quodammodo, quàm impensè odisset Arium: vt quoniam in eo nomen est Martis, etiam propter hoc abhorreret à Marte. denique Riccharedus vel hoc se maiorem Leuigildo parente fecit, quòd Dei filium minorem parente Deo non fecit.

PER-

Digitized by Google

PERSECVTIO

BRANCHILIDIS FRANCORVM REGINAE.

An. Chriſti circiter 563

BRanchilidis quoque impiæ fœminæ in optimates furor exarſit immanis. auia hæc Theodorici fuit, cui Burgundiæ regnum hæreditarium obtigerat; tantum verò abeſt, vt illi ad pietatem dux eſſet, vt potius meretricijs implicatum amoribus libenter ferret, ac foueret; quod verebatur, ne ſi ille legitimam acciperet coniugem, ipſius auctoritas minueretur, nouæque Reginæ cedendum eſſet: quippè Theodoricus ad eius nutum, atquè imperium omnia geri facilè patiebatur, addictus totus vitæ licentiæ. eos igitur, qui regem ad ſaniorem mentem traducere conabantur, acerrimè inſequi; exilium ijs, mortemque minitari cœpit: tantam habet ambitio vim, vt vel in fœmineo, atque anili pectore flammas excitare poſſit hoſtiles. Columbanum in primis ſanctiſſimum virum iſta redarguentem regno exturbandum curat: neque enim candor illius, quem ipſo præferebat nomine, fœditatem tantam in regia purpura ferre poterat. cum extorris autem fieret, vaticinatus eſt, quod euentus probauit, breui Theodoricum de regno deiectum iri, ac totius Galliæ monarchiam ad Clotarium peruenturam. regreſſus deindè ab exilio, iterum in inſani Regis, & improbæ auiæ odium incurrit. mittuntur ſatellites, qui captũ rurſus in exteras terras amandent; inuadunt, circumſiſtunt; ſed diuinitùs factum, vt ſubitò hebeſcerent oculi. mirum ſpectaculum: columbam accipitres coram habebant, nec attingebant. præda erat autè oculos, nec cernebatur. itaque inanes redeunt ab aucupio. Neque verò exilijs tantùm optimatium Branchilis contenta fuit, ſed in Antiſtitum vitam deſæuijt; Deſiderium quippè Viennenſem Præſulem de medio ſuſtulit lapidibus oppreſſum. Delphinum quoque Lundunenſem præſulem iugulari iuſſit. extincta ſunt duo Religionis lumina; immò potius accenſa ſplendidius: contra impijs parricidis ſempiternæ noctis horror incubuit, potitus eſt Deſiderius voto optatiſſimæ necis; Delphinus verò inter excitatæ tempeſtatis fluctus iucundiſſimè luſit.

PER-

Digitized by Google

PERSECVTIO.

THEODORICI REGIS, ET EBROINI.

THeodorico in Gallijs rege, impijssimè in Religionis optimates sæuitum est. Ebroinus regiæ aulæ præfectus excitauit incendium, cuius cupiditati rex ipse indignissimè seruiebat. eius iussu, summo Christianæ reipublicæ moderatore inconsulto, tyrannicus Præsulum conuentus est habitus, qui opponerentur ijs, à quibus Ebroini audacia castigata fuerat. itaque multi è pontificio throno deiecti, nonnulli acerbissimis affecti cruciatibus de medio sublati: in Leodegarium maximè Augustoduni Antistitem, virum sanctissimum tempestas incubuit. nec mora: misso exercitu Ebroinus Augustodunum obsidet, Vrbem circa mœnia vastare aggreditur: sensit ille in suum caput procellam detonare, quod pro veritatis defensione libenter, ac sponte deuouebat: itaque supplicationem, ac sacram pompam indicit; hierodulis ritè præcinentibus, ipse insulatus agmen claudit: sic occurrit armatis. habet verò ea species tantum dignitatis, vt olim Alexander Macedo, quanquam à veri Dei cultu alienus, cum Hierosolymam vastaturus intraret, ad hierarchæ pedes, qui cum huiusmodi supplicum cœtu occurrerat, venerabundus acciderit, furoremque omnẽ, exercitu rei nouitate pculso, deposuerit. at verò nũc quid actum? impium, ac sacrilegum facinus. Leodegarium Antistitem satellites adoriuntur, manus afferunt, sacram tiaram capiti detrahunt, pontificia chlamyde, ac ceteris insignibus exuunt. tum iussu Theodorici regis, & Ebroini ad regiã pertrahitur vna cum eius fratre Gairino, etiam pietate germano; steterunt ambo interriti; & qua opus erat libertate, de sacrorum iure violato, dequè alijs Religionis incommodis conquesti sunt; sed nullus relictus erat monitis locus, tantùm exardescebat furor. statim Gairinus lapidibus appetitur, opprimitur. Leodegarius dirioribus supplicijs addicitur; ac primò quidem nudis plantis per semitam quandam, acutis clauorum instar petris constratam, ambulare iussus; deinde sæuissimis

An Christi circiter 554

Digitized by Google

uissimis cruciatibus adactus, vt in Deum, proh scelus, maledicta iaceret; quod cum ille asperato supercilio auersatus esset, exciditur lingua, inciduntur labia: sed diuinitùs factum, vt vel elinguis de hoste victor pęana caneret auctori Deo, & sceleri poenas meritas comminaretur. post hæc traditur in custodiam Chrodoberto cuidam, cui illustri prodigio tanti viri sanctitas cognoscendam se exhibuit: ingentem enim lucem delabi de cœlo vidit, quæ Leodegarij caput in orbem ducta circumdedit, & coronæ instar ambijt. interim mittuntur ab aula luctores, qui necem inferant, quatuor, ex ijs tres, vbi in Antistitis conspectum venerunt, oris dignitate deterriti, ad eius se pedes prouoluunt, veniam exposcunt audaciæ. quartus, qui impudentia, & immanitate ceteris præcellebat, irrumpit, ferrumque districtum procumbentis ad preces ceruicibus imprimit, & caput abscindit. ferunt, corpus sese post necē protinùs erexisse, & horæ circiter spatio substitisse, tanquam constantiæ simulacrum: id verò conspicatus percussor, non modò tàm admirabili prodigio commotus non est, sed qua erat inaudita crudelitate, & impietate, appulso pede, & impacto calce eum trudere conatus est, atque humi affligere: at nō est passus Deus, tantum scelus abire impunè. ilicet à malo dæmone carnifex arripitur, ac diris modis excruciatur; demùm mentē motus in ignem se præcipitem agit: ita impijssimus lictor Stygio lictori, cuius suasu facinus fuerat aggressus, pœnas dedit audaciæ. ceteri quoque aduersarij infelicem sortiti sunt exitum vitę.

PERSECVTIO.

CONSTANTIS IMP. MONOTHELITAE.

An. Christi circiter 642. HEraclius quanquam in ceteris laudabilis Imperator, hæreditariam tamen Monothelitarum insaniam transmisit in Constantem nepotem. sed vt vitia incrementum capere solent ipsa ætate, peior auo nepos fuit. acerrimus prauorum patronus, sæuissimus bonorum carnifex. non longè abibo: à domestico scelere exordiri libet. infensus hic cum esset

Digitized by Google

ſet Theodoſio germano fratri, primùm omni magiſtratu, & aulæ dignitate priuat, deinde detonſum ſacris miniſtrare cogit; demum initiatum crudeliter obtruncat. exegit fuſus ſanguis innocentis fratris, non minus atque olim in Mundi primordio, à numine vindictam. poſt necem offerebat ſe ſubinde dormienti Conſtanti Theodoſius pallido, & exangui vultu, ſed acri, & minaci, cum hieroduli amictu, quo ſacris ritè, dum viueret, operabatur; poculum manu geſtabat continens noſtri Vindicis ſanguinem, quod poculum aliquando ipſi ad aram propinare ſolitus: obtrudebat autè illud, obtendebatque ſacrilegi fratris ori, identidem inſultans his verbis: Bibe frater. videlicet indicabat diuinum ſanguinem ab ipſo repetiturum pœnas de ſuo, quem, vt crudelitatis ſitim expleret, è venis extraxerat. expauit hoc viſu Conſtans, ac tanquam fulgure afflatus, ac ſideratus obſtupuit. æſtuabat animo, angebatur: occurrebat id ſpectrum ſingulis ferè noctibus, eademque funeſta voce quaſi telo feriebat, exagitabat; nullam quietis partem capere ſinebat, conſcientiæ ſtimulis exulcerabat, tanquam in exeſo Tytij iecinore aſſiduo vngue fæuiret. exiſtimauit autem ei malo ſe poſſe mederi oberrando, vagando. igitur Byzantio, regiaque relictis, in Siciliam ſecedere ſtatuit. tolerabilius duxit apud igneum Aetnæ craterem exulare, quàm cruento illo fratris cratere vexari. conſcendit nauim, cumque ſoluiſſet, retro conuerſus, ter Vrbem, quàm execrabili ſcelere infecerat, conſpuiſſe dicitur. putauit loci commutatione ſe tutum, ac metu liberum; ſed fugientem conſequitur funeſta fratris vmbra nè, an potius Theodoſius ipſe, quem ex præcipua parte mors non extinxerat? rurſus ſe offert eodem habitu, percellit impium, ac fodit eodem iaculo vocis, vt de cruento poculo hauriat; vrget vt crudelitatem exſatiet. his feralibus laruis exterreri, his furijs exagitari, hanc animi lanienam pati meruit immanis fratricida. quid cum parricidio ſe obſtrinxit? cũ ferrum adegit in materna viſcera, hoc eſt Religionis veræ? venio igitur ad noſtrorum cædes. libellum dederant Monotheliteæ, quem Typum inſcripſerant, nihil tam indignum typis: multa in eo continebantur impiè, ac nefariè dicta, inprimis illud de vna in noſtro Sotere voluntate, atque operatione, quod ſeminarium quoddam fuit multarum aliarum hereſum. oppoſuit ſe acerrimè inter ceteros Maximus, qui tanti nomi-

Digitized by Google

nis mensuram cùm virtute, tùm doctrina implebat, religiosæ palæstræ præfectus, & ascetarum parens. aduersarij cum Constantem à se facere non ignorarent, insidiari eius vitæ cœperunt. capitur igitur, ac diritissimè verberatur. non ætas ingraueſcens, non squallidum corpus vel labore, vel senio commoruit eorum quemquam; cumque ille non desisteret, veram Religionem tueri, falsam damnare, linguam præcidunt, linguā, inquam, illam theologicam, sic enim sapientes illam appellabant, à faucibus vsque, & à continua epiglottide immaniter euellunt. sed mirum dictu; effluebat vnà cum sanguine generosa vox, ac nullo instrumento adiuta edebatur, vt cum maximè sonora. ante illum reliquit vita quàm sermo. felix diuinitatis præco, cui cum esset lingua pro tuba, etiam cum hæc ablata est, milites inflammabat ad pugnam. ferunt quoque supra eius tumulum faces visas esse præclaras: siue illæ ardens Religionis studium significarint; siue ad iusta soluenda de cœlo prælatæ sint; siue denique splendorem eius doctrinæ indicarint, qua Orientem, & Occidentem illustrauit, editis pluribus, & eruditissimis libis. confodit stylo Arium, Nestorium, Sabellium, Eutychetem. inter cetera de silentio scripsit, videlicet qui etiam excisa lingua loqui non destitit, quamobrem silendus ipse non fuit, quamuis silentium aduersarijs indixerit. Ad hæc Anastasij duo ex ipsius Maximi disciplina ijsdem ferè cruciatibus vexati, & immanissimè necati sunt. sed nihil indignius quàm quod communem Orbis terræ parentem, Martinum Romanum hierarcham extinguere ausus est. Paulus quidam seditiosus homo, ac praua doctrinæ magister Byzantinam sedem occupauerat: in eum Martinus sententiæ fulmen intenderat. insinuauerat ille se in Constantis familiaritatem, qua fretus omne sibi ius, & regium, & pontificium arrogauerat. bonorum proscriptiones, Antistitum exilia, carceres eius iussu promulgabantur. noua edicta de Religione proponebat; sacros magistratus cui vellet, aut donabat, aut auferebat. hoc scelerum architecto Constans vtebatur; & quia impijs consilijs quasi murus inexpugnabilis opponebatur Martinus, hunc euertere est aggressus. Constantem in ipsum implacabili odio incendit; suadetque, vti eundem de medio tollat. mittit hic in Italiam Olympium exarchum, qui vel captum ad se perducat, vel interimat, operabatur Martinus sacris ad aram,

quę

Digitized by Google

quę dicitur Ad præsepe irrumpit ille, apud ipsam nostri Liberatoris cunas vitam ferro conatur adimere. sed qui cæcus amentiæ ferebatur, repente videndi vsum amisit. nihil tamen commotus est tanti prodigij nuncio Constans; sed Theodoro Calliopæ mandat, vti ex Vrbe extorrem faciat, in Chersonesum abiiciat; ibi Martinus multis confectus incommodis interijt. verùm enimverò communem bonorum patientis occasum non modò barbari vlti sunt, variis in Constantem bellis excitatis, ac multis cladibus inflictis; sed Natura ipsa criminis indignitate commota, horrificis signis quodammodo exanduit: & Constans quidem Imperator pœnas luit etiam à domesticis, qui coniuratione inita ipsius vitæ insidiari cœperunt. forte in balneo clam se lauabat: ingressus qui calentem afferebat aquam, siue pecunia sollicitatus, siue ipse quoquè odio succensus, fitulam in eius caput impingit; ac cerebrum, quod erat praui consilij sedes, effractum exhaurit. ita non tam aqua, quã sui cruoris balneo lotus, aut potius demersus est. nec tamen inexpiabiles scelerum maculas eluere aqua illa potuit; sed igni traditur sempiterno.

PERSECVTIO

IVSTINIANI IVNIORIS IMPER.

IVstiniani quoque alterius audaciam: quis non detestetur? ea certè patrauit, quæ ipsum à uera Religione desciuisse ostenderent. aduersus Romanos in primis hierarchas debachatus est. Concilij edictis minimè parcit; Sergium verò infestis insectatus est armis. administrum suæ impietatis miserat, quem protospatarium vocabant; qui armata cohorte, prætoriaque, Sergium ipsum caperet, atque ad se Byzantium vsque deferret; quòd adeo indignum bonis esset visum, vt venienti se acriter opponerent, ac fugam eum inire coegerint. simultatis causa fuit, quòd coactum ab Imperatore Præsulum cœtum, nec pontificiæ auctoritate fultum minimè probasset, ac decretis veræ Religioni parum consentaneis negaret assensum: quamobrem vulgò ea synodus rectè appellata est Erratica; *An Christi circiter 690.*

Digitized by Google

ratica. ſentiebat Sergius inſidias ſibi parari, ſed nulla vis ab interrito extorquere ſuffragiũ potuit. deinceps Iuſtiniano omnia acciderunt aduerſa; debilitatę Imperij vires; Armenia ſe ſubduxit; quibus malis non modò non reſipuit, ſed acerbior factus, in proprios ciues deſæuire molitus eſt. conſtituerat impetu repentè in optimates facto, omnes internecione delere, initio ab initiatis, ac Religionis Ducibus ducto. conſilio detecto; & quòd ab ipſo ſacra contemni, ac violari viderent, communis hoſtis eſt habitus. eduxerat nuper è cuſtodia Leontium quendam Orientis præfectum, vt ei totius Græciæ regimen committeret: is occaſionem nactus arripiendi Imperij affiante populi ſtudio, in Iuſtinianum manus affert; exutoquè purpura, ceteriſque inſignibus, per ſummam ignominiam nares ferro præcidit, & in Gherſonesũ vſque exulẽ ablegat. manſit poſtea nota dedecoris, non tantùm in facie, ſed in ſermone hominum, nec deleri potuit; quippe vulgo ῥινότμητος, à truncis naribus eſt appellatus: meruit hoc Religionis hoſtis, vt à ſe ipſo ignominiæ titulum ſumeret, contra quàm ceteri Imperatores, à deuictis populis, Numidici, Getici, Aſiatici honorificè dicti. hoc ille ex ſæuitia in bonos, & ex contemptu Religionis eſt aſſecutus, vt ab ōmnibus contemneretur, ac fieret ex efferato rhinocerote rhinotmitos,

PERSECVTIO.

PHILIPPICI IMP. MONOTHELITAE.

An. Chriſti circiter 711.

PHilippicus Bardanes in imperij culmen euectus, odium quod priuatus in veram Religionem conceperat, ac parturiebat, ſtatim peperit. adhærebat hic Monothelitis, duplicem in Liberatore noſtro voluntatem, operationemque negantibus. coactus antea fuerat ſapientiſſimorum Antiſtitum Senatus, & conuentus habitus, quorum ſententijs impiè dictum execrationi deuotum fuerat. Philippicus cum Cyro ſibi aduerſanti ſacras inſulas per vim eripuiſſet, eaſque Ioanni cuidam turbulento homini, ac nefario tradidiſſet; alterum cœtum ex colluuie improborum, ac ſeditioſorum cogit, quę

rectè

Digitized by Google

rectè sentientibus opponit. ab his rescissũ est sãctissimi Senatus decretũ. subscribit Philippicus; immò ceteris quoq; superiorum Antistitũ cõuentibus nullam vult adhiberi fidem. depicti erant hi præclaro opere in conspicuo Byzantinæ vrbis loco, extabatque insigne monimentum ad posteritatis memoriam; eas picturas Imperator prorsus abradi, deleri, & aboleri iubet. tũ ad Constantinum Romanum hierarcham literas dat, quibus Monothelitarum partes sequi se indicat. ille quam nomine præferebat, re ostendit constantiam. litteras plenas impietatis auersatur; negat esse appellandum Imperatorem, hoc est ducem, ac propugnatorem Christianæ Reipublicæ eum, qui veritatem oppugnet. itaque vetat eius effigiem de more templis inferri, aut numismatis cusam in pretio haberi. deinde vt Religionis opprobium resarciat, Romæ in principe delubro conuentus illos Antistitum, quos Philippicus Byzantij abpleuerat, eximia arte depingi præcipit. luit mox Imperator satis idoneas audaciæ pœnas: nam cum opiparè, & lautè cœnasset, penè ebrium, ac temulentum cõiurati Proceres circumsistunt, ferro exsculpunt oculos, atque eruũt. tum ex augustali deiectum solio detrudunt. meruit is, qui hebeti mente vtramque in nostro Vindice voluntatem negauerat, vt vtrumque oculum amitteret.

PERSECVTIO.

LEONIS ISAVRICI IMP. ICONOMACHI.

MEmoratos inuenimus apud veteres Leones Africanos, Armenios, Nemeæos, nondum Leones audieramus Isauricos. vnum ea regio protulit Leonem, sed omnium sæuissimum. primus hic sacras imagines Cœlitũ, ac signa deijcere, comminuere aggressus est. hunc humili loco natum, sed procero corpore, & lineamentis aptè formatis conspicatus Hebræus quidam physiognomicus, magnarum rerum illi se fore ductorem dixit, si post felices euentus sua postulata faceret. promisso deuinctum ad spem imperij excitat. is cum militiæ nomen dedisset, eamque operam strenuè nauasset, muneribus orna- *An Christi circiter 716.*

Digitized by Google

ornatur; fit macherophorus Cæsaris. ac ne plura commemorem, fit Orientis præfectus. demum Theodosio se sponte abdicante imperio, Leo acclamatur Augustus. initiò quidem veræ Religionis apprimè studiosum se ostendit; nonnulla piè, sanctèque constituit: cũ ecce Hebræus ille, qui matheseos inter suos præstantissimus habebatur, quique illi vaticinatus erat imperium, ipsum aggreditur, promissa in memoriam reuocat. (Me, inquit, auspice, me duce hoc felicitatis iter ingressus es. ego velut humi iacentem excitaui, ad ardua quæque promoui, ad hunc gloriæ fontem digitum intendi. meministi nè, te pollicitum, si ad hoc culmen honoris ascendisses, postulanti nihil denegaturum? nunc per istud à me prædictum diadema, quod gestas, per istam trabeam augustalem, ceteraque insignia, obtestor, vti laruata ista Christianorum simulacra confringas, pictas tabulas vel eradi iubeas ferro, vel concremari flamma.) hæsit hic paululum Imperator. veritus primò eit vel iram numinis, vel bonorum omnium clamores; sed nimirum nimis dulce est nomen Imperij: hoc quasi ebrius mareotico, insanire cœpit Leo. statim execrabile proponit edictum. enimuerò hic optimates rei indignitate commoti reclamare omnes, ac fremere. erat in Vrbe nobilis bibliotheca Constantini iussu extructa: continebat tricena, ac tria millia librorum. visenda erat in primis Homeri Ilias, & Vlyssèa in visceribus exenterati draconis inscripta litteris aureis. huius bibliothecæ custodem duodecim constituti erant viri, non modò doctrina, sed religione præstantes, quorum consilijs etiam respublica regebatur: hos primo loco Leo aggreditur, ac traducere in nefariam sententiam conatur. cum illi rem execrandam, ac detestabilem vultu, oculis, dictis quoque auersarentur, exardescens ira Leo in bibliothecam furiales faces intendi iubet, ac sacrarium illud sapientiæ concremari, truculentior planè illo dracone, cuius viscera Homericis exarata carminibus sunt incensa. tanden in eundem ignem, ac rogum per summam impietatem sanctissimos ipsos bibliothecarios conijcit. quis tum luctus bonorum? cum cernerent perire monumenta rerum gestarum, antiquitatis exempla, annales populorum, insignia laudum, ornamenta virtutis, trophæa doctorum, denique ipsam sapientiæ regiam in cinerem consedisse, custodes verò omni literaturæ genere præclarissimos, ob Religio-

Digitized by Google

ligionis veræ tuendæ studium, quòd impiæ se doctrinę subscribere nollent, à Leone crudeliter interemptos. ferunt idcirco illos duodecim numero constitutos fuisse, vt imaginem quandam referrent totidem cœli signorum, per quę annuo cursu Sol pergit: vt ad similitudinem cælestis illius periodi, ac principis planetarum instar, Sapientia per ipsorum ingenia iter quodammodo perageret suum. Post hæc Leo in sacrorum inuadit Antistites: Germanum Patriarcham sibi renitentem in carcerem primò detrudit, deinde in alienas proijcit terras. Hippatium Lydorum Præsulem integerrimum immaniter necat: multos etiam ciuium, qui Cœlitum effigies sanctè, strenuèque tuebantur, sęuissimè necatos, inhumatos proijci iubet in cauea ad ferarum pastum. idem de Ioanne Damasceno viro, & doctrina, & pietate præstante constituerat, sed veritus optimatium tumultum, fraude id agere maluit. eum Agarenorum Regi de coniuratione suspectum reddit litteris mendacibus, & ad similitudinem notis expressis; itaque Regis iussu ei manus est amputata; sed Dei matri, cui addictissimus erat, cum cruentum brachium supplex ostentaret, statim restituta diuinitùs illa est insigni prodigio. Ad hæc Romanum pontificem Gregorium, à quo acribus monitis, & increpationibus se perstringi ægrè ferebat, minis aggreditur, legatos malè accipit; in vincula cõijcit; aduersus hierarchã ipsũ exercitum cõscribit, classem cõparat; Italiã petere iubet. sed classis hæc in ipso cursu, concitata repente procella, diffracta, & comminuta est. ita vlti sunt Cœlites signa, & effigies suas vel erasas, vel igni crematas. quanquam scelestissimi Imperatoris edicto commota videtur parens ipsa rerum Natura, elementis excussis, atque comuulsis. nam cum ille sacras omnes tabellas, ac signa flammæ tradi iussisset, æstiuo tempore inter Theram, ac Terasiam Cyclades Insulas, primò vapor tanquam ex ignis camino, ita ex profundo maris ebullijt, qui paulatim densior factus, ac latè diffusus, totus igneus apparuit. postea verò petrinos pumices grandes, & cumulos quòsdam per minorem Asiam vniuersam, per Lesbon, & Abyron, & Macedoniæ littora transmisit, tota maris superficie ijs contecta. in medio autem exæstuantis ignis noua repente Insula ex terra, cinereque conflata ei Insulæ, quæ Sacra dicitur, copulata est. tam horribili portento significata Iconoclastarum hæresis

est,

Digitized by Google

est; vt hac quasi Furia imaginibus Cœlitum admouente faces, Erebus quoque ex imo fundo in ipso gurgite igneos globos euomeret. præterea tellus tanquam suis conuulsa sedibus funditùs concussa contremuit. totus Oriens timuit occasum. complures Vrbes æquatæ sunt solo. sed & Byzantij delubra, cœnobia, sacræque ædes corruerunt: & quæ erant in ea Vrbe, statuæ Constantini, ac Theodosij, ceterorũque Imperatorum, collapsæ sunt, atque contritæ; quasi ipsæ nullo modo consistere possent, deturbatis, atque prostratis Cœlitum signis. Neque verò imagines tantùm, sed & analecta ipsorum Cœlitum, sacrosque cineres, apud quos Stygij hostes contremiscere soliti sunt, impius Imperator insectatus est; quamobrem non modò Iconomachus, sed Hagiomachus est appellatus. nõ est autem omittendum, Leonem hũc Isauricum antea Cononem dictum; atqui nihil præter nomen commune habuit cum antiquis Cononibus: siue ille Conon intelligatur Atheniẽsis Dux, siue alter, qui libros septem de Astrologia scripsit; nam primus Athenas sapientiæ domicilium in pristinam libertatem restituit; hic autem veræ sapientiæ, hoc est Religioni bellum indixit. alter astrorum imagines, ac signa contemplatus est; hic Diuorum effigies, ac simulacra contriuit. denique Conon hic, siuè Leo Isauricus cum concerpere, ac lacerare cœpit sacras iconas, satis apertè ostendit, se, vt est in adagio, ex vnque leonem.

PERSECVTIO

HAVMARI, GEZICI, EVELIDI, ET CET.

SARACENORVM REGVM.

An. Christi circiter 639. & 718.

NOn semel ab Agarenis in nostros sœuitum est, in sitò quodam odio, ac per multas ætates corroborato. ingenti classe adornata, atque instructa Byzantium obsederant. ciues in tanto discrimine patronam Vrbis, magnam Dei matrem, cuius effigies pro Palladio erat, accersunt in vota. visa est illa supra mœnia discurrere accincta Cœlitum copijs; quo aspectu

Digitized by Google

ctu ita perterrefecit hostes, vt in fugam verterit. horribilis repentè tempestas pelago incubuit, classe huc illucque dispersa. tum è cœlo, miro prodigio, ignea grando magno cum impetu præceps acta ita mare diuerberauit, vt exilirēt fluctus, & tanquam igne subiecto exæstuarent, & ebullirent. naues pice liquefacta solutę sunt. nautę, ac milites in Aegęo mari demersi, pręter paucos, qui apud suos calamitatē acceptam nūciarent. satis apertè intellectum est, ab ipsis Dei matrem repetijsse pœnas, à quibus, quod Byzantinis opem tulisset, contumelijs esset affecta. sed vt ea gens peruicaci, ac prębfracto ingenio est, haudquaquā ex illa calamitate resipuit. Haumarus ipsorum Princeps, qui post Lulciminum rerum habenas susceperat, statim impium promulgat edictum; vt quicumque Christianam Religionem profiteantur, eam abiurent, propositis quà præmijs, quà supplicijs. cum illi acerbissima quæque se passuros dicerent, amens furore, omni crudelitatis genere in eos debacchatus est. itaque ingens internecio facta nostrorum; quorum virtus, atque constantia admirationi fuit. ausus est etiam Haumarus hic litteras ad Leonē Imperatorem dare, quibus ei suadebat, vti Christianam Religionem abiuraret; quo quid impudentius? hoc enim spectabat, vt Imperatore ad nefaria Saracenorum instituta traducto, orbem ipsum terrarum, quem Leo regebat, inficeret, ac veram Religionem prorsus extingueret. sed hæc illum impiè agitantem mors occupauit.

Consecutus est Gizicus, Haumaro impietate non impar, sed qui nouo armorum genere Religioni bellum indixit. erat illi familiaritas cum Hebræo quodam impostore, atque venefico, qui se mathematicis eruditum apprimè iactabat. pollicitus est hic tyranno felicissimum imperij regimen, &, quod præcipuum solet esse Principum votum, maximè diuturnum; adiurauit ille, obstrinxitque fidem suam. tum hic horoscopo, ac sideram positu circa genesim obseruato, læta fronte pronunciat, Gizicum quadraginta ipsos annos Agarenis imperaturum, ac secundissimum vitæ cursum cum affluentia bonorū omnium confecturum. ea diuinatione accepta incessit barbarus miris gaudijs. interrogat ecquid pro vaticinatione tam fausta à se petat? tum ille, vt Hebræus, hoc est nostrorum institutorum infestissimus hostis, hoc vnum petit, vt simulacra

Digitized by Google

Cœlitum demoliri iubeat, effigiē in primis Liberatoris noſtri, quem ea gens olim ferro confixerat, ferro abradi. ſcelus tam nefarium incredibilem noſtris dolorem inuſſit; idemque ferrum, quod Cœlitum imagines appetebat, ipſorum quoque pectora tranſuerbarabat: ſed ſceleſtiſſimo hoſti diù inſanire non licuit. mox expertus eſt quàm vana fuiſſet præſtigiatoris Hebræi vaticinatio: non modò enim orbem illum quadraginta annorum non expleuit, ſed vno vix exacto extinctus eſt; & qui expunxerat mortuos, ne quodammodo in pictis tabulis viuerent, è viuis expunctus verè ipſe eſt.

Poſt hoc alterum impietatis monſtrum in Oriente ſe obtulit, item Arabum, & Agarenorum Rex, Euiladus nomine. hic cum in Chriſtianam gentem odio implacabili exardeſceret, ſtatuit id genus hominum prorſus è medio tollere immani edicto: quotquot eius inſtituti in regno inuenirentur, interfici iubet. ingens noſtrorum ſtrages edita: inter hos Eutychius patricij filius in Meſopotamiæ vrbe Charris crudeliter necatus eſt. præclara conſtantiæ data ſunt vbique ſpectacula, quæ ſi idoneos eſſent nacta ſcriptores, plena illuſtribus actis volumina conſecraſſent.

Euilado vita functo ſuffectus eſt filius Halis nomine. multa interim Chriſtiana religio ab Agarenis accepit vulnera, exardeſcente magis ac magis perfidæ gentis, ac barbaræ inueterato in noſtros odio. itaque Petro Damaſceno religioſiſſimo viro, quòd Arabum fœdus cum Manichæis perditis hominibus initum reprehendiſſet, linguam exſecuerunt; ſed inaudito prodigio confirmata veritas eſt: aſcendit hic elinguis ad aram ſacerdotalibus indutus veſtibus, rem diuinam facturus. res videbatur riſu digna, ſed abijt in admirationem: operatus eſt ſacris vocalior quàm antea; ac miro modo verbis, vt ita dicam elinguibus, Verbum diuinum confecit. alterum quoque Petrum apud Manimenum, impia ac fœda Mahometi inſtituta redarguentem ferro aggreſſi ſunt. iacebat hic æger in lectulo. languebant membra omnia præter linguam, quæ in reprehendendo robuſtior erat, atque validior. putarunt initio eum ex morbo delirium pati; ſed vbi integra mente, ac ſana eſſe ſenſerunt, verſi ſunt ipſi potius in inſaniam; diſtricto que gladio præconem Religionis confodiunt. diceres huius ſectæ homines ob cœnoſæ libidinis ſordes, Epicuri de grege porcos, niſi

huius

Digitized by Google

huius pecudis eſu ſuperſtitioſius abſtinerent.

Adminiſtrauit poſtea res Agarenorum Habdala princeps, ſuperiorum nemini cedens impietate, ac peruicacia. edixit hic nouo crudelitatis inuento, vti omnes, qui Chriſti nomen profiterentur, per ſummam ignominiam ſtigmatici fierent: ignito enim ferro manus aduſſit, ac nomen inſcripſit, vt ita à ceteris diſcreti ludibrio, & contemptui eſſent. præterea literas, & omne ſcriptionis genus interdixit; quod certè monſtroſæ ſæuitiæ fuit, vt quorum literatas fecerat manus, eos illeteratos eſſe iuberet. nimirum videbat quantam vim haberet ſapientia ad ipſorum vitam pecoribus ſimilem redarguendam. tum ſe ad delubra, ſedeſque ſacras ſpoliandas, diripiendaſque conuertit; quarum ornamenta fecit Iudæis venalia, quos noſtris ſeiebat infenſos. trophæa noſtræ ſalutis euertit, peruigilia celebrari, ac muſicos modos in odèis templorum accini vetuit, more tigridis, quæ cantu magis efferari dicitur. Excepit poſtea regni habenas Habdalæ filius, Madis nomine non ſine incremento paternæ perfidiæ; ſed maior apparuit in noſtris hominibus virtus, atque conſtantia, cum is, qui in Perſide, ac toto penè Oriente regnaret, ab inermibus vinceretur.

Eandem porrò impietatem, atque ſæuitiam Madis tranſfudit in Aaronem filium. hic rerum potitus, antequam diſtringeret in Religionem ferrum, exercuit illud in hoſte. itaque bellicis artibus clarus deuinxit ſibi Carolum Francorum regem, miſſis vtrò, citròque muneribus: ipſum Aaronis nomen apud Carolum, ſanctum fuit, quòd in memoriam reuocaret primum illum apud Hebræos hierarcham, cui ſacræ arcæ, vnde promebantur oracula, curam à Deo demandatam legerat; quamobrem & huic ſacrum noſtri Soteris ſepulchrum in poteſtatem dedit: ſed in altero Aarone fides valuit, in hoc altero perfidia: ſepulchrum enim illud, vbi ſemel in barbari Regis manus incidit, magno cum bonorum dolore à nobis amiſſum eſt; pro quo in libertatem aſſerendo tot à Chriſtianis Regibus bellorum ſumptus ſunt facti. non diù contineri potuit huius Aaronis impietas, & odium in noſtros homines. religioſiſſimum inter ceteros virum, Bacchum nomine, iuniorem dictum, vt ab altero ſeniore Sergij collega diſcerneretur, inter Palæſtinæ aſcetas maximè ſobrium impiè neci tradidit; & cruorem veluti prælo expreſſit, generoſiſſimum ſcilicet

Digitized by Google

merum, & suauissimum Religioni poculum, quo vires, ac robur assumeret.

PERSECVTIO.

CONSTANTINI COPRONYMI IMP. ICONOM.

An. Christi circiter

LEonis hic Isaurici filius, quasi catulus eadem ferina rabie, ac sæuitia in nostros erupit. argumentum, atque indicium impietatis vix ortus manifestè obtulit. sacrum enim lauacrum, quo primigenia labes eluitur, infas egestis corpusculi fæcibus infecit, inquinauitque: quamobrem Copronymus dictus. vbi adoleuit, coniunctus est Irenæ Chaiani regis filiæ. nomen coniugis, quod pacis est, bene sperare iubebat de temporum tranquillitate, sed expectationem fefellit euentus. parente mortuo hæreditarium non modò imperium, sed consilium excepit, nō sine incremento perfidiæ, incredibile dictu est quàm hic fuerit inquinatis non modò moribus, & animo, sed corpore; neque enim Copronymi tantùm, quod nomen fœditatis est, sed Caballini sortitus est. quod videlicet, pudet dicere, fimo adeò oblectaretur, vt eo faciem oblineret; hæc fœdissimi hominis erant vnguenta: scilicet equile erat pro Seplasia. quo satis apertè declarauit, se ex Epicuri hara esse, ac more effrenis equi adhinnire ad libidines; vt mirum non fuerit, quod homo inquinatissimus pulchris Cœlitum imaginibus infensus fuerit. illi scilicet radij, quibus eorum capita redimita sunt, huius oculos perstringebāt. illud diadema sanctitatis arguebat hunc indignum regio. atque vt suām confirmaret insaniam, perfidorum Antistitum cœtum cogit, hoc est concilium expers cōsilij, nec tàm senatum, & curiam Religionis, quàm officinam nequitiæ, ergastulum improborum, gurgustium ebriorum. hos adhibuit admissarios, & administros impietatis: nemo bonorum fuit, qui impiè dictis assentiretur. tum hic in optimates, qui ipsi obsisterent, insurgit. ascetas in primis, hoc est Religiosos viros inflammato odio insectatus est. hos membris debilitatos, ac mutilos, quòd integrè de Religione sentirent, in tenebricosum carcerem detrudit, supra trecentos & quadraginta.

Digitized by Google

ginta : eodem includit Stephanum Auxentianum veritatis acerrimum propugnatorem. nihil hoc Copronymus infensius habuit; quippe qui multa mirè, ac prodigiosè, adhibitis Cœlitum imaginibus, operari soleret: carcer illi pro asceterio fuit, ac palæstra virtutis. agere deinde Imperator Brumalia, voluit festa à Baccho Bruno cognominata, Ethnicorũ more, vt omnem exueret Religionem: ea Eudoxiæ coniugi dedicauit. Brumalia videlicet dabat is, qui interea effigies Cœlitum igni tradebat. tum vxoriam illecebram in ferinam vertit sæuitiã, ipsis Brumalibus in Stephanũ exardescens: hic eodem, quo primipilus alter, supplicio affectus, lapidibus obrui iussus. exarsit tunc æther impio Imperatoris edicto. ignea subitò nubes cœlum obtexit; ac dum ille lapidaretur, horribilis grando instar lapidum circa regiam effusa, tecta confregit. ludos quoque Circenses idem Imperator instituit Ethnicorum ritu. in ijs impium, & crudele spectaculum dedit. nempe Byzantinum antistitem ipsius audaciæ renitentem, iumento, cuius apprehenderet caudam, publicè circumducit; quem etiam securi percussum per Vrbem trahi iussit. his tam prodigiosis Copronymi facinoribus reclamare, ac succedere visa est ipsa rerũ Vniuersitas, horrenda edes, prodigia. nã terræmotus facti adeò vehementes sunt, vt alicubi montes committerentur, & oppida terra obtuerentur absorpta. nec multò post toti Orienti, vnde lux prodit, tenebræ offusæ sunt teterrimæ; motus ingentes Palæstinam, ac Syriam concusserunt; pestis ingens, bubonis dicta, magnam Italiæ partem depasta, Byzantium vsque prosecpsit, quæ vrbes per tres annos ita exhausit, vt penè regionem desertam reddiderit: ea lue infectis primò in veste notæ quædam crucis instar impressæ apparebant. tum varijs spectris, ac laruis territi; demum incredibili cruciatu vexati peribant. præterea cum ad Brumalia celebranda Copronymus animum appulisset, tam acre gelu exortum est, vt per menses sex pelagus Ponti ad centum milliaria obrigesceret ad lapidis duritiem. è cœlo verò signa tam tetra, ac prodigiosa visa dicuntur, vt vltimum, & supremum *Mundi* diem imminere vulgò putarent. sumpsit tandem ira numinis meritum de Copronymo supplicium. in expeditione enim aduersus Bulgaros diuinitùs est horribili plaga percussus, quam Græci ἀθάνατα appellant, quæ artus velut igne depascitur.

Digitized by Google

ſcitur. itaque validiſſima febri correptus, atque exæſtuans vociferari cœpit, ſe adhuc viuentem inextinguibili igne conſumi, vltrice magna Dei matre, quam execrabili affecerat probro: cũ diceret, poſt editũ ex eius aluo numen, nulla veneratione iam dignam; vt marſupio, poſtea quàm inde aureos nummos extraxeris, atque illud inane reddideris, nullus eſt honos. hic impij Imperatoris exitus fuit, vt qui Cœlitum, atque ipſius Dei matris effigies concremauerat, ignita lue viuus conflagraret. nec mors caruit etiam opprobrio: cum enim in principe delubro ſe humari iuſſiſſet, mox per ſummum dedecus extractum cadauer eſt, foraſque proiectum. reſpirare viſa eſt pauliſper Religio interitu duorum hoſtium, huius ſcilicet Imperatoris, & Arabum regis Habdalæ: ambo eodem anno, ac menſe extincti ſunt, vt quos impietas ſociarat, pœna coniungeret.

PERSECVTIO.

LEONIS PORPHYROGENITI IMP. ICONOM.

An Chriſti circiter 775.

ALter hic Leo tanquam Nemeæus ille, ſed purpurea potius iuba, quàm fulua, ſtylo velut Herculea claua confi-ciendus eſt. hic Copronymo parente natus, à cubili, in quo Auguſtorum purpuræ aſſeruabantur, ſortitus eſt Porphyrogeniti nomen; ſed purpuræ decus vitiorum ſordibus inquinauit. cum adiiſſet imperium, nè in optimatium odia ſtatim incurreret, aliquandiù texit audaciam. mox vbi ſe corroborauiſſet, vbi catulo creuit iuba, creuere vngues; ipſe quoque paternæ impietatis exemplo ad imagines Cœlitum lacerandas rabiem vertit. initium ſumit à domeſticis. multos è noſtra diſciplina ex aula exturbat; plures partim afficit ignominia, partim ſupplicijs acerbiſſimis addicit. præterea Irenen vxorem magnæ honeſtatis, atque pietatis, moribus diſſimillimã, quod apud ipſam duas ſacras icunculas reperiſſet, repudiat, atque à ſe amandat. quàm acerbo hic odio in noſtra inſtituta ferebatur, qui genialem ipſum torum, & coniugalem fidem abiecit? ad hæc totum Leonis ſtudium collocatum erat in con-

Digitized by Google

conquirendis vnionibus, gemmiſque pretioſiſſimis animaduertit in principe templo coronam numini dicatam, non modò eximia arte perfectam, ſed clariſſimis illuminatam gemmis; auſus eſt ſacrilega manu illam eripere, ſibi vſurpare, ac pro imperij inſigni ſuo capiti imponere. ardebant in ea in primis lucido, ac fulgente accenſi igne carbunculi; horum maximè pulchritudine capiebatur. at non diſtulit vindicta numen: ſtatim ac ea corona induit caput, pœnam audaciæ luit ſatis idoneam; toto enim capite extuberantes carbunculi, quod gènus morbi teterrimum eſt, ebullierunt: inter acerbiſſimos cruciatus efflauit animam. nulla vltio manifeſtior; nempe qui carbunculos gemmas ſacrilegè rapuerat, carbunculis purulentis ſæuiſſimè affectus interijt, & in ea parte corporis, in qua aduerſus Religionem nefaria conſilia machinari ſolebat; ſed hoc horribilius, quod ex morboſis iſtis carbunculis deturbatus eſt ad prunas ſemper aſſuras.

PERSECVTIO

CONSTANTINI IMPER. LEONIS FILII.

An. Chriſti circiter 795.

COnſtantinus Leonis catulus ſæuitiam, ac feritatem ſimiliter præſetulit. is pueritiæ annis exactis, cum videret Irenen matrem pro auctoritate omnia moderari, ſibique ad vitæ licentiam frœnum iniectum, noua moliri cœpit: quamobrem, domi à matre aliquandiù retentus, & clauſus latuit, ſed erumpente audacia, imperij arce potitus, ipſam è regia impiè exturbat; tum in fratres furore conuerſo, ipſis linguam excidit. Ad hæc in Religionis optimates bellum mouet: Platonem ſanctiſſimum virum, & veræ philoſophiæ magiſtrum vnà cum alumnis ſuis aſcetis in carcerem detrudit. Taraſium patriarcham, à quo arguebatur, dirum in modum diuexat. Theodorum quoque, Studitam dictum, virtute præſtantem lictorijs ſubijcit virgis; minatuſque eſt, ſe ex paterno inſtituto omnes Cœlitum imagines deleturum, ac ſigna fracturum. ſed tantæ impudentiæ, atque impietatis tandem dignas perſoluit pœnas. quippe per inſidias capto exculpti oculi ſunt. ferunt eo tempore

Digitized by Google

pore Solem decem & septem ipsos dies ita tenebris obductis latuisse, vt in mari naues errarent meridie. qui à Constantino erant, referebant prodigium illud ad ipsius lucis orbitatem; ceteri verò ad impietatem; qui scilicet & matri, à qua lucis vsuram accepisset, quam in oculis habendam natura suadet; iniuriosus; & in germanos fratres ceterosque domesticos truculentus extitisset, quique tenebras quodammodo Mundo vitijs suis offudisset. animaduersum certè est, eo die orbatum oculis, quo die quinquennio ante, patruum suum Nicephorum obcæcarat.

PERSECVTIO NICEPHORI IMPER. MANICHAEI.

An Christi circiter.

NIcephorus scelere partam potestatem non melius egit quàm acquisiuerat. cum logothetæ munere fungeretur in aula, nulla illius habita ratione, ius omne, fasque violauit: Irenen quippe Augustam imperij insignibus spoliatam in insulam Lesbum relegauit. Stauratium filium non modò moribus, sed factis quoque deformem, & nullius consilij iuuenem adlegit imperio. sordescere videbatur in eo purpura, nisi quod diadema tetræ frontis turpitudinem occultabat. Iam Nicephorus nactus in potestate, quam expetebat viuendi licentiã, in omnem se libidinem statim effudit, nullius pudicitiæ pepercit. addidit improbæ cupiditati sæuitiam. in optimates cædibus, in omnes superbia, quæ crudelitate grauior est bonis, grassatus, Religionem quoque exagitare aggressus est: hierodulis inprimis tributa edixit enormia, ac sacrum exhausit æranum. qui integrè, pièque viuerent, eos omnibus probris, ac ludibrijs affectos impiè vexabat. fauebat autem Manichæis, & Monothelitis, ac Sergiotis, à Sergio quodam dictis, qui se è Pauli disciplina fuisse iactauerat. Tychicum appellabat, & lucidam stellam è cælo radios explicantem, ac terris lucem diffundentem improbè mentiebatur: re vera vel fatalis quidam cometes fuit; vel, vt poetæ loquuntur, nocte satus, qui errori; tenebras ipsi Orienti offudit. ex hac fece homines sibi Nicephorus

Digitized by Google

phorus familiaritate coniunxerat; hos in conſilijs adhibebat; horum denique impia dicta libenter arripiebat. doctiſſimorum verò Antiſtitum aduerſus Monothelitas decreta reſcidit; eoſquè, qui ſecus quàm ipſe de Religione ſentiret, non modò contumelijs, & ignominijs addicebat, ſed carcere, laqueis, fame, ſagittis, gladio necabat. atqui hoſtile hoc in bonos odium vlti ſunt ipſius hoſtes. congreſſus eſt cum Bulgaris, ac tandem ab ijs captus, illuſus, ac miſerè trucidatus: atque vt odium, quo in illum exardeſcebant, exſaturarent, cum caput à ceruicibus euulſiſſent, vbi extabuit, in poculi formam redegerunt, vt inde explerent vindictæ ſitim de eo, quem ſciebant non hoſtilem modò ſanguinem ſitijſſe, ſed ciuium. Stauratius quoque filius de imperio deiectus; qui tetrum illud os, ac ſupercilium oſtentare deinceps nemini eſt auſus. ita Nicephorus dum duplicem noſtro Soteri voluntatem, operationemquè fateri non vult, duplici exitio & ſe, & filium perdidit.

PERSECVTIO GRVNNI BVLGARIAE REGIS.

AVidiſſimus Chriſtiani præſertim ſanguinis rex Bulgariæ Grunnus fuit; qui vt nomine ipſo præferebat, tanquã aper quidam Erymanthius in Religionis agro vaſtando deſeuijt. inexplebilem cruoris ſitim ſatis oſtendit, cum Nicephori Imperatoris à ſe deuicti cranium in crateris ſpeciem deformatum ad vſum ſympoſii adhibuit: Chriſtianos verò in bello captos diriſſimis ſupplicijs afficiebat, niſi Religionem abiurarent. itaque alios carceri addictos fame necabat; alios catenatos poſt ſe trahebat; multos ad palum alligatos ſagittis tranſuerberabat; plurimos obtruncabat gladio. ſed illud impijſſimè factum, quod Hadrianopoli capta ſanctiſſimum eius antiſtitem, Manuelem nomine, immaniter trucidauit: ac primò quidem manus pontificio lituo verendas ferro præcidit; tum ſacris infulis, ac tiara è capite extortis, ac ceteris inſignibus ſpoliatum (proh facinus, quod nulla barbaria poſſit

An. Chriſti circiter 813.

Digitized by Google

agnoscere) per medium ferro diuidit, artus in frustra discindit; & cum omnem sæuitiam in lacerando exercuisset, demum cadauer huc illucque dispersum feris bestijs ad pastum proijcit. nemo fuit quin monstrum illud crudelitatis execraretur; itaque cum in suorum quoque odium incurrisset, in tyrannum impetum faciunt, oculos ei cruentæ cædis spectaculo pasci assuetos exsculpunt, atque eruunt. & quoniam inter ceteros cruciatus, resti Christianorum fauces oppressérat; hoc ipsum ei Deo vltore repensum est supplicium: nempe spiritum illum furoris anhelitu feruidum, ac tyrannico fastu tumentem laqueo intercludunt. Excepit deinde habenas regni Zocus filius. quid tum ille? num Deum scelerum vindicem est reueritus? num paternæ cædis exemplo deterritus? immò addidit aliquid immanius. statuit hoc ritu parentalia celebrare. iubet impijssimis *M*anibus Christi cultores tanquam victimas immolari. nec vna hecatombe satis litatum putauit, sed edicit, vt quotquot ex ea disciplina in tota Bulgaria essēt, vno impetu, & incursione facta trucidentur. statim lictorum agmen, atque carnificum tanquam signo dato secures expediunt; ac tota latè regio innocentium oppletur sanguine. tam impiam verò cædem sic vlti sunt pijssimi heroes, vt non multo post Bulgaria tota sanam mentem acceperit, ac lustralibus aquis abluta rursùs, & initiata sit.

PERSECVTIO.

LEONIS ARMENI IMPER. MONOTHELITAE.

An. Christi circiter 775. TErtiò cum Leonibus congreditur Christiana Religio, tanquam amphitheatrale datura spectaculum: non mirum quod Armenia belluarum ferax Leones proferat, illud certè mirandum, quod cum in superioribus certaminibus Leones duo prostrati iam sint, adhuc quoque de Religionis viribus experimentum petatur. acuit hic quoque Leo vngues suos, & erigit, vt sacras impiè disaceret, & concerpat imagines: hoc quoq; ceteris Armeniæ Leonibus acrior, quod imperij maiestate, exercitu, fascibus, ac securibus armatus.

malis

Digitized by Google

malis hic artibus ad imperium obrepſit; nec defuit præſagitio, quantam ille perniciem eſſet allaturus: Antiſtes enim ſacrorum, qui tunc erat Byzantij, dum eum, inaugurat ritè, & coronam imponit capiti, ſenſit manum ſuam tanquam acutiſſimis vepribus, tribuliſque cõpungi, ac vulnerari. deteſtatus eſt omen; ac verè vaticinatus eſt, huius Leonis vnguibus impactis in viſcera, Religionem acerbè dolituram. aliquandiù agnum ſe ſimulauit, ac texit, non tàm horridus iuba, quàm mollis vellere, mitis erga noſtros ac placidus; ſed mox repentè Leonem aſperũm præſetulit. auſus eſt primò accitos ad aulam Antiſtites, & optimates ad ſuam ſententiam de delendis ſacris iconibus trahere: multa diſputauit, vel garrijt potius. reclamauit in primis vir ſapientia, & religione præſtans Theodorus, Studita dictus. increpuit hic Leonem, quod temerè in Religionis controuerſijs iudicem agere vellet, & aula vti pro curia, & pontificio ſenatu. ille ferina rabie ſuccenſus, adhuc liberè arguentem in teterrimum carcerem detrudit, vbi non modò pedore, & ſquallore, ſed etiam fame periret. tulerat ſecum diuinam dapem: hic vnus ſuauiſſimus paſtus fuit non animi modò, ſed corporis. tũ vt erat nõ ſolùm sãctimonia, ſed ingenio & doctrina præſtãs, epiſtolas nonnullis ſcripſit, quibus ſacrarum cultum imaginum tuebatur: veritas dictorum inſigni confirmata prodigio eſt. conflagrabat honeſtæ cuiuſdam matronæ, ac diuitis domus excitato fortè incendio; extingui nulla vi poterat flamma, proſerpens, & maius ſubindè capiens incrementum: habebat illa apud ſe ex huiuſmodi epiſtolis vnam; hoc viſum eſt præſentiſſimum remedium: in ignem hanc conijcit. citauit vulgus mulierem minus religioſam, ac piam, quæ cum iacturam bonorum faceret ſuarum, perderet etiam aliena, præclarum præſertim ſapientiæ monumentum. ſed factum intra pietatem fuit: non modò enim epiſtola non arſit, ſed incendium ſtatim tanquam flumen iniectum obruit. ſolius Leonis furor ardens extingui non potuit; immò poterat, niſi à ſe diuinum illud ſcriptionis genus longè repuliſſet. tum ceteros optimates inuadit; Antiſtitum multos exilio damnat, Nicetam in primis olim patricium, & Irenes Auguſtæ conſanguineum. aſcetarum plurimos flagris acerrimè conſcindi iubet. libenter hi fundebant cruorem, ne ſacris imaginibus pigmenta deeſſent, quæ

Digitized by Google

ille ad eum vsum adhiberi vetuerat. spectata est in primis Marię Augustæ incredibilis virtus, quæ nupta Constantino Irenes filio, cum præter ius, fasque repudiata esset, parthenone se clauserat. hæc ad regiam ab Augusta filia inuitata, nulla ratione adduci potuit, vt eò pergeret, ne cum iconomachis sermonem haberet. aulam, in qua Cœlites picti non essent, officina nequitiæ sibi videbatur. Interim Leoni à coniuratis tanquam in venatione quadam tenduntur insidiæ; repente adoriuntur nec opinantem gladijs. cum ille ad propinquam aram, & crucem velut ad asylum confugeret, aduersarij cruce ipsc pro clava vsi, belluam frangunt, conficiunt, interimunt: obfuit potius simulata pietas impio. tum cadauer in Circum efferunt, & ad ludibrium exponunt. fertur tunc è cœlo vox audita, quæ omnium aures compleret *læto* nuncio Leonis edomiti. Iam exterritus est Leo hic ante mortem prodigijs, & minacibus spectris, quadam venationis specie obiecta, qua caperetur. fertur quippe præsensionem accepisse, fore vt die natali Vindicis nostri, & imperium, & vitam amitteret. erat in regia bibliotheca liber, qui oracula Sibyllina de Imperatorũ euentibus continere dicebatur. ibi formæ hominum, & ferarum expressæ; atque inter ceteras Leo etiam fera depictus, græca litera χ tergo insculptam habens. ponè vir stabat, qui Leonem per mediam χ confodiebat. accersiti coniectores ad arcanum picturæ inuoluctum exponendum. Quæstor aulicus sic dicitur interpretatus: Imperatori diem Christi natalitium fore fatalem: nempe feram significare Leonem ipsum; literram χ Christum innuere; & quia per mediam χ hasta in Leonem infigeretur, Imperatorem Christi natali necatum iri. Nec minus matris terrebat insomnium: videbatur illa sibi in æde magnæ *Dei* matris Virginis cernere matronam quandam, quam adolescentes candidis induti vestibus comitarentur; ædis verò pauimentum innatare sanguine, audireq; matronam illam, iubentem propinari ipsi Imperatoris matri craterem eo cruore plenum; quod cum ipsa auersaretur, illustrem illam matronã dixisse: (Atqui filius tuus eorum, qui me venerantur, sanguine hoc vas impleuit; nec intelligit, demens; quantũ sibi impẽdeat mali. narrauit hoc visũ filio mater; hortataquè est, vti tandem sacrarum cultores iconum insequi disisteret, ne ab imaginibus ad rem ipsam veniretur. sed iam moni-

monitis obſurduerat Leo: quamobrem tandem in aduerſariorum venabula incidens vaticinationi fidem fecit.

PERSECVTIO.

MICHAELIS BALBI IMPER. ICONOMACHI.

LEone Armeno recens interempto, coniurati Michaelem Balbum, catenis licet ferreis compeditum (ſiquidem illarum claues Leo apud ſe aſſeruabat abſconditas) in ſolio collocant, ſordibus adhuc carceris obſitum, & ſqualentem; malleo catenas confringunt, purpura induunt, diademate, ac ceteris inſignibus imperij ornant, Auguſtum ſalutant. depoſuit ille corporis, non item mentis illuuiem. monſtrum hoc fuit ex varia turpitudinum, ac ſcelerum colluuie concretum: quippe in ſuperiore Phrygia natus, & barbaricos induit mores, & Iudaicos amplexus eſt ritus; nec vllum ferè impietatis genus eſt, quod non animo hauſerit quaſi ſentina vitiorum. qui amaſtaſin corporis crederent, eos garrire, vel inſanire dicebat. ſanctiſſimorum vatum oracula aniles putabat fabellas. ſanctitatis tutulum nulli Cœlitum concedebat; ſed Iudam proditorem in beatorum concilio numerabat. Cœlitum imagines Byzantio exulare iuſſit. ad omnem voluptatem adhinnit; in ſcortatione nullam agnoſcebat criminis labem; Kakodæmones eſſe pernegabat, futuros ſcilicet ſcelerum ipſius lictores, atque carnifices. & quoniam ipſe illeteratus erat, vt ne ſcribendi quidem, legendique peritiam haberet vllam, literas omnibus interdixit; Academias, Lycèa. ac cetera gymnaſia in ſolitudinem vertit. dialecticam artem, ac diſputationes impensè oderat, veritus ne coarguereturdenique turpe voluptatis mancipium turpiſſimè obijt, ac fœdiſſimè, alui ſcilicet immani profluuio. alij in phreneſin incidiſſe narrant; ſed hoc inſaniæ morbo ferè, quandiu vixit, laborauit. ecquando enim ille ſana mente fuiſſe dicendus eſt, qui nũquam fuit pia?

An Chriſti circiter 826.

PER-

Digitized by Google

PERSECVTIO.

THEOPHILI IMPERAT. ICONOMACHI.

An Christi circiter 832. HAEreditariam impietatem Michael Balbus, vnà cum imperio transmisit ad Theophilum. nihil hic minus præstitit quàm quod pollicebatur nomine: non enim amicus numini, sed infestissimus fuit. præcipuos eius cultores acriter est insectatus, veram Religionem hostiliter exagitauit. paternum confirmauit edictum de Cœlitum signis, pictisque tabulis tollendis, ac pœnas addidit acerbissimas. Antistites insulis, lituo, trabea spoliatos, atque è throno deiectos exulare coegit. Religiosos in primis homines aut probris affecit, aut ferro sustulit. erat Theophilo coniuncta connubio Theodora Augusta, moribus, & institutis longè dispar: hæc vnà cum matre Theoctiste clàm sacras icones apud se habebat, ac piè deuenerabatur. delata Theophilo res est, & amba propè in vitæ discrimen adductæ. tantum tamen valuit coniugis eximia virtus, vt nihil vir auderet contra moliri. pulchrè autem, ac lepidè Theodora criminatorũ elusit obiecta: psuasit enim viro, illos delusos fuisse, quod in speculo dum se ipsa componeret ancillis septa, referri vidissent imagines. sed progressa porrò Imperatoris impietas est; neque enim cultum tantùm sacrarum imaginum interdixit, sed pictoribus edixit, ne quem Cœlestium coloribus exprimerent; auium potius, ac ferarum venationes, quibus delectabatur, pingi iussit. erat ea tempestate pictor insignis ex ascetarum numero, Lazarus nomine. effingebat hic belluas, sed ante Martyrum pedes placidè procumbentes, ac pro auibus alatos Cœlites. excanduit Imperator ira, ac manum illam præclaro labore exercitatam ferrea lamina ignita crudeliter adussit: tulit hic supplicium constanter, ac strenuè, Romano Scęuola lõgè laudabilior, quia in Religionis causa; atque vt primùm conualuit, redijt ad opus: inter cetera Ioannem nostri Soteris prodromum apud Iordanis amnem mira arte depinxit; eam effigiem multis nobilitatam prodigijs ferunt: ita dum aquarũ fluenta penicillo velnti derimabat,

Digitized by Google

uabat, oſtendebat quodammodo, nihil ſe ignitas illa laminas pertimeſcere. In alios quoque ſanctiſſimos viros, & præclariſſimos Theophilus impiè graſſatus eſt, in Methodium maximè, itemque Theodorum, ac Theophanem fratres. illum poſt dura verbera non in carcerem, vt multos, detruſit, ſed viuum in ſepulchro defodit, cuſtode appoſito, qui vilem, ac modicũ cibum ſubminiſtraret. hos autem per ſummam ignominiam ſtigmaticos fecit: amborum enim frontibus, ac genis, totique vultui duodenos iambos, contumelioſos magis, quàm elegantes, quos aiebant ab ipſo Theophilo confectos, inuri, & inſcribi iuſſit; tum quà ferreo calamo, quà virgeis flagris exaratos in vincula coniecit: at neque dedecora, neque ſupplicia illis eripuere conſtantiam, immò neque alacritatem; nihil enim honorificentius putarunt, quàm ſe tanquam Religionis trophæa inſcribi; itaque, vt oſtenderent quàm pacato, & ſoluto animo eſſent, tum Methodius è ſepulchro, tum Theodorus, ac Theophanes è carcere & ipſi iambos ſcripſerunt, ſed pietate conditos, atque inuicem miſerunt, mutuam ſibi ſalutem impertientes: quæ carmina plus habent acuminis, quàm ferrum illud, quo inſcripti ſunt horum vultus. ſic igitur illi conſtricti vinculis ad Methodium ſepulchro conditum.

, *Qui viuus inter eſſe viuos deſiit,*
, *Vitamque præbet mortuus, terram incolens,*
, *Polumque obit, vincto grauati vinculis,*
, *Frontes ei ſcribuntque ſcripti literis.*

Ad hos reſcripſit Methodius non minus acutè in hæc verba.

, *Quorum libris inſcripta ſunt cœleſtibus*
, *Nomina, piæ frontes & inſcripta notis,*
, *Hos, qui ſepultus ante funus eſt ſuum,*
, *Vinctos ſalutat ipſe vinculis grauis.*

Immortaliter & hic laudandus, qui in ipſo ſepulchri ſquallore tam eleganter cecinit; & illi calamo digni, qui cum vultus ſeruiliter haberent inſcriptos, tam præclarè, nobiliterque ſcripſerunt. poſt hæc Theophilus ad diuinationes aniles, & mulierculorum vaticinationes inſanas ſe conuertit. fatidicam quandam anum ex Agarenis in bello captam dè euentis imperij conſulit. reſpondet illa, poſt ipſius obitum ſacras imagines à filio reſtitutum iri. acerbè hic præſenſionem accepit;

ac

Digitized by Google

ac iure iurando suos adegit, ne id fieri paterentur; sed filius hæres imperij voluit esse, non sceleris. extinctus est tandem Theophilus eodem modo, quo Pater, cuius impietatē secutus erat. sunt tamen qui putent, ipsum in extremo vitæ actu respuisse, vt ex miro visu significatum est; subtractum videlicet exitio Theodoræ in primis pię coniugis monitis, lacrymisque permotum. id si verum est, auspicatò illæ tædæ nuptiales arserūt, quæ virum sempiternis ignibus subduxerunt.

PERSECVTIO

MICHAELIS III. IMPERATORIS.

An. christi circiter 860.

MIchael Imperator Balbi ex filia nepos, si minus ferrum in Religionis viscera infixit, certè minatus est. cum. n. contra fas, Ignatiū Antistitis insignibus spoliatū per vim loco amouisset, ac Photiū, turbulētū, ac semiuirū substituisset; ac propterea à Nicolao Romano hierarcha esset increpitus; minaces hic ad eum literas dedit, quibus significabat, se Romam ipsam ferro, flammaquè deuastaturum: responsum est egregiè per epistolam, pontificiæ dignitatis, & libertatis plenam. Ad hæc eiusdem hierarchæ legatos in itinere detinuit, ac malè affecit. restituit quidem imagines Cœlitum, modò exularent ab Vrbe. nec iccircò non omnino deleuit, vt veneraretur, sed vt vilipenderet. enimverò, quod omnem impietatem superat, aggressus est Religionem in contemptum adducere, omnibus illam ignominijs, ac probris exagitans: certè sæpè mors eligitur, ne incurratur in dedecus. minus sęuierunt alij tyranni occidendo, quàm hic irridendo. procedebat paludatus Imperator, septus parasitis, & scurris. hæc erat prætoria cohors; trahebat secum impurissimorum iuuenum, ac cinædorum gregem; comitabantur eum saltatores, mimici, ludij, pangelij, qui scilicet gestus imitando risum mouerent; hos autem ipse (facinus indignum) Antistitum insulis ornabat, & cum lituo pontificio in throno collocabat; se quoque Coloniæ præsidem faciebat. ex hac fæce hominum sacerdotalibus indutos vestibus ad aras admouebat quasi sacra facturos; ab

aris

Digitized by Google

aris ad ganeas, & gurgustia traducebat; ab his celebrari mysteria iubebat, sacras ceremonias fingi, indigitamenta referri, sacra vasa & instrumenta contrectari; hos in odeis delubrorum constituebat phonascos, ac musicos, qui sacros hymnos tanquam fescennina carmina decantarent. personabant templa cantiunculis ebriorum, qui nunc leni voce, nunc incitata, incompositis motibus garriebant. ex cinędis item erant aulœdi, citharœdi, lyristæ, scilicet mōribus prorsus absonis. illud verò quàm impiè, & sacrilegè factum! inauratum calicem, & pretiosis lapillis ornatum, cuius vsus est ad diuinum sanguinem excipiendum inter mysteria, iubebat hic aceto, & sinapi impleri, atque ad aram scurris, ac mimicis propinari. nunquā tam flebiliter luxit, atque ingemuit Christiana respublica, quàm in horum cachinnis, & in Imperatoris sacrilegi risu. actitata fuerant hæc olim, sed ab ethnicis Imperatoribus, qui acerbissimis in Christianam Religionem odijs debacchabantur; atque illa ludibria nonnunquam diuinitùs cesserunt in decus: scimus Genesios, & Ardelliones, dum in scæna initiatos imitantur, repente mutatos; ac pro lustrali aqua, quàm per ludum aliorum capiti affundebant, suum profudisse sanguinem; qui animorum motus in huius Imperatoris histrionibus perspectus est nullus. videbantur hæc indignissima tum bonis omnibus, tum im primis Michaelis ipsius matri, quæ mœrore consenescebat, dolebatque monstrum se peperisse tam turpe. non desistebat increpare filium, impietatemquè detestari. quid tum hic? cum quotidiana monita ferre non posset, matrem à se repellit & in parthenonem abstrudit. Antistiti etiam cuidam illa eadem liberè reprehendenti, pugnis impactis dētes excussit: quamobrem tum ob sæuitiam, tum ob nefarias libidines Michael hic alter dictus est Nero: nec certè dissimili exitu clauserunt ambo fabulam vitæ. Basilium Macedonium imperij consortem Michael adlegerat; sed cum eum rebus à se flagitiosè gestis obsistentem haberet, intentat ei necem. vilissimum quendam Basilicinum pro Basilio Cæsarem creat; hominem scilicet è remigio, & scapha ad regimen Orbis terræ, è transtris ad solium euehit: tanquam nemo esset magis idoneus ad imperij gubernacula, quàm qui leuis nauigij clauum tractasset; nemo dignior sceptro, quàm qui remum. præsensit insidias Basilius, & incautum Michaelem ob-

Digitized by Google

truncat: ita funesta Imperatoris impij nece illusæ Religioni seriò litatum est.

PERSECVTIO.

DANORVM.

An Christi circiter 870. EFfusi in Angliam Dani, quos nonnulli Dacas putant, more torrentis omnia latè vastarunt. duces his erant portentosi nominis Hungar, & Scubba, immani robore præditi, trahentes secum exitia regnorum. ab his diruta mœnia, euersæ domus, vrbes incensę; sed in Religionem maximè grassantibus spoliata templa, disiectæ aræ, sacra vasa dirupta, nihil intactum inuiolatumque relictum. Erāt in celebri parthenone Deo dicatæ puellæ, quibus præerat insignis castimoniæ, ac pudicitiæ Antistita. hæc cum nō ignoraret, quàm impotenter, & effrenatè barbaries adhinniat ad libidinē, accitis Virginibus, quantum instet pudoris discrimen, ostendit: quid autem esset agendum, miræ fortitudinis exemplo docet. nouacula sibi nares abscindit, superius labrum incidit, totumque vultum cruore deturpat. statim omnes eadem magnitudine animi nouaculam arripiunt; se quoque mutilant, & cruentant. nec mora; fit irruptio Barbarorum: parthenonem ingressis puellarum agmen, quæ speciem deformauerant, obijcitur. hærent primò horrendo perculsi spectaculo, & quasi laruarum aspectu territi fugam ineunt: nouam illæ militiæ disciplinam tenuerunt, vt vincerent, se feriendo, non hostem. nouum genus Amazonum, quia non mammas abscidere, sed nares. deinde, illi admiratione in rabiem versa, sarmentis, atque malleolis parthenonem circumdant, ignemque subijciunt. nulla Virginum expauit, ingemuit nulla; omnes vno, eodemque rogo victimarum more crematæ. non est quod quisquam obijciat, contra ius fasque factum, vt obuiam occurrerint morti; certè sapientium iudicio res intra laudem fuit: scimus & Apolloniam, & Pelagiam in eodem genere laudatas; neque enim hæ præcipiti quadam temeritate, sed numinis afflatu actæ censentur. Post hæc Dani eadem feritate perciti regiam inuadūt, regna-

Digitized by Google

regnabat in Anglia Eadmundus, vir singulari religione, atque pietate. is cum nihil in armis inesse præsidij animaduerteret, ad suam ædem tanquam ad asylum confugit, aram tenet. barbari nec oris maiestate, nec loci dignitate commoti Regem purpura exuunt, nudatum ad arboris ramum alligant; tum arcus intendunt, & sagittis excussis plurimis, & tanquam ad scopum directis perfodiunt, totum conficiunt, interimunt; deinde cruentum cadauer in sepem abijciunt inter vepres. ijs obtectum cum à suis quæsitum nusquam reperiretur, miro modo Eadmundus ipse exanimis sua voce se prodit. legimus fusum sanguinem aliquando fuisse vocalem; sed ille fratrem proditorem prodidit, hic se ipsum innocentem. Illud item quàm impiè & crudeliter à Danis factum? cum in Canutum Regem sanctissimum coniurati, quod decumas Religioni ritè pendi iussisset, manus intulerunt, peremerunt, rependentes pro auro ferrum: ex cuius vulneribus rectè ab historico dictum est, plus gloriæ manasse quàm sanguinis.

PERSECVTIO.

NORTHMANNORVM.

INter Daniæ populos Northmanni numerari solent, quasi Aquilonares homines dicas, vt qui apud Septemtriones præcipui essent: North enim patria lingua aquilo, man verò vir vocabatur. tametsi quoniam huic nomini venti quoque notio subest, aptè admodum eorum vis, impetus, furor significatus videtur. hi antequam nostris institutis imbuerentur, infestissimi fuerunt: nam per Ligerim fluuium excursione in Gallias facta, Andegauensem, ac Turonensem, aliasque finitimus ciuitates inuaserunt; omnia cùm profana, tùm sacra incendijs, cædibus, ac rapinis deuastarunt, depopulatique sunt, sed illud indignissimum, quod in religiosorum hominum asceterium ingressi, triginta, & amplius crudeliter obtruncarunt. nam quid de Nannatensi cæde dicam? cum impetu facto in sanctissimum delubrum Ecclesiæ principis Petri, Guihardum Antistitem cum hierodulis, ac ceteris, qui ad illud asy- *An. Christi circiter 813.*

Digitized by Google

lum confugerant, gladijs confoderant. quanquam non impunè abierunt, quà ingenti finistrè pugnantium clade percussi, quà diris supplicijs diuinitus affecti. quo in genere non est omittendum, quod ipsis accidit, cum duce Ragenario, sæuissimo homine, atque impio, per Sequanam nauigijs Parisios appulerunt: non enim contenti priuatarum ædium præda, sacra etiam spoliare cœperunt. ex ijs vnus, qui eminebat audacia, in tumulum, atque vrnam Germani sanctissimi *Præsulis* irrumpit; districtoque gladio columnam marmoream ibi erectam terdecies totius corporis annisu ferit. continuò manus, quæ ictum intulerat, viribus destituta exaruit; atque ad vltimum vsque vitæ tempus ita immobilis mansit, vt fuerat extensa: manubrium verò ferri ita manui compaginatum inhæsit, vt nunquam inde aliquo ingenio, vel arte, nisi cum cutis parte auelli potuerit. reliquo corpore ita vexatus est, vt miseram trahens animam, plenus acerbitatis, & iracundiæ tandē Orco deuouerit. Tres itē ex ipsis cum delubri trabes per vim extrahere conati essent, subitò videndi vsu orbati sunt, ac palpando huc illuc errabundi fugerunt. affirmabat igitur ipsorum dux Ragenarius, se Parisijs inuenisse validiores mortuos quàm viuentes, immò mortuum vnum: patronos videlicet Vrbium Cœlites, Germanum maximè intelligebat; quòd plus possent post mortem precando, quàm militum copiæ depugnando. At verò dum idem dux reuersus ad regem suum Horicum, de prædis, atque rapinis, in primis de direptione templorum, ac sacri asceterij, ædisque Germano dicatæ se temerè iactat, dū spolia ostentat; repentè ingenti membrorum tremore correptus in terram corruit, ac vociferans, Germani se virga, hoc est lituo pontificio acerrimè cædi, atque contundi dicit; moxque inter illa verbera exanimatus interijt. socij autem eius sceleris, & administri acerbissimo viscerum cruciatu vexati, ac fœda quadam lue consumpti passim extabescebant; quinetiam alios inficiebant; quamobrem Hericus veritus, ne illud malū in caput quoque suum, totumque regnum recideret, eos, qui superfuerant ex illo facinorosorum grege, capite plecti iubet, ac tanquam piaculares hostias mactat ad auerruncandam pestem; eorum item capita Christianis tradit: hac ratione concitatum in se numen placari posse ratus. ita Religioni litatum est ipso Rege Northmannicæ gentis sacrificulo, ac victimario

atque

Digitized by Google

atquè apertè omnibus significatum est, Religionis aduersarios nullo modo supplicium euasuros: vt, si quando hostes desint, suo gladio iugulentur, versis ipsis Regibus in lictores.

PERSECVTIO.

ARABVM.

INfestum, & implacabile genus hoc hostium vbique Religio semper habuit, *M*ahomete scilicet impurissimo homine, atque nefario tanti auctore belli. In Cordubensi maximè Vrbe, cum regiones Iberiæ occupassent, aliquando desæuijt. probata tunc est nostrorum hominum virtus experimentis & magnis, & multis. elegantem de his historiam scripsit Eulogius; eamque, vt maior esset dictorum fides, proprio dedicauit sanguine. qui primus religionis vexillum extulit, auspicato satis nomine Perfectus vocabatur: vt vel hinc intelligi posset, quàm illustre illud bellum esset futurum, quàm præstanti virtute militum terminandum, cui perfectio ipsa daret initium. hic igitur cum impia, atque fœda Mahometis instituta libera voce damnaret, in tetrum carcerem à Proconsule detruditur. fecit ille è carcere mantèum: vaticinatus quippe ibi est Proconsuli supplicium, de impietate mox vltore Deo luendum. obtulit deinde Perfectus hic admirabili cum animi magnitudine securi ceruices. statim Proconsulem ignea corripit febris, quæ artus omnes incredibili cum cruciatu depascitur; tum viscera ipsa fœdo ventris profluuio egerit. Abundij quoque, præter ceteros, virtus enituit in sanguine largiter profundendo. Nec viri modò, sed puellæ spectaculum dedere constantiæ: quanquam ex ijs vna, cui Aurea nomen erat, ad ferrum primò expalluit: est sanè is color auri. exhorruit carnificis vultum; sed cum statim ad se redijsset, redijt quoque auro pretium. Leocritiæ verò virtus insuperabilis omnino fuit. hæc post necè proiecta in profluentè, mergi non potuit, quæ videlicet superior supplicijs fuisset. Cõsignauit hæc, vti dixi, egregijs literarum monumentis Eulogius, nec caruit mercede præclari laboris, consors effectus & certaminis eiusdem, & gloriæ, depo-

An. Christi circiter 856.

Digitized by Google

depoſuit tandem calamum manus, ſed ne vacua laude remaneret, arripuit palmam. addictus eſt carceri, quòd alios & ſcriptis, & voce accenderet ad pugnam. conſtrictus eſt, arctèq; compeditus; ſed & carcerē vertit in muſæum; & dum pedes alligatos haberet, carmina metricis pedibus alligauit: quo ſimul oſtendit quàm alacriter ſupplicia perferret. denique impiè iugulatur, & in torrentis aluco relinquitur. mirum dictu; non aduolarunt vultures, ac ceteræ rapaces aues ad paſtum, vt fit; ſed columba inuſitati candoris, quæ paſſis alis ſacrum cadauer obtexit. attoniti prodigio Arabes, ac veriti ne hoc Chriſtiana Religio confirmaretur; certatim lapidibus columbam appetunt; ſed perſtat illa ſemper immota. demum accedunt, & manu apprehendere contendunt, illa protinus fugit, & ad proximæ turris culmen euadit: inde liberè reſpectat Eulogium; & quæ non exhorruit lapidum iactus, exhorruit ſacrilegas manus. Inuidit tantæ Martyrum gloriæ, qui tum in Arabes dominabatur Abdaragmanus, edixitque nullum prorſus eis à quoquam exhiberi honorem. fortè pendentia quædam è ſtipitibus eorum corpora intuitus, antequam à noſtris raperentur, ac ritè aris, ceteriſque inſignibus decorarentur, in igné proijci iubet. ſtatim multa ſtrue lignorum rogus accenditur; iam concremari cœperant; iam vibrantes ipſæ flammarum crepitantium linguæ concinebant quodammodo pæana victoribus; cum ecce diuinitùs vltio; repentè impio Regi linguæ vſus eripitur, qua crudele pronunciarat edictum; extabeſcit palatum; totus horreſcit, totus pallore perfunditur; in lectulum deportatur, mox impuram exhalat animam, æternis ignibus concremandam. Succedit regni adminiſtrationi filius, Mahomadus nomine; ſed nihil prodigio commotus, hæres paternæ peruicaciæ, atque conſilij, eos, qui à Mahometis legibus abhorrerent, neci tradit: itaque multi ſtrenuè lauream ſunt adepti. quanquam nec alijs poſtea defuit materies coronarū. conſecutus eſt alter Abdaragmanus, qui ſæuitia & impietate ſuperiori minimè cederet; quinetiam barbaris quibuſdam cognomentis adſcitis, ſe diuini iuris vindicem, ſe recta ſentientium Ducem temerè appellabat, cum eſſet nequitiæ nomothetes, & amentium princeps. complures igitur è noſtris, quos prauis inſtitutis aduerſantes haberet, de medio tollit. extat inter ceteros Eugeniæ fortiſſimæ heroinæ illuſtre monimen-

tum

Digitized by Google

tum haud multis ante annis è ruderibus erutum, vbi fusi pro Religione cruoris gloria eleganti consignatur elogio. Sed impij Regis audaciam, ac furorem tandem Ramirus rex Legionensis edomuit, atque fregit; nec sine singulari prodigio: nam indicto bello, in pugnæ procinctu, cum ipsius exercitus longè inferior esset, quàm vt congredi cum hoste posset; quippe hic centum quinquaginta millia peditum, equitum verò quinquaginta millia collegerat; ad diuinam opem nuncupatis votis accurrit: cum ecce pro auxiliaribus copijs Cælites duo, cataphractorum equitum habitu, atque forma, Ramiri exercitū præire visi; qui ipso aspectu, tantum vel barbaris terroris, vel nostris fiduciæ attulerunt, vt cæsis octoginta millibus, ducto etiam captiuo Rege Maurorum, qui suppetias ferebat; cæteris verò in fugam versis, ac rege ipso Abdaragmano vix turpiter elapso, facillimè sit parta victoria: ita Christiana Religio suas iniurias Cœlitum fulta præsidio acerrimè solet vlcisci.

Aliud quoque certamen in eodem genere, postea initum, cum hisce hostibus in Hispania apud Cunodignam Vrbem narratur illustre, Zaphamo ipsorum principe. erat ibi cœnobium in quo religiosissimi ascetæ ducenti versabantur; hos repente illi odio quodā in Religionem insito concitati, aggrediuntur, iuuadunt, impiè trucidant. acta res est octauo Idus Augusti. consecutum est insigne prodigium, quod illorum gloriā egregiè propagauit. ferunt singulis annis eo die, quo cæsi sunt, pauimentum miro modo solitum rubescere, quasi recens cruor efferuescceret: quamobrem iure optimo eo loco inscriptum est præclarum illud Esaiæ vatis elogium: Ossa vestra quasi herba germinabunt: perinde ac cruor ille pro humore sit, quo irrigatus sacrorum corporum puluis herbescentem aliquando viriditatem induat, immortaliter permansuram.

PERSECVTIO.

SARACENORVM.

AGareni, sic enim probri causa ab Agare magni parentis ancilla, quàm à Sara libera coniuge Græci eos appellarunt

An. Christi circiter 940.

lare maluerunt) ex Arabia profectos non modò Occidentis regiones, sed ipsa quoque Christiana Religio infestos habuit. gens hæc præfracti, & contumacis ingenij vbique semper occurrit, ac districto in nostrorum ceruices gladio incitata fertur. hi præter eas, quas commemorauimus, cædes de optimatibus factas, aliquando ad Vulturni fontes oppidum ingressi, dum omnia depopulantur, nacti insigne cœnobium religiosissimis viris refertum, impiè inuadunt ferro, atque inaudita crudelitate vno impetu nongentorum capita fractis ceruicibus demetunt. Nec multò post eadem sæuitia in Cassinenses ædes irrumpunt; omnia permiscent, ac vastant; Benedicti parentis sanctissimi familiam vexant, multos obtruncant; Bercharium in primis, qui asceteris præerat, vitæ sanctimonia, ac pietate præstantem, cuius genus à Francorum Regibus repetebatur, ad aram facientem, impiè, & crudeliter mactant. Præterea aliquot post annis cum eadem gens Hierosolymam occupasset, nihil antiquius habuerũt, quã vt Ioannẽ eius Vrbis antistitem interficerent. tum nobilissimum delubrum, quo nostri Liberatoris sepulchrum continebatur, per summam impietatem flamma, ferroque demoliuntur: adeò nihil huic genti sanctum, verendumque vnquam fuit. quanquam fortissimorum nostrorum Ducum gladijs magna cum ipsorum strage confecta sepè pœnas dedit audaciæ. Denique extat in sacris fastis memoria nonnullorum heroum è Franciscana familia, qui cum fœda Mahometis instituta libera voce detestarentur, pulchrè constantiæ trophæis erectis ceciderunt.

PERSECVTIO

TAICOSAMAE IAPONIAE TYRANNI.

An Christi circiter 1597

EXtremo loco commemoranda essent bella non minus immania, quæ non multis antè annis vera Religio cum eadem fortitudinis laude confecit, siue ab Hæreticis, siue ab Ethnicis illata. etenim ne virtus habesceret, rursus detonuere procellæ, rursus in arma itum. sæuitum est superiore seculo à transfugis, maximè apud Septentriones, & in Brittannia; sæuitum

Digitized by Google

uitum quoque ab exteris Regibus apud Barbaros, in Iaponia præſertim, & adhuc ſæuitur: ſed vndique collecta vberrima gloriæ meſſis. ſuperſedeo de omnibus dicere, tum quia, vt initio monui, qui ſtrenuè in hoc genere pugnæ ceciderunt, nondum ſacris ritè inſcripti ſunt faſtis, & adhuc Romani Hierarchæ iudicium expectatur; tùm quia ob magnitudinem rerum geſtarum ſeorsùm volumen requirunt. non tamen hìc omittendi ſunt, qui pridem beatitatis lauream adepti ritè ſunt, & aras meruerunt, quòd pro Chriſti fide ceciderint in Iaponia; inter quos tres illi è Societate Ieſu memorantur, Paulus, Iacobus, & Ioannes; hi certè triumphi ſui arbitros, ac deſignatores, ipſos habuerunt hoſtes, à quibus videlicet ad crucem tanquam ad Capitolij locum prouecti ſunt, currui alacriter impoſiti, quem ipſi ignominię vocant, re autem vera ſummi honoris, & amplitudinis, cui nullus veterum Ducum poſſit æquari. geſta ſunt hæc Taicoſama imperante, cum aduerſus Chriſtianum nomen ſecundò exarſiſſet, ſed ſemper furore vano; nam cum horum paucorum aures, vt mos eſt animaduertendi in reos, præcidi iuſſiſſet, tunc multorum Iaponum linguas, perſpecta illorum conſtantia, ad eandem religionem profitendam, aſſerendamque exacuit. Magna profectò ſuperioris ſæculi gloria, præclara laus, quod diuini nominis propagandi ſtudium heroici ſpiritus viris ad incognitas antea regiones nauigādi fecit audaciam. Ingreſſi ſunt noui Argonautæ laureatis nauibus Oceanum, non fabuloſis infamem monſtris, ſed verè belluis immanibus obſeſſum, eſtibus violentum, Euripis infeſtum. nimirum virtuti noſtrorum Orbis hic terrarum par non erat. totam iampridem Europam, Africam, Aſiam trophæis, atque victorijs Chriſtiana Religio peragrarat: itaque nouas nationes, ac populos indagare opus fuit. ſic illa curſum peregit, vt adgubernante numine, vnà cum alterius quoque terrarum Orbis ſitu ipſe victoriarum ordo nauigaret. vltra Gades excurſum eſt ad Solis occaſum, ad barbaras gentes humanum ſanguinē ore ructantes. Franciſcus verò Xauerius, dux ille, ac ſignifer cęterorum in Orientē profectus Iaponiā Inſulā, ſexaginta, & amplius regnis nobilē ſubijt; nec prius inde deceſſit, Sinas aditurus, quā multa millia ſimulacra falſorū Deorum fracta vidiſſet; ac trophęum Crucis in veterū delubrorum ruinis, nō ſine ſummo cōmunis hoſtis vel dolore, vel ſtupore fixiſſet.

Digitized by Google

PERSECVTIONVM ECCLESIAE ANACEPHALAEOSIS.

COmplecti libet breui quę dicta sunt pluribus, quamquam vel plurima habenda pro paucis in re tam varia, atque multiplici. neque verò datur vllus terrori locus, sub vnum aspectum Religionis hostibus constitutis, quippe iam exarmatis, debilitatis, ac fractis.

Iudaica natio, vt est contumaci ingenio, & insigni duritie, ità prima tela, quæ contorsit in nostros, fuere lapides. probata virtus est primò aduersus lapides, postea aduersus lapidea simulacra: sed auspicatò initium bellorum ductum est à corona, vt ceteri animarentur ad prælium; quippe Stephanus ad victorias sanguinis iter aperuit: dignum fuit spectaculum, cui interesset è cœlo Dei filius, non modò vt agonotheta, sed stãs, & quasi commilitonem agens. Neque semel tantùm virus acerbitatis suæ Iudæus euomuit; sed sub Hadriano quoque, immò sub Constantino, Honorio, ac Theodosio iuniore. & quamquam dispersi per Orbem terrarum exules, & venales pœnas luere coacti, tamen sicut acriores esse solent morsus morientium belluarum, atque serpentium: ità illi obtriti plus sæuitiæ effuderunt, præsertim nacti aliquando Dunaamum Homeritarum regem, qui se vltro Iudæum fecerat; cuius sceptro quasi securi sunt vsi ceruicibus Christianorum frangendis.

Consecutus est Romanorum Cæsarum furor. Ipsum Neronis nomen quem non terrore percelleret? at non perculit Petrum: iam didicerat contendere procellas qui impunè calcauerat fluctus. Petro, inquam, tam grande munus obtigit, vt bellatricem illam Vrbem, viris, armisque nobilem, illam gentium Dominam, illam tot Regum, quot Ciuium altricem piscator in suas cõpulerit plagas, felicior quàm Timotheus, in cuius dormientis scapham Fortuna fingebatur Vrbes, oppida, regna verriculo capta conferre: nescias, citius nè, an felicius hæc egerit Petrus: quàm enim velociter, eius in Vrbem ingres-

Digitized by Google

ingreſſus teſtatur, quòd introiſſe victoria fuit; quàm ēt facile, inde conſtat, quòd in ipſam Neronis regiam penetrauit, vnde Martyres extiterunt. Quanta porrò Domitiani vel dementia fuit, cum auguſtam illam aquilam, Ioannem dico, Romanis aquilis nobiliorem, & ſignis auſpicatiſſimam à ſe abegit; vel impietas, cum Flauiam Domitillam ſibi cognatione deuinctam rupto Naturæ vinculo expulit in alias terras. Traianus item aliquando impiè egit, ſiue cum Antiochenum antiſtitem leonibus obiecit; ſiue cum Clementem ſacrorum principem latomijs addixit, ac demum in mare demerſit. Adrianum verò cum dixero, Adriam procellis infeſtum effingo: teſtor decem millia noſtrorum in Arari monte confixa, & interempta. quid mirum? quando & ſub Antonino Pio impiè actum, Teleſphero hierarcha necato. Nec minus crudeliter ſub M. Antonino Vero, & Lucio Vero fidei veritas vexata eſt. Septimij quoque Seueri ſæuitiam expertus eſt inter ceteros præfectus ipſe auguſtalis Philippus, qui ſecures, ac faſces, quos præferebat, ſuo ſe cruore potius, quàm alieno imbuiſſe lætatus eſt. Sub Macrino autem Aſclepiadis in primis Antiocheni Præſulis in tuenda religione conſtantia; & ſub Alexandro Cęciliæ virtus enituit. Quàm verò indoluit Roma, & quàm deteſtata eſt facinus indignum, cum Iulio Maximino imperante Pontiani hierarchæ humeri, quibus Orbis terræ nitebatur, ſubiecti ſunt lictorijs virgis! Quid Decius Imperator? quas machinas non admouit Chriſti cultoribus, vt eum abiurarēt? totis ſcilicet imperij viribus in exitium Religionis incubuit. quo tempore præclarum illud Chriſtianæ cōſtantiæ ſpectaculum datum eſt, cum Alexandrina Virgo Apollonia grauis annis, ſed leuis, & alacris animi fortitudine, in paratum ſibi rogum inſiliens præripuit carnifici palmam. nec minus illuſtre fuit illud fortiſſimi adoleſcentis, quem cum tyrannus omni ſuppliciorum genere terrere non potuiſſet, conuerſus ad illecebras, ac blandimenta, in molli ſtrato floribus reperſo colligauit; at ille pro telo linguam, quam tantùm habebat liberam, dentibus amputatam, & cruentam in lenonem inſpuit. Iam Gallo, & Voluſiano imperantibus, in primis duo illa Chriſtianæ Reipublicæ lumina extincta ſunt, Cornelius, & Lucius, ambo hierarchæ. Sæuitum quoque eſt dirum in modum Valeriano, ac Gallieno imperantibus; diſtractus eſt, ac rapta-

Digitized by Google

eus immaniter à conſternatis equis Hippolytus.at non impunè:quippe Valerianus in bello captus Sapori Regi Perſarum equum aſcendenti humeros ſubijcere coactus eſt. Nec Claudij imperium ſæuitia caruit;cum Marius ille nobilis Perſa Vrbem ingreſſus vnà cum familia,non modò inurbanè, ſed crudeliter affectus diriſſimo ſupplicio eſt, manibus ſcilicet præcisis, atque è collo ſuſpenſis, vt ſpectator eſſet aſſiduus ſuæ pœnæ. Aureliani verò immanitatem quis bonorum deteſtatus non eſt? cum Agapitum innocentiſſimum adoleſcentem poſt cruenta flagra abiecit in amphitheatro ad leonem;qui tamen eius pedes lingua delambens, tantùm non verbis declarauit, tyrannum præire feritate ferociſſimo belluarum. Nec probitas tuta ſub Probo fuit;nec Eutychiani ſummi Pontificis vita ſub Numeriano. Nunc ſe in conſpectum dant illa monſtra ſæuitiæ, Diocletianus,& Maximiani duo,alter Herculeus, alter Galerius dictus. his maximè propoſitũ fuit Chriſtianum nomen omnino delere. vbi ſemel ſe grauis iſta,& immaniſſima in noſtros belli vis, atque tẽpeſtas commouit,ſtatim quodam impetu prorumpens, longè ac latè detonuit; quod tempus haud facilè conſtituas,vtrùm tyrannorum furore atrocius,an virtutis noſtrorum experimentis ſpecioſius fuerit: prouidentia declarante, nihil obſiſtere virtuti poſſe.haudquaquam illo ſquallore carceris deformata Religio eſt; & cum cataſtis, & equuleis impoſita altius emineret, ſuperior ipſo Cæſarum faſtu fuit.inerat in vultibus etiam puellarum,quas impiè trucidabant, Amazonius quidam vigor, & quiddam ſpirabant inuictum.Non obfuit Marcelli Romani hierarchæ dignitati,atque ſplendori ſæuitia,atque impietas Maxentij, cum paſtoré populorum ſtabularium fecit. Non minuit integritatem fidei Licinius,cum immaniſſimè noſtrorum intercidit artus.Non Catharinæ conſtantiam peruertit volubilis illa rota Maximini,ſed inſerta triumphali quadrigæ eſt,quæ eam ad ſacri montis cacumen mirè prouexit.

Iam poſt tot,ac tanta certamina cum Romanis confecta Cæſaribus,luctandum quoque cum exteris Regibus fuit.Tiridates Armeniæ Rex eos, qui Chriſtianam Religionem profiterentur,fimo,ac fumo necabat,ignorans,illos vt eſt in paræmia, ex fumo dare lucem poſſe; in quo cum non ſolùm impius,ſed ferus videretur, miro modò Babylonij Regis tragœdiam

Digitized by Google

diam renouauit, quippè hominem exuit, ferinum aſpectum induit: ſiue id inſanæ mentis ludibrium fuerit, ſiue veritas facti. cœpit tum non tantùm Africa, ſed & Armenia dici monſtrorum parens. Perſarum quoque Reges Chriſtiana Religio infenſos habuit aliquando, Saporem, Cabadem, Godoranum ſiuè Varanum, Iſigerten, & Choſroas duos. nèc mirum, quod qui ignem colerent, noſtra oderint inſtituta, quæ initiari per aquas iubent: itaque multi acerbiſſimis affecti ſupplicijs ſunt, quod negarent, immortali Deo debitum cultũ eſſe dãdum elemento ſepulto ſub cinere; nec ſapientis eſſe putarent, pro numine habere, cuius aliqua pars ignis fatuus dicatur; ſic enim Phyſici appellant ignis aerei genus, apud paludes & ſepulchra cerni ſolitum, erronem, circumuagum, impoſtorem; quippe qui intempeſta nocte in ſtagnorum, ac fluminum voragines, atque abſupta loca ducat ſe ſequentes, agatque præcipites: ignem dico, qui modò ex incendiarijs montibus erumpens cuncta loca peruaſtat, modò in xiphium cometen mucronatus prodigioſè Cœlum inceſtat.

Ethnicorum igitur ſiue Cęſarum, ſiue Regum furore contempto, ſuperior Chriſtiana Religio victrix triumphabat. iam per vniuerſum terrarum Orbem Crucis ſigna explicabat, iam illa Crux in frontibus Regum intexta diademati, gemmis, auroque fulgens radiabat: Conſtantino ſcilicet diuinitùs admonito, inde decus, ac præſidium imperij petendum; cum ecce ſubito turbo, ac tempeſtas: hactenus ab exteris ſæuitum gladio; tum cominùs ab Hæreticis, ac fædifragis: hi non ſolùm dialecticis quaſi pugiunculis, quamquam plumbeis, ſed etiam ferreis in materna viſcera Religionis inuadunt. pugnauerat hoc genus hoſtium ab initio, nondum tamen quicquam auſi ferro, nec priuſquam ſe Cæſarum auctoramento armarent. Arius primus hæreſim è latibulis, & gurguſtijs, in quibus id genus hominum clàm conuentus habere ſolet, in forum, atque in regiam ipſam, & auguſtale introduxit. vnius captiosæ voculæ, immò ſyllabæ ſcintilla Vrbes, ac regna incendio ſerpente corripuit. hoc infecti veneno Conſtantius, hoc Valens, & Conſtans; hoc etiam integræ nationes; hoc Genſericus, Hunericus, Traſamundus, Vãdalorum Reges; hoc Euaricus, Alaricus, Theodoricus, Totila, Gothorum Reges, & Leuigildus Viſigothorum, & natio Longobardorum. nam Athanaricus

nouo

Digitized by Google

nouo capræ cultu, Iudaici vituli ſuperſtitionem renouauit; niſi quod fœdius. his igitur Ariana hæreſis quaſi torrens fluuijs auctus cum vires accepiſſet, impetum fecit in bonos; omnia repagula diuini iuris effergit; eo quaſi diluuio Orbem terræ conuoluit, atq; obruit: in Antiſtites maximè furor deſæuijt, pontificio throno deiectos, ac perfidis ſubrogatis: nudum enim Religionis latus facilè perfodi poſſe putarunt, ſi præſidio Præſulum ſpoliaſſent. omitto proſcriptiones, & impias cædes. Minus Donatiani nocuerunt; nam eodem ferro, quo noſtros, ſe ipſos interimebant, Martyrum gloriam affectãtes; minus Eutychiani, quorum audacia à duobus Imperatoribus, Marciano, & Leone facilius compreſſa eſt. porrò ipſius Arij fœdiſſima mors, & ceterorum ex eius diſciplina *hoſtium* infauſti exitus, ſatis diſertè declararunt, quàm ſceleſtum ſit Religioni eſſe fœdifragum. teſtetur hoc vel Theodorici Regis menſa illo piſcis ſpectro in Symmachi, quem ſceleſtè necarat, ſpeciem deformato: ipſi inquam ſemeſi cibi, & parentalia tercula, & cruenti ſpectaculi larua feralis. Alterius quoque Theodorici, Ebroino aulæ præfecto acuente ferrum, quanta ſęuitia in optimates, & Pręſules fuit, Leodegario in primis Auguſtodunenſi antiſtite ſubijciente ceruices! Iam de Iuliano quid dicam, impio illo transfuga, atque periuro? qui ſi aliquando pepercit noſtrorum ſanguini, ideò pepercit, quod inuideret gloriæ ex vulneribus mananti; nimirum perſtringebat eius oculos illa Martyrum diſtincta radijs corona, erectæ aræ, excitata templa, imagines, ſtatuæ, & in faſtis inter Indigetes inſerta nomina. prætermitto eius nefaria ſacra, humana cæde cruenta; præſtigias, ac magica murmura, quibus deuouerat neci Chriſtianum nomen poſt confectum Perſicum bellum; ſed interrupit impium votum Deus, & ipſius ſanguine litatum Religioni eſt. perfoſſa ſunt inuido transfugę ilia acie ferri; ſed multò acrius Gregorij ſtylo. *Anaſtaſij* quoque *Imperatoris*, qui ex omnium hæreſum colluuione concretum monſtrum eſt habitus, cum par impietati telum deeſſet in terris, quo periret, è cœlo ſuffectum eſt, fulmen. Nec item impunè abiere Zeno, & Baſiliſcus, & ipſi Religioni infenſi; ille malè de Religione philoſophatus, viuus infoſſus tumulo; hic impietatis veneno tumidus interemptus ferro. De Iuſtiniano nihil attinet dicere, ſed eius cauſam Sapientum curiæ committamus. alterum

Digitized by Google

rum autē eiuſdem nominis iuniorem nemo iuſtè defenderit; præfracto ingenio in Romanorum pōtificum decreta luctantem. Attila verò barbaræ crudelitatis exitiale portētum, cum ſe Dei flagrum dixit, haudquam terruit noſtros, ſed tanquam generoſos equos incitauit ad curſum; ac potius ipſe Leonem, & Lupum ſacri gregis cuſtodes extimuit.

Quid quod auſæ ſunt & fœminæ, eædemque Auguſtæ aduerſus verę Religionis Duces infeſta arma impiè mouere? Iuſtina videlicet, ac Theodora Cæſarum vxores, nec non Fredegundis Sueſſonum Regina: tres illas furias diceres, Tiſiphonen Megęram, Alecto; quæ quia pares non erant ingenio, rabiem ac furorem acuerunt; ac Fidenatium quodammodo redintegratum eſt bellum, qui olim contra Romanos, quibus impares ſe videbant armis, ad terrorem mouendum, tædis armati, & diſcoloribus ſerpentium in modum vittis, Furiarum more, perrexerant; ſed habitus ille feralis exitij omen ipſis fuit: ita & hæ actæ furore, quem armabat regia poteſtas, aggreſſæ ſunt optimates inuadere; ſed inciderunt in viros Perſeo illo fortiores, qui poſſent huiuſmodi monſtra falcato veritatis enſe conficere. adiunge tribus his furijs Brunichildem Francorum reginam, Columbano infeſtam, & innocentium Præſulum cœde cruentam, Medæam alteram, aut Empuſam.

Ad hæc porrò, quæ commemorauimus certamina, acceſſerunt alia, Conſtantis, Philippici, Cæſarum Monothelitarum, qui cum vnam tantùm in noſtræ ſalutis Vindice voluntatem ponerent, ſatis apertè oſtenderunt quàm peruerſæ ipſi voluntatis eſſent, à veræ Religionis magiſtris temerè diſſentire auſi. Præterea certandum tanquam in amphitheatro fuit cum Leonibus tribus, Iſaurico, Porphyrogenito, Armeno; quorum tamen exertos vngues ad lacerandas imagines Cœlitum diuina virtus retudit, atque infregit. his porrò belluis immaniſſimis adde ſilueſtrem aprum, Grunnum illum dico impium Bulgariæ regem. adde etiam Conſtantinum Copronymum à fœditate ſic dictum, qui ab infantia ominoſus eſt viſus, ſacrum videlicet inquinans fontem fęce corpuſculi: vt iam tum indicaret, quid eſſet acturus, cum ſe per ætatem corroborauiſſet audacia. Conſtantini quoq; Leonis filij in Romanos pōtifices audacia debacchata, ſed cum ipſius exitio eſt. Penè par, ac gemina Michaelis Balbi iconomachi, & Nicephori Manichæi

Digitized by Google

chæi Imperatorum insania. alterius quoque Michaelis quàm detestabilis impudentia? qui non est veritus ludificare, atque illudere Religioni; ad scurras,& pantomimos sacra traducere spoliare donarijs templa, sed exuendus miserè tandem vita.

Danorum item impietas, ac sæuitia Christianæ Reipublicæ quàm fuit infesta! cruentas hi manus infecerunt optimatiũ sanguine, etiam Regum. Northmanni quoque impia in nos arma mouerunt. Arabes autem quid intactum reliquerunt? quàm crudeliter in nos debacchari sũt eorum Reges portẽtosi nominis, Abdaragmanus, Mahomadus,& alter Abdaragmanus. Jam ex hac fæce Saracenorũ natio quoties in nostros distrinxit ferrum? Habdalæ ipsorum Regis quàm acre odium fuit? quàm immanis furor? quid ceteri Reges prodigiosę sæuitiæ? Haumarus, Zezicus, Euiladus, Madis,& Aarõ oppositus alteri prisco, nempè hostis sacrorum, quę templa demoliti nõ sunt? quas aras non euerterunt? cui parthenoni, cui asceterio pepercerunt? vnde sacrilegas,& cruentas manus abstinuerunt? sed tantum abest, vt, quod ipsis propositum fuerat, Christiana Religio extincta non sit, vt potius vires sumpserit. Itaquę cum illa innumerabiles hostium copias strenuè profligasset, cum nihil superandum reliquum esset, ne deesset materia laudum, ac triumphorum; nouum ad noua certamina terrarum Orbem diuina prouidentia patefecit; vbi deuicta Tyrannorum, in primis Taicosamę sęuitia, ex intimis Indiæ nemoribus decerptas sibi laureas comparauit.

FINIS.

Laus Deo, ac Deiparæ.

IN-

Digitized by Google

INDEX

RERVM PRAECIPVARVM

A Perſecutoribus Eccleſiæ geſtarum.

A

Aaron Rex Saracenorum Chriſti ſepulchro potitus Chriſtianos acerrimè perſequitur, ſacros in primis aſcetas neci tradit, diuinitùs punitur pag. 265.

Abdaragmanus Rex Arabum inuidet Martyrum gloriæ; corpora in cinerem redigit. à Deo morte ſtatim punitur. 284.

Abdaragmanus alter item Rex Arabum Chriſtianis infeſtus à Ramiro Legionenſi rege diuinitus victus. 284. & 285.

Aiſtolphus Rex Longobardorum Romam obſidens in Chriſtianos crudeliter debacchatur. in Stephanum pont. max. manus inferre conatur: infeliciter moritur. Vide perſecut. Longob.

Alamundarus Rex Saracenorum Chriſti cultores perſequitur, ſed Martyrum miraculis cognitis à perſequendo deſiſtit, pag. 202.

Alaricus Rex Gothorum Arianus Antiſtites facit extorres. calamitas ob id conſecuta. pag. 114.

Alexandri Imperatoris mater ſomniat, ſe Draconeulum parere. pag. 33. Chriſti effigiem in larario habuit vnà cum Orphei, & Apollonij. 32. Vlpiano vſus adminiſtro, à quo multi pro Religione necati. 33.

Amalaricus Rex Gothorum Reginâ ipſam vxorem crudeliter necat Religionis cauſa, turpiter in fuga perit.

Anaſtaſius Imperator ob varias hæreſes Proteus appellatus.

Digitized by Google

pag. 191. *summorum Pontificum reprehensiones contemnit* 194. *impuros Præsules creat. catholici multi per satellites necantur: ob id variis calamitatibus imperium obnoxium habuit.* 196. *fulmine ictus interijt.* 197.

Antonino Pio imperante Telesphorus summus Pontifex necatur. item Felicitas cum septem filijs, &c. pag. 23. *dira clades consecuta* 24.

Antonino Vero imperante Anicetus summus Pontifex interficitur, item Higinus. *Philosophus est vocatus. eburneos humeros sibi habere visus. pag.* 24. *simulacrum Fortunæ aureæ habuit in cubiculo. è nostris multos neci tradidit. Faustinam coniugem templis, & aris consecrauit.* 25. *legio Christiana sub ipso militans, Fulminatrix dicta, precibus imbrem sibi è cœlo euocat, hostibus fulmina.* 26.

Arabes in Christianos sæuiunt præsertim Corduba. multos trucidant. pag. 283. *Eulogium in primis eius historiæ scriptorem sanctissimum necant* 284.

Ariani Christi tunicæ scissores. pag. 103. *Arij cantio uefaria, Thalia dicta.* 105. *à Constantino Imperatore irridetur.* 109. *in Antistites maximè sæuiunt. prodigia interim facta.* 110.

Arioualdus Rex Longobardorum redarguenti asceta mortem inferre conatur, sed prodigio terretur. vide Persec. Longob.

Athanaricus Rex Gothorum barbari numinis simulacrum adorare compellit; recusantes immaniter necat. p. 177. *Sabæ asceterum parentem crudeli morte afficit.* 178.

Attila Rex Hunnorum flagellum Dei se dicit. Nemorium archidiaconum vnà cum socijs è clero impiè necat; aras euertit, ac templa. 234. *Romam vastare aggressus à Leone pont. max. cohibetur. eius vultus describitur ad sæuitiam compositus. eius pictura arrogans. à Lupo Trecensi episcopo inuitatur; sed ab incursione desistit.* 235. *infeliciter moritur* 237.

Aureliano Imperatori omen crudelitatis fecit serpens. Solis cultor fuit. pag. 44. *Felicem pont. max. neci tradidit; Narcissum quoque, & alios.* 45. *Zenobiam reginam in triumpho ducit; quam nostra instituta suscepisse credibile est.* 46. *Herculem uelut imperij consortem, & collegam sibi adsciscit.* 47.

Basi-

Digitized by Google

INDEX.

B.

Basiliscus Imperator Eutychianis fauet. Platonem cubicularium, à quo arguebatur, igni cremandum tradit. pag. 187. à Daniele stylita Diocletianus alter appellatus. 188.

Brunichildis Regina Francorum impia Desiderium, & Delphinum sanctissimos Antistites neci tradit. Columbanum asectarum parentem persequitur. pag. 254. decem Regum interfectrix. ignominiosè moritur camelo imposita, & circumductatum ab equis concitatis distracta.

C.

Cabades Rex Persarum Christianos necari iubet, & mortuos feris obiici. pag. 199. quidam linguis euulsis adhuc vocales. per nostros potitur Urbe, & thesauro à malis genijs obsesso. 200.

Caro Imperante multi Christianorum necantur. non excusatur, quasi inscius. pag. 57.

Carinus Imperator nequam. Cyclopem in scena agit. sub eo Marinus Senator impiè necatur. pag. 53.

Claudius Imperator Christianos multos interficit, Marium in primis nobilem Persam cum coniuge, & liberis. pag. 43.

Commodus Imperator Herculis habitu in theatrum prodit. irridetur præsertim à Christianis, quos equuleo, et fustibus vexat. alij per eius administros necati. incedebat & medici habitu, sed venas lethaliter incidebat. item Amazonio habitu. Aureum se appellari voluit, cum esset natura ferreus. 28.

Constantius Imperator Arianorum fautor, Catholicos Antistites pellit, substituit Arianos. pag. 112.

Constans Imperator Monothelitis adhæret. Theodosium germanum fratrem impiè necat: eius occisi spectro horrendum in modum exagitatur. Maximo ipsum reprehendenti linguam excidit, sed elinguis loquitur. Martinum pont. max. interficere conatur, re infecta exilio mulctat. 256. & 257.

Constantinus Copronymus Imperator in baptismo omen dat impietatis, sacrum inquinans fontem: religiosos in primis viros insectatur. pag. 266. Imagines Cælitū igni tradit. magnis

Digitized by Google

calamitatibus afficitur eius imperium: diro morbo correptus moritur 267.

Constantinus Imperator Leonis filius optimates sibi aduersantes immaniter vexat. Theodorum Studitam flagris cadit: minatur Cœlitum imaginibus.269.

Chosroe senior Rex Persarum Sergiopolim diuinis præsidijs munitam expugnare frustra conatur; item Edessam, vbi Christi imago miraculis insignis.pag.245.

Chosroe iunior Rex Persarum Anastasium sanctissimum ascetam magicas superstiones detestantem crudeliter necat.pag. 247. cogitur Christi crucem Heraclio reddere. machina ab eo arroganter efficta.248.

D.

Decius Imperator crudelissimè Christianos persequitur. Fabianum in primis pont.max. necat. sæuissima, & plurima supplicíorum genera excogitat. pag. 36. miserè moritur.38.

Diocletianus Imperator seruili genere natus crudelissimus persecutor per omnia genera pœnarum.pag.54. ab eius præfecto Timotheo inter ceteros Ianuarius cum socijs interfectus.61. falsò monimétum inscribit de Christiano nomine deleto 62. infeliciter moritur.64.

Donatiani multos è nostris interimunt. æmuli Martyrum gloria se ipsimet necant, vel per alios.pag. 162. lepidum factum adolescentis ad id coacti.163. veram religionem solùm in Africa apud se esse dicebant.164.

Dunaanus Rex Homeritarum ex Christiano fit Iudæus.pag.203 Nigrensi vrbe per dolum potitus in Christianos crudeliter sæuit. contendunt hi de primatu martyrij.204. duarum puellarum occisarum sanguinem matri propinat, quæ generosè eum hausit.205.

E.

Euaricus Rex Gothorum Arianus spinis obstruit templorum aditus, ne frequententur à nostris.pag.223. Antistites Catholicos è sedibus exturbat 224.

Bui-

Digitized by Google

Euilatus Rex Saracenorum Christianos acriter infestat. Eutychium patritium,& alios necat.pag.264.

Eutychiani haretici duas in Christo naturas negabant. eum cœleste corpus attulisse dicebant.pag. 384. Catholicos acerbè vexant.ausi in Pont.max.anathema intendere.384.

F.

Fredegundis Regina Suessionensium Sigebertum Regem optimum,victorem interimendum curat. item Prætextatum sanctissimum Antistitem, à quò reprehendebatur.altera Iezabel dicta pag.243.& 244.

G.

Galerius Maximianus Imperator ex armentario Andream tribunum laureatum cum suis militibus in angustijs Tauri montis trucidari iubet.pag.72.Agapitus feris obijcitur. alij alijs supplicijs affecti.70.eius horrenda mors.71.

Gallieno imperante Marinus non modò militari dignitate,sed vita priuatur.Solis habitu se effingi iubet.ab Aureolo occisus.pag.42. Vide persec.Valeriani.

Gallus Imperator cum Volusiano in Christianorum eadem conspirat.pag.39.Vide persec.Volusiani.

Gensericus Rex Vandalorum Arianus diris cruciatibus sæuit in nostros.Antistites catholicos exilio mulctat. à Romæ vastatione Leonis summi Pont.sermone compescitur. pag.209.

Godoranus seu Varanes Rex Persarum Ignis pro Deo habiti contemptores diris cruciatibus afficit.pag.782.

Goisuintha Regina Visigothorum Ariana Catholicos vexat. orba fit oculo.pag.Vide persec.Leuigildi.

Grunnus Rex Bulgariæ Manuelem sanctissimum Antistitem crudeliter necat. Christianos in bello captos diris supplicijs torquet.à suis excæcatus,& suffocatus interijt.pag.272.

Gunabundus Rex Vandalorum persecutionem in Catholicos redintegrat. Eugenium sanctissimum Præsulem facit extorrem. diuinitus punitur.Vide persec.Vandalorum.

Guntarius siue Gundericus, frater Genserici Vandalorum regis Catholicos acriter persequitur. à malo dæmone correptus interijt.Vide persec.Genserici.

Digitized by Google

H.

Habdala Rex Saracenorum Christianos persequitur per Manuham archipiratam, qui Lucifero sideri cultum negantes crudeliter necat; Placidum in primis cum socijs ascetis è Benedunt familia. eius classis naufragio perit. pag. 230.

Habdala item Rex Saracenorum Christianos Stigmaticos facis, & Iudæis venales. pag. 265.

Hadrianus Imperator sacra Christi loca profanat. Eustachium tauro ignito includit. pag. 17. moriturus horrendis spectris terretur. 18.

Halis Rex Saracenorum Manichæos fouet. Petro Damasceno eos detestanti linguam exsecat. Petrum Maurimenum Mahometi obtrectantem per Satellites necat. pag. 264.

Heliogabalus Imperator effusus in libidines, solum Helagabali numen adorari iubet. sub eo Callistus pont. max. occisus. pag. 32.

Haumarus Rex Saracenorum Christianos diris afficit supplicijs. scribit ad Leonem Imperatorem, vt Christi Religionem abiuret. pag. 263.

Herodes Agrippa Rex in Iudæorum gratiam Petrum in carcerem detrudit, Iacobum necat. pag. 3. eius infelix mors. 4.

Hunericus Rex Vandalorum Arianus in nostros acriter sæuit: multi exsecta lingua mirè loquuntur. 217. cum Tereo comparatur. 218. fraus in rebaptizando. 219. fœdè moritur. 219.

Hunni omnia, etiam sacra deuastant. pag. 234. Vide persec. Attila.

I.

Isdegardes Rex Persarum Christianos persequitur; sed cognita fraude Magorum de falso Ignis numine subterraneo, à persequendo desistit: pag. 180.

Iudæi Stephanum lapidibus obruunt. pag. 2. quàm dira passi à Romanis. 3. rursum sæuiunt sub Traiano, Hadriano, &c. in puero Christi cruciatus exercent. 21. in Hispania persecutionem aggressi miris prodigijs terrentur. 22.

Iulius Maximinus Imperator Trax genere, alter Antæus est dictus. Pontianum Pont. max. necat: item Antherum. occisus ipse cum ignominia est. pag. 34.

Iulia-

Digitized by Google

Iulianus Imperator Apostata adhuc adolescens ansam dat improbitatis ipso habitu,& gestu corporis.pag.115. magijs,& præstigijs deditus.118.& 120. Eleusinæ mysterijs initiatur.121. ob hircinam barbam ab Antiochenis irrisus. à Publia antistita de idololatria carpitur.inuidet Martyrum gloriæ. multi tamen sub eo pro Religione necati. 133. literarum-studijs interdicit. 135. Hierosolymæ templum reædificare frustra conatur.139. Christi statuam ab Hæmorrhoissa positam tollit,substituit suam.huius fœda lineamenta,& alterius pulchra opponuntur.142.& 143. ex Daphnitico templo Babylæ martyris corpore ablato, Apollinis statua cælesti igne consumitur.dæmone exploratore frustra vtitur.154.duplicem exercitum conscribit,vnum militum,alterum cacodæmonum.154. præsagia de eius morte.148. in bello Persico victus infeliciter moritur.152. cum Aetna incendiario monte collatus.158.

Iustinianus senior Imperator iura, legesque Trebonij opera condit ipse illiteratus:hæresim Incorruptibilium secutus. pag.239. Antistites Catholicos exagitat:Vigilium pont. max. de medio tollere conatur.excusatur à nonnullis.

Iustina Augusta Ariana Ambrosio insidiatur. ei per artes magicas,& per satellites vitam auferre conatur.174.& 175,

Iustinianus iunior Imperator Cononis pontificis decretis obsistit. Sergium item hierarcham extinguere conatur.pag.254.& 258.

L.

Leo Isauricus Imperator Iconomachus Hebræum mathematicum secutus,odium in Catholicos concepit.pag.260. Antistites sibi repugnantes insectatur.Gregorio pont.max. minas intentat.eius legatos malè accipit.insignem bibliothecam incendit, & Catholicos bibliothecarios igni tradit. imperium varijs calamitatibus habet obnoxium 261.

Leo Porphyrogenitus Imperator item sacris imaginibus infensus, coronam carbunculis gemmis ornatam è templo sibi vsurpat: carbunculis morbosis in capite excruciatus interijt.pag.209.

Leo Armenus item sacrarum imaginum cultores persequitur. eius perfidiam præsensit Antistes eum baptizans,manus sibi compungi sentiens. pag. 273. Theodorum Studitam in primis exagitat terretur prodigio ante mortem.274.à coniuratis interficitur.

Leui-

Digitized by Google

Leuigildus Rex Vuisigothorum Arianus Goisuinta coniuge instigãte Catholicos persequitur; Antistites extorres facit. Hermenegildum filium ab Ariano Præsule diuinam dapem accipere nolentem impiè necat.pag 250.& 251.

Licinius Imperator multos ipse Christi cultores, plurimos per præfectos,& administros neci tradit.pag.90. miserè.perit 96.

Longobardi vnde dicti. eorum aduentus præmonstratus diuinitùs pag.230. capra simulacrum colebant. nostrorum, quos cruciabant, miraculis terrentur.232 duo exijs, quos de arbore suspenderant, post mortem canere auditi.233.

M.

Macrinus Imperator ob crudelitatem Macellinus dictus. sub eo Asclepiades præsul Antiochenus necatus. à coniuratis ipse occisus cum filio Diadumeno item crudelis indolis, ita dicto quòd natus cum forma diadematis in capite, sed in arcum desinente.pag.31.

Madis Rex Saracenorum Christianos acriter persequitur.pag.265.

Mahumadus Rex Arabum in Christianos sæuit, Machometi sectam detestantes.pag.284.

Maxentius Imperator Marcellum Pont.max. boum stabularium facit; vbi ille pædore,& incommodis obijt. à Constantino vincitur,& lapsus de ponte in Tyberi submergitur. pag.85.

Maximianus Herculeus Imperator cum Diocletiano coniurat in Christi cultores. Thebæa legio in primis interficitur.pag.67. strangulatus ipse interijt.69.

Maximinus Ionius Imperator sæuijt in Christianos etiam mortuos. Catharina virgo Alexandrina ab ipso varijs supplicijs vexata,& necata.pag.75. Euphrosina virgo lenoni tradita, eum arte eludit, cera sibi oblito collo, sectoque.76. moritur ipse igneo morbo depascente viscera.80.

Michael Balbus Imperator Cœlites, sanctos haberi,& dici vetuit. sacras imagines Byzantio exulare iussit; Iudaicos ritus secutus est. literarum studijs interdixit. sacrarum imaginum defensores vexauit. Euthymium patriarcham extorrem fecit; Methodium in carcerem intrusit. pag.275.

Michael III. Imperator. Nicolao Pont.max. ipsum increpanti Romæ excidium minatur. eius legatis obtrectat; Religionem in contem-

Digitized by Google

temptum traducit, ad sacra ministeria scurras, & pantomimos admouens. pag. 278.

N.

NEro Imperator sæuissimus Christianorum persecutor. pag. 7. serpentiis exuuias in aurea armilla ferebat inclusas. nostros ferarum tergoribus amictos canibus lacerandos tradebat. alios pice, ac resina oblitos in nocturnos lychnos accendit. Apostolorum principes necat, & ex domesticis Torpetem. eius horrenda mors. 9.

Nicephorus Imperator Manichæus Catholicos exagitat. pag. 170. multos ex ijs necat. victus à Rege Bulgariæ, & interfectus, cranio in poculum verso. 171.

Northmanni vnde dicti. Christianis infesti Gallias depopulantur 281. Germani Antistitis ædem, ac tumulum violare ausi diuinitùs puniti. 282.

Numerianus Imperator Chrysanthum, & Dariam, & alios interficit: pag. 52.

P.

PHilippicus Imperator monothelita Catholicos Antistites loco mouet, substituit improbos; excæcatus, & de imperio deiectus. pag. 258. & 259.

Probo Imperante Doromedon ordinis senatorij, & alij necati. pag. 50.

R.

RAdbodus Rex Frisonum idololatriæ tenax. Vigbertum eius destructorem necat, socios ablegat, ceteros interficere conatur, sed frustra. ne fieret Christianus, Satanico spectro illusus. ignea catena. multus ad inferos detrudi visus.

S.

SApores Rex Persarum Soli cultum exhibere nolentes crudeliter necat. pag. 100. Nisibin vrbem Christianorum frustra oppugnat. 101.

Saraceni Christianis semper infesti. apud Vulturnum sacros ascetas impiè

Digitized by Google

impiè necant. in Cassinenses ædes irrumpunt, multos similiter mactant. pag. 286.

Septimius Seuerus Imperator sibi visus lupinis inhiare vberibus. pag. 19. dormientis frontem serpens diadematis loco cingit. multos è nostris interficit. consecutum est Vesuuij mõtis incendiũ. 30.

T.

THeodoricus, filius Genserici Regis Vandalorum, persequitur Christianos. occidit Armogasten. &c. fraude impiè vsus in occidendo. pag. 209. vide persec. Genserici.

Theodoricus Rex Gothorum Arianus Ioannem pont. max. carceri addicit; vbi pædore, & squallore mortuus: Seuerinum Boetium & Symachum innocentes necat. horribili spectro piscis, caput occisi Symmachi referentis, territus è vita excedit. pag. 227. ik. Liparensem caminum proijci ab asceta visus. 228.

Theodoricus Rex Francorum, filius Childeberti, stimulante Brunichilde, persequitur Columbanum. occidit Desiderium, & Delphinum sanctissimos Præsules. pag. 252. Vide persec. Brunechildis.

Theodoricus filius Clodouei, Rex Francorum per Ebroinum regiæ aulæ præfectum Catholicos Antistites insectatur, improborum cœtum cogit, quos illis opponat: Leodegarium crudeliter necat; cuius mors miraculis illustratur. pag. 254.

Theodora Augusta Episcopos recta sentientes expellit, substituit hæreticos. summorum Pontificum decretis obsistit. pag. 242.

Theophilus Imperator imaginibus Cœlitũ interdicit. earum pictori manum adurit. Antistites catholicos è throno deijcit, Theodorũ, ac Theophilum sanctissimos fratres carceri addicit, & stigmaticos facit. pag. 277.

Tiridates Rex Armeniæ crudeliter Christianos persequitur, in primis Gregorium Antistitem, quem in cœnosum locum proijcit. in insaniam versus ferinam formam vel induit, vel induisse se putat. pag. 96. per Gregorij preces euratus resipiscit. 93.

Totilas Gothorũ Rex crudelitatẽ in Christianos maximè exercet. Fulgentium Vtricẽsem Præsulẽ immaniter exeruciat, itẽ Herculanum Perusij Præsulem: vtriusque miraculis terretur. à Narsete eunucho iugulatus interijt. pag. 218.

Traianus Imperator Optimus dici voluit, sed Optimates necauit. pag. 11. Clemens Pont. max. sub eo passus. item Euaristus. 14.

Igna-

Digitized by Google

Ignatius petitus ad leonem. lectis Plinij literis de nostrorum innocentia, persecutionem inhibet. vltione quoque diuina territus de Virginibus ab ipso combustis, & in vasa ærea balnearum conflatis.16.

Trasamundus Rex Vandalorum Arianus Catholicos Antistites è throno deijcit. cum Fulgentio theologicè agit. conuincitur. rursus eum in Sardiniam ablegat. pag.222.

Taicosama Iaponiæ tyrannus semel, atque iterum in Christianos persecutionem mouet, in qua quidam è Francisci, & Ignatij familijs, præter ceteros, cruci affixi. pag.286.

V.

Valerianus Imperator Stephanum hierarcham ad aram facientem impiè mactat, item Xystum obtruncat. Laurentium craticula excruciat. à Sapore Rege Persarum captus ascendenti equum humeros subijcit. pag.40. eius imperium multis calamitatibus affligitur.41. vide persec. Gallieni.

Valens Imperator Arium sequitur; Arianos creat episcopos, catholicis electis. pag.169. Basilium terrere non potest. 170. frustra exilij eius sententiam scribere conatur.171. viuus ex incendio perit, & combusti nidorem Isacius longè sentit.173.

Vandali omnia cæde, & rapinis vastant. in sacros in primis Antistites desæuiunt. pag.248.

Volusiano, & Gallo imperantibus Cornelius, & Lucius summi Pontifices interfecti. pag.39.

Z.

Zapham Arabum princeps in Hispania religiosos in primis ascetas persequitur, & impiè mactat. pag.295.

Zeno Imperator perditos homines Episcopos creat. à Basilisco Imperatore regno expellitur; restituitur. pag.187. acta Chalcidonensis Senatus rescindit. Pelagium patritium increpantem necat. horrenda morte perit.190.

Zizicus Rex Saracenorum seductus ab Hebræo astrologo spe diuturni imperij Catholicos persequitur, & sacris imaginibus interdicit. breui moritur. pag.264.

Zocus Rex Bulgariæ, Grunni filius, quotquot in regno Christi cultores essent, vno impetu interficit. pag.272.

Er-

Digitized by Google

Errata sic corrige.

PAg.15.versu antepen. metuendas. p.24.v.25. Antoninus p.27.v.2.moliti sunt. p.30.v.antepen. genere. p.33.v.vlt. compunctus. p.44.v.27. potuisset. p.56.v.29. idque malleolis. p.59.v.22. dele *autis*. p.72.v.18 itaque post. p.91.v.19. amentis.97.v.10. cœnosæ. p.111.v.32. nequiuit. p.120.v.5. iungit. p.122.v.24. παιδοχίς.p.128.v.17.despectaret, atque.p.135.v.2. effutiebat.p.149.v.6.accersit. p.179.v.15. ex morbo. p.150.v. antepen.solebant. p.182.v.30.scito fore. p.184.v.26. dictum est. p.185.v.6. cruentum.v. penult.Leoni. p.186. Zeuonem:p. 205.v.5.inuento.p.208.v.10.pollicitum.p.225.v.penult.è vita. p.239.v.31.sed decus.p.240.v.34. quæ viridi. p.245.v.24. ea aqua. p.252.v.1.& 26.Brunechildis. p.288.v.24. contemnere. p.292.v.vlt.Sapientium.p.293.v.22.Medèam. Cetera prudens lector facilè animaduertet.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

005658

Digitized by Google

Digitized by Google